DE INTERPRETATIONE

SCRIPTURARUM SACRARUM

LIBRI DUO

FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURARUM SACRARUM

LIBER I

ΔΙΔΑΚΤΙΚΟΣ

» Domine Deus meus, ... sint castae deliciae meae scripturae tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis « (Augustinus *Confession. L. XI. c.* 2. §. 3).

ROMAE

TYPIS IOANNIS BAPTISTAE MARINI ET SOCII

MDCCCXLIV

Nihil est profecto temeritatis plenius, ... quam quorumque librorum expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profitentur, et eorum sententiam requirere ab his, qui conditoribus illorum atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt. Quis enim sibi unquam libros Aristotelis reconditos et obscuros ab eius inimico exponendos putavit? ut de his loquar disciplinis, in quibus lector fortasse sine sacrilegio labi potest. Quis denique geometricas literas Archimedis legere magistro Epicuro aut discere voluit? contra quas ille multum pertinaciter nihil earum, quantum arbitror, intelligens disserebat (Augustinus De utilit. credendi c. 6).

Rodi solet, quod comedi non potest. Haeretici autem, quia scripturam sacram intelligere sua virtute moliuntur, eam procul dubio apprehendere nequaquam possunt; quam, dum non intelligunt, quasi non edunt, et, quia per supernam gratiam non adiuti hanc comedere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt (Gregorius Moral. L. XX. c. 9. §. 20).

Eduntur libri duo de scripturarum sacrarum interpretatione, quorum alter ΔΙΔΑΚΤΙΚΟΣ ipsa interpretationis huius praecepta docet, alter ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑΤΙΚΟΣ exempla suppeditat. Prior hoc titulo: *De sacrarum scripturarum sensibus dissertatio*, ad usum meorum discipulorum ex officina lithographica collegii nostri primo prodiit an. MDCCCXXXVIII, iterum auctior atque emendatior an. MDCCCXL. Nunc vero, quum iam alius ferme, ac prius erat, tertio foret edendus, quo sumptibus parceretur, simulque operae compendium fieret, placuit iis, quibus non obsequi religio mihi est, novam hanc editionem typographo demandari. Sed et illud ob rem futurum videbatur, si, quae praecepta artis ἑρμηνευτικῆς, prout haec in sacris voluminibus explanandis versatur, prior liber traderet, iis qua ratione utendum foret, exemplo ipso, sicut mihi mos est facere, dum scholam doceo, aliquatenus demonstrarem. Eam ob rem ad id consilii deveni, ut librum alterum adiicerem, qui etiam ex eadem illa officina hoc titulo: *Selectarum quaestionum de vetere testamento fasciculus I*, iam prodierat an. MDCCCXLI, et in quo decem numero loci veteris

testamenti singuli singulis quaestionibus illustrantur.—Si quaedam in hoc opere fusius, quam necesse sit, disputata atque tractata esse cuiquam videantur, is meminerit, me, non viris eruditis, sed erudiendis iuvenibus scribere horumque commodis prospicere voluisse; idque ipsum sibi dictum ii putent, quos alia vel cuique obvia ac plane translatitia, vel saepius repetita, fortasse offendent. — Quum vero meum hoc opusculum eo spectet, ut iuvenes sacrarum literarum studiosos non qualemcumque rationem doceam, quam in divinis libris legendis atque explicandis sequantur, sed eam potissimum, quae apposita maxime sit atque accommodata ad verum germanumque horum librorum sensum adserendum ac defendendum a commentitiis pravisque interpretationibus, quibus eum pervertere audent recentiores Protestantes et Rationalistae, aequitas atque animi candor postulabant, ne, quae isti opportuna atque idonea huic disciplinae prompsere, ea indicta praeterirem, sed haec etiam proponerem, suisque auctoribus attribuerem, atque in usum nostrum converterem, ac veluti derivarem; quod ceteroquin ut facerem, tum amor ac studium veritatis suadebat, quae, quocumque ex fonte emanaverit, una eademque semper est nulloque discrimine excipienda, tum auctoritas Hieronymi et Augustini, qui hoc ipsum fieri praeceperunt, iidemque fecerunt (121). Istiusmodi tamen auctorum, quos nominabimus, scripta a pontificibus maximis reprobata quum sint magna ex parte, monemus, ne

quis nisi sibi data venia legere ea velit. — Ad haec, ne quid forte quemquam remoretur, duo advertimus. Unum est, per notas numerorum solas atque adversis semicirculis interclusas designari in priore quidem libro ipsius libri capita, in posteriore autem capita quaestionis, quibus illae praescriptae sunt. Alterum est, ubi ipsa hebraea aut graeca sacrarum scripturarum, praesertim vero psalmorum, verba explicantur, atque illustrantur, saepe capita et versus indicari secundum ordinem illum, quo sunt in ipsis hebraeis aut graecis exemplaribus, alium, inquam, eo, qui exemplarium latinorum est; nulli tamen curae pepercisse me, quo accurate, quantum fieri poterat, indicarentur. — Liceat postremo haec verba Augustini in rem meam convertere: *Illis, qui haec, quae scribimus, non intelligunt, hoc dico; me ita non esse reprehendendum, quia haec non intelligunt, tanquam si lunam veterem vel novam sidusve aliquod minime clarum vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem, illis autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum, non propterea mihi succensere deberent. Illi vero, qui, etiam istis praeceptis cognitis atque perceptis, ea, quae in divinis libris obscura sunt, intueri nequiverint, arbitrentur se digitum quidem meum intueri posse, sidera vero, quibus demonstrandis intenditur, videre non posse. Et illi ergo et isti me reprehendere desinant, et lumen oculorum divinitus sibi praeberi deprecentur. Non enim, si pos-*

sum membrum meum ad aliquid demonstrandum movere, possum etiam oculos accendere, quibus vel ipsa demonstratio mea, vel etiam illud, quod volo demonstrare, *cernatur* (De Doctr. christ. Prolog.).



DE INTERPRETATIONE
SCRIPTURARUM SACRARUM
LIBER I
ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΟΣ

CAPUT I

De sacrarum scripturarum sensibus in universum.

1. Esse partes scripturarum, quibus non unicus ille sensus, quem in libris omnibus verba exhibent legenti, sed alter quoque subsit, tum scripturae ipsae nos docent, tum una patribus omnibus sententia est, atque omnibus fere scripturarum enarratoribus (*a*), si recentiores Protestantes, nec tamen omnes (301), excipias, atque aliquot e vetustioribus Lutherum et Calvinum sequutos. Priori *sensui literali*, posteriori *sensui spiritali* nomen est, illum הַפָּשָׁט, hunc הַדְּרָשׁ vocant Hebraei, a Graecis vero prior *κατα ῥητον* esse dicitur perquam apte, posterior *μυστικος* appellatur, tametsi prior aeque ac posterior alia etiam nomina apud illos invenerit, non secus ac apud Latinos (8. 16. 346 seqq.) Hebraeosque. Quoniam vero ea, quae de alterutro horum sensuum dicturi sumus, vix continget, ut percipiantur ab eo, qui non simul norit, quidnam rei alter sensus sit, iuvat ante omnia definitione utrumque declarare.

2. Sensum literalem scripturarum vocamus id, quod exprimere Spiritus sanctus directe intendit ac proxime, et verba directe praeferunt, atque etiam proxime, si propria ea sint, remote autem, si sint translata, idque in quantum translata sunt. Sensum vero spiritalem id nominamus, quod sub sensu literali delitescens exprimere quidem Spiritus sanctus directe intendit etsi remote, verba tamen oblique praeferunt, si, inquam, conferantur cum aliis quibusdam Scripturarum partibus, nec nisi remote, rebus, quas ipsa significant, interpositis. Definitionum harum ratio, ubi locus erit (12. 342), exponetur, atque

(*a*) V. *Thom.* 1. q. 1. a. 10, et Quodlib. VII. q. 6. a. 14. c.

exemplis illustrabitur. Interea tamen utramque simul accurate compara, quo iam nunc, quid alter sensus ab altero discrepet, tenere possis.

3. Quin definitiones ipsae satis iam tibi patefaciunt, unde id habeant scripturae, quo, non unicum, sed duplicem sensum exhibere queant; ex eo videlicet quod in iis, praeter ea, quae directe, alia quaedam per haec priora oblique dicantur, licet utraque Spiritus sanctus directe intenderit. Cauteque animadvertas, oportet, id ipsum ex diversa rem exprimendi ratione esse, nequaquam vero, quasi si uterque sensus non aequo modo Spiritum sanctum haberet auctorem. Porro, quum ea, quae scripturae complectuntur, vel leges sint, vel historiae, vel religiosa dogmata, vel prophetiae, vel morum praecepta atque instituta, utile erit animadvertere duo priora directe semper verbis expressa esse, reliqua modo directe, modo oblique.

4. Fertur vulgo ea sensuum, quos in bibliis distinguere plurimi solent, enumeratio versiculis hisce:

Litera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

De qua quid sentiendum sit, dicamus necesse est.

5. Atque illud primum, quadruplicem hanc partitionem haudquaquam minus concinere cum duplici illa, quam fecimus; nam in his versiculis nomina *allegoria, moralis* seu, ut dici etiam solet, *tropologia, anagogia*, non significant nisi tres species unius eiusdemque sensus spiritalis.

6. Partitionem hanc putari excogitatam primo fuisse ab Augustino, qui ita scripsit: *In libris autem omnibus sanctis intueri oportet, quae ibi* AETERNA *intimentur, quae* FACTA *narrentur, quae* FUTURA *praenuntientur, quae* AGENDA *praecipiantur, vel moneantur* (*a*). Verum quisque videt Augustinum, non enumerare diversos sensus scripturarum, sed totam earum materiem dispertire. Eucherius Lugdunensis, qui paulo post Augustinum eodem saeculo V floruit, enumerat quidem sensus scripturarum nominibus illis, sed, si *moralem* exceperis, pro quo tamen nomen *tropologiam* usurpat, in aliam omnino notionem acceptis (*b*);

(*a*) De Gen. ad liter. L. I. c. 1.

(*b*) Praef. in lib. Formular. spiritalis intelligentiae.

si tamen Eucherii sunt, quae eius nomine inscripta feruntur (*a*). Cassianus vero Augustino paulo iunior ad partitionem praedictam accedit, praedictis nominibus magis tamen proprie adhibitis, vitatisque partitionis illius vitiis, quae mox carpemus, ut cum Thoma (*b*) ferme ex toto concordet (*c*).

7. Itaque, si pro nomine *litera* aliud aptius substituas, non esse, cur partitio illa respuatur, ubi totam scripturarum materiem in species certas dividere velis, sicut fecit Augustinus (6); at, si sensus scripturarum sic dividas, eam peccare quamplurima. Ac primo illud universe, quod unum sensuum genus, id est, sensum literalem, cum alterius generis, sensus, inquam, spiritalis, speciebus ea complectatur. Tum nomina ipsa minus proprie rebus facta esse deprehenduntur. Neque enim *litera* ea tantum est, quae *gesta docet*, veluti si historiae solummodo, non autem et legibus quoque, et morum praeceptis, atque ipsis adeo prophetiis, literalis sensus subesset. *Allegoria*, prout est nominis huius usus in hac disciplina, utique sensus spiritalis est; hoc nomen ipse Paulus usurpavit, idemque rei notionem nobis tradidit sic scribens de historia Isaaci et Ismaelis: *Quae sunt per* ALLEGORIAM *dicta; haec enim sunt duo testamenta* (*d*). Ex quo discimus allegoriam hanc bibliorum propriam esse seriem gestorum atque eventuum, imo etiam res alias et personas, quae aliud significabant praeter id, quod erant, seu verius esse ipsum horum omnium significatum (295). Quamobrem allegoria haec bibliorum propria alia prorsus est ab allegoria rhetorum, etsi hanc quoque biblia habeant, ἀναλόγως autem ita vocata est, in quantum, quod in allegoria rhetorum praestant verba, id in allegoria bibliorum praestant ipsae res; atque ex his intelliges, quid dicere voluerit Chrysostomus ita scribens: *Paulus* καταχρηστικῶς *typum allegoriam vocavit* (*e*), tametsi revera Paulus, non ipsum typum, sed modum, quo typus aliquid portendit, eo nomine vocaverit. Ne quem vero moveat, si quando, contra ac a rhetoribus fieri solet, unicum ac simplicem sive eventum, sive rem, quae aliud praeter id, quod est, significat, *allegoriam* vocari contingat. Attamen *allegoriam* non eam solum esse, quae docet, *quid credas*, ea demonstrant, quae proxime

(*a*) V. *Cave* De scriptorib. eccl.
(*b*) L. c.
(*c*) Collat. XIV. c. 8.
(*d*) Gal. IV, 24.
(*e*) In Gal. IV, 24.

dicta sunt, adeoque ipsa Pauli verba. *Duo* enim *testamenta* gestorum seriem complectuntur, quorum prioribus posteriora praemonstrabantur; sique dicas horum gestorum narrationibus divinam auctoritatem et fidem adiunctam esse, ideoque religiose ea esse credenda, dicam invicem plura horum gestorum ad spem excitandam quoque pertinere et ad mores informandos. Sed neque nomina *moralis* et *anagogia* duabus illis spiritalis sensus speciebus a sensu literali distinguendis satis opportune adhibentur, quum etiam sensus literalis ea nobis exhibeat quam saepissime, quae ad mores spectant atque ad aeternam beatitatem. Quin et nominis ἀναγωγης significatio in scriptis patrum, etiam quum una sensus spiritalis species ita vocatur, latius omnino patet (289).

8. Errores vero huiusmodi tricasque circa usum illorum nominum exortas, ac proinde quod simplex illa sensus *literalis* et *spiritalis* partitio minus curata fuerit, quam par erat, ex eo praesertim, ni mea me fallit opinio, repetere oportet, quod in patrum scriptis non semper eadem notio nominibus illis subesse deprehendatur, imo et alia subinde nomina pro illis adhibeantur. Itaque videas exempli caussa Augustinum *literae*, quod generis nomen est, significationem coarctare ad speciem nominandam, id est, sensum, quem rhetores *proprium*, quidam vero theologi atque interpretes scripturarum *grammaticum* vocant, et a *translato* distinguunt: *Qui enim*, inquit, *sequitur* LITERAM, TRANSLATA *verba sicut* PROPRIA *tenet, neque illud, quod* PROPRIO *verbo significatur, refert ad* ALIAM *significationem* (*a*). Posita hac literalis sensus notione, inde consequi necesse fuit, quod reapse a patribus multoque magis ab interpretibus factum reperias, ut a sensu *literali*, seu κατα ῥητον, distingueretur sensus *translatus*, sive κατα τροπον, qui tamen altera ipsius sensus *literalis* species est (*b*), atque ita ut indiscriminatim *translatus*, sive κατα τροπον, diceretur tum sensus, qui colligitur ex metaphoris bibliorum, quique profecto *literalis* est (*c*), et *translatus*, seu κατα τροπον, proprie vocatur, tum qui ex bibliorum allegoria a nobis descripta (7), quamvis iste sit sensus spiritalis (*d*). Inde etiam *mysticus*

(*a*) Doctr. chr. L. III. c. 5. Vide etiam c. 9, et de Gen. ad liter. L. VIII. c. 1. §. 2; XI. c. 1. §. 2; in Ps. CIII. Serm. I. §. 18; de Spir. et lit. c. 4.

(*b*) Vid. *August.* de Gen. ad lit. L. XI. c. 1. §. 2.

(*c*) V. *Thom.* 1. q. 1. a. 10. ad 3.

(*d*) V. *Aug.* ib. L. I. c. 1. §. 1.

sensus, quae alia spiritalis sensus nominatio est, vocatur a nonnullis sensus figurarum rhetoricarum, parabolarum vero potissimum, quibus profecto sensus subest, licet *translatus*, tamen *literalis* (*a*). Hanc nominationum discrepantiam, de qua et alias (29) sermo recurret, in scriptis patrum atque interpretum difficultatem aliquam facessere perspicuum est; hanc tamen levi negotio superabit, qui rectam uniuscuiusque sensus notionem animo imbiberit, ac facile intelliget, quid scriptor, licet diverso nomine, velit indicare.

9. Secernere oportet diligenter a sensu scripturarum ea, quae consectaria sunt et consequentia ipsius sententiae, hominum praesertim vitae ad virtutem informandae idonea. Haec enim voces ipsae scripturarum sive in literalem sive in spiritalem sensum acceptae nequaquam sonant. Quum tamen in his colligendis tradendisque multos fuisse patrum plerosque videamus, quum scripturas commentarentur, neque sit, cur negemus, imo optimae caussae nequaquam desint, cur credamus Spiritum sanctum haec, non quidem verbis scripturarum exprimere, sed ex scripturarum narrationibus sententiisque inferenda nobis suggerere voluisse, locus his deberi non potest, ubi est de scripturarum interpretatione disciplina (454 seqq.).

10. Praeter *literalem* et *spiritalem* sensum et alius enumeratur, qui *accommodatitius* seu *accommodatus* dici solet, habeturque, quum verba scripturarum aliis rebus edicendis, quam iis, quae iisdem verbis, sive secundum *literalem*, sive secundum *spiritalem* eorum sensum significantur, accommodamus; de quo etiam, quod valde in usu sit, dicendum nobis erit (471 seqq.). Interea vero quisque perspectum habet sensum huiusmodi haudquaquam scripturarum esse, neque ex illis colligi.

11. Auctores, quos in hac disputatione de scripturarum sensibus consulere proficuum erit, paucos hosce nominabo, quamvis non omnes in cunctis nobiscum sentiant; Augustinum (*b*), Salmeronem (*c*), Serarium (*d*), Bonfrerium (*e*), Vasquez (*f*), Huetium (*g*), De Vence (*h*). Sed iam de singulis sensibus disserere oportet.

(*a*) V. *Thom.* ib.
(*b*) Doctr. chr. L. III.
(*c*) Prolegg. VII-XX.
(*d*) Prolegomen. bibliacor. c. 21.
(*e*) Praeloquia in totam scripturam c. 20.
(*f*) In Thom. 1. q. 1. a. 10.
(*g*) Dem. ev. prop. VII. §§. 1-6.
(*h*) Préface générale sur les livres de l'ancien testament. Tom. I. pp. 248. seqq. Paris 1827.

CAPUT II

De sensu literali.

12. Ac primo ratio definitionis, qua, quid sensus literalis sit, declaravimus, exponenda. Caveas vero in hac quaestione, quod iam monuimus cavendum (8), quodque a rhetoribus subinde fit, ne sensum literalem, seu κατα ῥητον, nominationem eamdem censeas ac proprium, seu κατα λεξιν. Id vel ipsa definitione sensus literalis refellitur. Diximus itaque *sensum literalem* esse id, quod Spiritus sanctus exprimere vult. Quae definitionis pars non uno ex capite necessaria est. Etenim primo ea docemur differentiam, quae intercedit inter sensum literalem scripturarum ac librorum ceterorum. Insuper, si quae forte verba non satis percepta id praeferant, quod Spiritus sanctus nequiverit velle exprimere, illud haudquaquam pro sensu literali scripturarum habendum esse. Denique hac definitionis parte, dum Spiritus sancti, non vero scriptorum θεοπνευστων, meminimus, cavimus simul, ne definitio obnoxia esset disputationibus, quibus quaeritur, an hi semper intellexerint ea, quae scribebant, an semper eadem, ac Spiritus sanctus, dicere voluerint, an aliquando contrarium, et cetera, de quibus alii disseruerunt. *Directe* ac *proxime* illud intendere dicitur Spiritus sanctus. *Directe*, inquam, quaecumque enim quis loquitur, aut scribit, ea *directe* intendit; in definitione autem adnotare id oportuit, quia contingit subinde, ut, dum unum dicimus, ad aliud praeter id indicandum mens nostra modo quodam indirecto tendat, quod tamen ut sensus literalis verborum haberi nec debet, nec potest, quum illud verbis minime exprimamus, solumque audientibus tacita consequutione colligendum permittamus. *Proxime* insuper, id est, quin alia, quae Spiritus sanctus etiam velit edicere, intercedant, ut fit in sensu spiritali. Verba quoque illud *directe* praeferre dicuntur, mens quippe legentium in illud recta fertur, quin opus sit, aliunde discat idem verbis subesse, ut necessario fit, quum ex verbis scripturarum sensum spiritalem eruere volumus. Verba *propria* illud *proxime* praeferunt, nihil enim intercedit inter verba et inter eorum sensum literalem, quum is est illud ipsum, quod verba in proprium sensum accepta sonant. Inter verba vero *translata* et inter eorum

sensum literalem intercedit propria eorumdem significatio, ideoque literalem sensum non praeferunt nisi *remote*. Affirmavimus verba translata illud praeferre *in quantum translata sunt*, quo moneremus ea accipienda esse secundum sensum *translatum*, non autem secundum sensum *proprium*. Lege Bonfrerii *Praeloquia* (a).

13. Neque opponas, eum, qui loquitur, haudquaquam *proxime* id intendere, quod verbis translatis enuntiat, quandoquidem neque verba translata, quae tunc adhibet, illud *proxime* praeferunt; attendendum enim est discrimen inter mentem ejus, qui loquens translatione utitur, et inter ipsa verba translata, quae idem usurpat. Quamvis enim verba haec id, quod ille vult exprimere, non *proxime* praeferant, quia *proprium* sensum exuere nequeunt, ille tamen *proxime* id ipsum intendit, quia sensus proprii rationem non habet. Sic Christus Dominus Herodem vulpem appellans (b) Herodem significare, non vero vulpem, *proxime* intendebat, nec sane vulpes ulla eius menti obversabatur. Id autem manifestius apparet in iis verborum immutationibus, quae in vulgarem usum receptae sunt; quis enim, exempli caussa, dum hominis animam aut spiritum dicit, quorum vocabulorum ventus vel aer prima ac nativa notio est, de vento cogitat aut de aere?

14. Neque etiam opponas, verba translata id, quod *per figuras* significant, *directe* significare, minime dici posse. Aliud quippe est aliquid *proxime* a verbis significari, aliud vero aliquid significari *directe*. Verum itaque est, sensum translatum verba haud *proxime* praeferre, eruitur enim ex sensu *proprio* figuram exhibente; at verum aeque est illum verba praeferre *directe*, quandoquidem mens audientium sive legentium recta in rem figuratam fertur.

15. Haec autem praeterea animadvertant, oportet, qui rectam ac plenam sensus literalis notitiam cupiunt adipisci. Illudque in primis, quod sensus literalis scripturarum, si simpliciter et per se ipsum consideremus, nihil natura differat a sensu literali quorumcumque librorum. Quo semel posito, ab innumeris paene tricis expedimur.

16. Porro literalem sensum *historicum* quoque quidam vocavere. Quod nomen in hanc notionem acceptum qui ita usurpant, quasi

---

(a) C. 20. sect. 2.

(b) Luc. XIII, 32.

sensus iste historiarum solummodo proprius sit, vehementer eos errare manifestum est. Recte tamen illud usurpabimus secundum graecum vocis etymon. Graecis enim *ἱστορια* idem sonat ac cognoscendi studium, eorum autem, quae audimus, sive legimus, cognitionem acquirimus ope sensus literalis verborum. Ceterum sensus *historicus* proprie non est nisi species sensus literalis, ut mox dicemus.

17. Sensus literalis, si habeas rationem ipsorum verborum, esse potest vel *proprius*, seu *κατα λεξιν*, vel *translatus*, seu *κατα τροπον*, in quantum etiam verba talia sunt. Habes sensum *literalem* et *proprium* in illis verbis: *Creavit Deus caelum et terram* (*a*), habes *literalem* et *translatum* in illis: *Deus . . . requievit die septimo* (*b*). Si rationem autem habeas rerum significatarum, nihil prohibet, quominus sensum literalem tum *proprium* tum *translatum*, praeter alias species, quas complectitur, in eas etiam dividamus, in quas sensus spiritalis vulgo dividi solet; et, siquidem nominibus ipsis uti placet, atque *allegoriam* nomen coarctare ad ea sola significanda, quae credenda sunt, quod tamen inconcinnum quam maxime esse iam vidimus (7), distribuemus sensum literalem in *historicum*, *propheticum*, *allegoricum*, *anagogicum*, et *tropologicum* ex ea parte, quatenus verba sive propria sive translata in sensum literalem accepta aliquid significant, quod vel ad res gestas, vel ad futuras pertinet, vel ad ea, quae credere, quae sperare, quae agere debemus. En exempla.

Lit. propr. hist. *Creavit Deus caelum et terram (c).*

Lit. transl. hist. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (d).*

Lit. propr. prophet. *Ecce virgo concipiet, et pariet filium (e).*

Lit. transl. prophet. *Habitabit lupus cum agno etc. (f).*

Lit. propr. alleg. *Dominus unus est (g). Ego et pater unum sumus (h).*

Lit. transl. alleg. *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum (i).*

(*a*) Gen. I, 1.
(*b*) Ib. II, 2.
(*c*) Ib. I, 1.
(*d*) Ps. CXVII, 22.
(*e*) Is. VII, 14.
(*f*) Ib. XI, 6.
(*g*) Deut. VI, 4.
(*h*) Io. X, 30.
(*i*) Ps. XXXIII, 16.

Lit. propr. anag. *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam (a).*

Lit. transl. anag. *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam etc. (b).*

Lit. propr. trop. *Diliges Dominum Deum tuum (c). Serva mandata (d).*

Lit. transl. trop. *Non potest arbor bona malos fructus facere etc. (e).*

18. Sensum *literalem* et *translatum* habent apologi et parabolae *(f)*, quibus scatent sacrae paginae novi praesertim testamenti; quod sermonis genus veteribus Hebraeis erat סַבֵּב אֶת־פְּנֵי הַדָּבָר *convertere faciem verbi (g).*

19. De scripturarum loquutione literali figurata, sive per tropos, sive per schemata, fuse ac sapienter agunt Salmeron *(h)*, Glassius *(i)*, et, qui Glassium fere exscripsit, Guarin *(l)*.

CAPUT III

Quaestiones aliquot de sensu literali.

20. Duo autem potissimum sunt, quae disputantibus de literali scripturarum sensu in quaestione esse solent. Primum est, an literalis sensus omnibus scripturarum propositionibus subsit, alterum, an in earum aliquibus multiplex sit.

QUAESTIO I

An literalis sensus singulis scripturarum enuntiationibus subsit.

21. Quum scripturarum sensus alter literalis sit alter spiritalis, dubitatum est a nonnullis an eae enuntiationes, quae spiritalem sen-

(a) Matth. XXV, 46.
(b) Apoc. XXI, 2.
(c) Deut. VI, 5.
(d) Matth. XIX, 17.
(e) Ib. VII, 18.
(f) Vide *Thomam* 1. q. 1. a. 10. ad 3.
(g) II Sam. XIV, 20.
(h) Proleg. XII.
(i) Philologia sacra Lib. II, adhibenda vero est editio a *Jo. Augusto Dathe* adornata.
(l) Grammat. hebr. L. II. P. II. Tract. 2.

sum habent, etiam literalem servent, sive, an sensus literalis et spiritalis simul ex una eademque enuntiatione colligi queant. Quare, quam modo habemus quaestionem, ea non spectat nisi ad illa scripturarum capita, quibus spiritalis sensus inest. Neque enim pertinere ad alia potest, a quibus quum sensus spiritalis absit, si etiam literalis abesset, iam omni prorsus sensu ea carerent. Quaeritur ergo, an voces et loquutiones scripturarum intelligendae sint secundum sensum literalem vel proprium vel translatum, eumque servent etiam, ubi spiritalis sensus ipsis subest.

22. Ipsae definitiones utriusque sensus (2) aperte satis docent, quid hac de re sentiendum sit, rationemque, cur ita sit sentiendum, manifestant. Quae definitiones si verae sint, non dispicimus, qui fieri potuerit, ut aliquibus dubitatio super hoc suboriretur. Quid enim magis absurdum, quam verba non id significare, quod reapse significant? Atqui hoc absurdum gluttiendum tibi est, si neges verba intelligenda esse secundum sensum literalem, illum videlicet, quem habent ex tacita saltem hominum conventione. Quum tamen reperti re ipsa sint, qui ea de re dubitarent, atque contenderent deesse sensum literalem, ubi spiritalis habetur, eorum argumenta expendamus (23-28), oportet, caussasque inquiramus (29), ex quibus huiusmodi dubitatio potuerit exoriri. Quod semel fecisse illos plene refutasse erit. Pugnant autem auctoritatibus et rationibus.

23. Origenem ita sensisse aiunt, ubi scribit, in veteris aeque ac novi testamenti libris *historias* quasdam haberi *minime veras*, quaedamque *mandata* aut *praecepta* factu *impossibilia* atque *absurda*, quae omnia in sensum *spiritalem* accipienda esse docet (*a*), ac tandem his concludit: *Sic enim de universa scriptura statuimus, sensum* UBIQUE *haberi* SPIRITALEM, *non autem* UBIQUE CORPOREUM; *nam saepe, quod* CORPOREUM *est, impossibile convincitur* (*b*). Sed, si vel obiter legas integrum locum, perspicies, prout exempla, quae profert Origenes in suam sententiam, demonstrant, eum, dum respuit sensum, quem *corporeum* vocat, respuere solummodo sensum *proprium* verborum, dum vero commemorat sensum *spiritalem*, hoc nomine sensum quoque *literalem* complecti, qui *translatus* est. Idem Origenes nobis adversari putatur etiam, ubi alia haec scripsit: *Non semper in scripturis*

(*a*) De princip. L. IV. §§. 16-19. (*b*) Ib. §. 20.

divinis historialis consequentia stare potest, sed nonnumquam deficit, ut, verbi caussa, quum dicitur: *Spinae nascentur in manu ebriosi* (*a*), quae verba leguntur in libro Proverbiorum (*b*). Verum, graeca Origenis verba quum iamdiu perierint, exploratum esse omnino nequit, quid ipsi fuerit haec *historialis consequentia*. Praeterea non video, cur vox *historialis* idem sonare debeat, quod nobis sonat vox *literalis*, non autem potius eadem sit ac *propria*, in quantum opponitur translatae loquutioni, prout etiam Chrysostomus sensum proprium, in quantum distinguitur a translato, vocavit κατα ἱστοριαν (*c*), ut sententia verborum Origenis sit, non semper scripturas secundum *literalem* et *proprium* sensum, sed, ubi res fert, secundum *literalem* et *translatum* esse intelligendas; sique Origenis verba ita exponantur, allatum exemplum ob rem facit, secus autem minime faceret, quum nihil obstet, quominus in sensum literalem utique translatum proverbium illud accipiamus. Peto denique, num in eodem proverbio lateat aliquis sensus spiritalis? Nullus profecto. Ergo, si et literalis inde abest, sensu prorsus carebit proverbium. Expende etiam, quae scripsit Origenes in commentariis de Ezechiele (*d*), ubi manifesto patet sensum *literalem* ei nihil esse nisi sensum *proprium*. Inter huius sententiae Origeni affictae patronos numerant nonnulli Nicolaum de Lyra (*e*), de quo tamen paulo post (29).

24. Ceterum, quod attinet ad auctoritates, quae pro ista sententia afferri possent, animadverte, quum patres ac vetustiores scripturarum interpretes alicuius propositionis sensum literalem respuendum affirmant, non inde sequi, eos putasse propositionem illam carere eo sensu literali, qualem definivimus, quandoquidem patres plerumque, prout iam adnotavimus (8), solum sensum *proprium* vocant *literalem*, idque eo confirmatur ita esse, quia illi ipsi patres, qui subinde literalem sensum respuere putantur, diserte defendunt *ubique* tenendam esse historiae veritatem. Ita Hilarius (*f*), Hieronymus (*g*), Augustinus (*h*).

(*a*) In Gen. hom. II. §. 6.

(*b*) Prov. XXVI, 9.

(*c*) In Matthaeum homilia XXVII al. XXVIII. §. 2.

(*d*) Hom. III. §. 2.

(*e*) Proleg. III ad Postill. biblior.

(*f*) In Matthaeum c. II. §. 2; VII. §. 1; XIX. §. 4.

(*g*) Ad Dardan. ep. CXXIX. §. 6; Prolog. Commentar. in Isaiam.

(*h*) De Gen. ad liter. L. VIII. c. 7.

Quoties igitur *literalem* sensum ab aliqua scripturarum parte abesse patres docent, id de sensu *proprio* tantummodo dictum esse putandum est(29). Vide, exempli caussa, quae Hilarius scripsit de quibusdam psalmis (*a*).

25. Rationes autem, quibus sententia haec eadem innititur, hae sunt. Prima est, literalem sensum aliquando absurdum quid, vel minus congruum, aut etiam turpe, prae se ferre. Tale esse dicunt illud Oseae : *Vade sume tibi uxorem fornicationum* (*b*), talia etiam nonnulla ex Cantico Canticorum. Altera est, quod, quum quaedam capita veteris testamenti dicta esse de Christo ejusque ecclesia nos doceant testamenti novi scriptores, nequeant sane capita ista ullo alio modo intelligi ; at neque tamquam de Christo dicta intelligi possunt secundum sensum literalem ; ergo literali sensu carere ea dicenda sunt. Tale esse volunt illud : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*c*), quod tamquam de Christo dictum exponit Paulus apostolus(*d*).

26. Attamen paulo attentius rem considerantibus perspicuum facile fiet priorem rationem eo claudicare, quod, qui eam urgent, non attenderint, quomodo sensus literalis alius *proprius* sit, alius *translatus* ; eamdemque ad illas quoque scripturarum partes pertinere posse, ubi nullum invenimus sensum spiritalem, quale est, exempli caussa, illud Siracidae: *Melior est enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens* (*e*). Alteram vero rationem id peccare, quod tamquam certum atque exploratum ponat illud ipsum, quod in hac nostra quaestione versatur, alterutrum, inquam, solummodo sensum uno eodemque loco esse posse, vel literalem, vel spiritalem.

27. Neque exempla prolata quidquam conducunt ad istarum rationum confirmationem. Quid enim si in verbis. Oseae respuamus utique, si ita placet, sensum *proprium*, accipiamus vero sensum *translatum*? Eteuim, ut illa exponit Hieronymus (*f*), nomine *uxoris fornicationum* praesignificatur, non quidem per sensum spiritalem, sed per literalem et translatum, ecclesia ex gentibus idolorum cultricibus cogenda ; cui Hieronymi interpretationi illustrandae facit nomina-

---

(*a*) In Ps. CXXXIV. §§. 12. 13; CXXXVI. §. 13.
(*b*) Os. I, 2.
(*c*) II Reg. VII, 14.
(*d*) Hebr. I, 5.
(*e*) Eccli. XLII, 14.
(*f*) Praef. Commentariorum in Os.

tio illa, qua in scripturis idolorum cultus *fornicatio* vocatur, uti quum dicitur de Iudaeis: *Fornicati sunt cum Baalim* (*a*), *fornicati sunt post deos populorum* (*b*), adeoque ab ipso Osea continuo: *Quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* Quamquam nos aliter quoque Oseae dicta exponi posse opinamur, quod tamen in praesens nil nostra refert. Nec dissimili ratione refellitur, quod dictum est de Cantico Canticorum.

28. Circa testimonium ex libro Regum a Paulo prolatum haec consideranda occurrunt. Quum scriptores novi testamenti quaedam testamenti veteris dicta ad Christum eiusque ecclesiam pertinere nos docent, quae tamen secundum sensum literalem nequeunt ita intelligi, male quis inde concluderet literalem horum dictorum sensum esse respuendum, sive, quod peius foret, sensum hunc ab his omnino abesse. Nam secundum spiritalem quidem sensum *de re per τύπους praefigurata*, de Christo videlicet seu de ecclesia, secundum sensum literalem vero *de ipso τύπῳ* prolata fuisse in vetere testamento dicenda sunt. Praeterea, si staret ea ὑπόθεσις, cui haec altera ex allatis probationibus innititur, quae ὑπόθεσις est ipsissima hujus quaestionis materies, alterutrum sensum tantummodo, non autem utrumque simul, uno eodemque scripturarum capite contineri, quum incompertum atque absonum sit verba et loquutiones literali sensu destitui, secundum ὑπόθεσιν hanc concludere potius deberemus, hisce veterum scripturarum locis de Christo sermonem esse, haudquaquam secundum significationem spiritalem, sed secundum literalem; quumque propria illorum significatio Christo non congruat, significationem literalem et translatam illis inesse. Verum, nisi duplicem sensum literalem ex una eademque enuntiatione colligi posse existimemus, qua de re secunda quaestio erit, neque ista affirmari posse, illud ipsum exemplum evincit, quod ex libris Regum desumptum in rem suam proferunt adversarii, quum in eo manifestum sit sensum literalem ad Salomonem pertinere, ac proinde Christum secundum sensum spiritalem dumtaxat indicari.

29. In universum autem, quod attinet ad hanc et sequentem fortasse quaestionem, notandum est tricas omnes ex eo esse, quod alii aliam

---

(*a*) Iudic. VIII, 33. (*b*) I Par. V, 25.

sensus literalis notionem animo imbiberint. Nonnullis enim is solummodo est sensus literalis, quem verba secundum propriam significationem accepta referunt ; quibus proinde sensus translatus non est literalis, ideoque negant literalem sensum omnibus scriptorum sacrorum enuntiationibus subesse (24), atque inde Lyranus (23) haec scribebat : *Alicubi vero non habet (scriptura) literalem sensum proprie loquendo* (*a*); apologum vero Ioathami (*b*), cuius tamen sensus est literalis et translatus, profert veluti exemplum sensus mystici. Quamquam revera Lyranus non repugnet, quominus sensus parabolicus, ideoque et quilibet translatus sensus, speciebus sensus literalis adnumeretur, atque ita a se factum interdum esse fateatur. Alii , quos inter Thomas (*c*) , de quo tamen quae inferius (49) disputabimus , expende , illum dicunt literalem esse sensum , quem Spiritus sanctus auctor scripturarum intendit ; his vero et ipse spiritalis sensus debet literalis haberi, quum illum non minus quam hunc Spiritus sanctus intendat, ideoque ex ipsorum sententia numquam deesse potest scripturis sensus literalis, qualem ipsi esse definiunt, at, qualem nos definimus, an possit deesse, eorum definitio non docet. Alii demum illum dumtaxat sensum literalem esse autumant, quem ipse scriptor sacer in mente habuit, verbisque exprimere voluit; putant enim alia quoque praeter ea, quae scriptor ipse exprimebat, Spiritum sanctum voluisse exprimere, nec tamen haec κατα ῥητον significari; quam sensus literalis informationem qui in animo habent, et ipsi eum nullis scripturarum partibus non subesse credunt, quum secus dicendum foret aliqua verba ab auctore fuisse descripta, quin aliquid is vellet enuntiare.

30. Ut igitur quaestio isthaec , an sensus literalis singulis insit partibus scripturarum , recte habeatur , definitioni sensus literalis , quam dedimus (2), erit insistendum, quo in tuto quoque manebit sententia nostra de ea re, quae in quaestione est. Rationes vero aliae et patrum testimonia, quae eam magis confirmant , afferentur , ubi de spiritali sensu agendum erit (*d*) , ac melius et clarius ea tunc percipientur.

(*a*) L. c.
(*b*) Iudic. IX , 8. 15.
(*c*) 1. q. 1. a. 10. c.
(*d*) Cc. VIII seqq.

QUAESTIO II

An in scripturis enuntiationes sint, quibus multiplex sit sensus literalis.

31. Quibusdam enuntiationibus scriptorum sacrorum, non unicum, sed multiplicem esse sensum literalem, non pauci fuerunt, ac sunt, qui certum habent. Modum autem omnem hac in re praetergressi sunt Reformatorum bene multi Cocceium ducem sequuti, cuius sententia est, quod *verba scripturae tantum significant ubique, quantum significare possunt* (*a*). Nostra aliter est sententia, nihil libros sacros, quod ad sensus literalis naturam ac veluti indolem, differre a ceteris libris, sed sensum hunc eodem modo se in illis atque in his habere. Nec alio, nisi ut istud evincamus, pertinet quaestio ad quam aggredimur. Quamobrem iam nunc animadvertere iuvat, si quae nobis argumenta opponantur, quibus aeque conficere sit, libris quibuslibet aut sermonibus multiplicem sensum quandoque subesse, ea nihil habere momenti contra sententiam nostram. Nunc itaque primo expendemus momenta rationum, quibus ducitur contraria pars. Deinde caussam rationemque exponemus sententiae nostrae. Postremo capita omnia scripturarum sacrarum, quibus sensus literalis esse multiplex putatur, in certas veluti species distribuemus, ac disquiremus summatim atque universe, quid de unaquaque specie sentire oporteat.

ARTICULUS I

Argumenta, quibus id affirmari solet.

32. Augustinus omnium primus docuit, Spiritum sanctum adeoque ipsos auctores θεοπνευστους in scripturis sacris ita subinde esse loquutos, ut una enuntiatione plures simul sententias, easque literales, exprimere voluerint. Thomas Aquinas Augustino plane assentire creditus est. Augustini autem et Thomae coniuncta auctoritas tantum non omnes biblio-

(*a*) Ap. *Bauer*. Hermen. sacr. §. 9. p. 43.

rum enarratores atque theologos in eam sententiam posterioribus aetatibus pertraxit. Quin et scita pontificum, qui in aedibus lateranis concilium quarto habuerunt, ad hanc sententiam accommodare quidam conati sunt. Aliquot denique bibliorum verba, quae testimonio ipsorum scriptorum θεοπνευστων de duobus plane diversis dicta fuisse novimus, rem totam conficere visa sunt. Age vero, singula haec argumenta consideremus.

§. I

Scripturae.

33. Ut autem a scripturis exordiamur, ex omnibus earum sive sententiis, sive narrationibus, sive oraculis, tria examinanda seligimus, utpote praeter quae nulla alia producantur aliquid momenti huic disputationi afferentia; cetera vero quomodo sint intelligenda, docebimur iis, quae disserentur, ubi ea atque alia, quae possent produci, in certas veluti species distribuemus (73 seqq.). Tria vero illa ad Christum solummodo respiciunt. Facile interea senties, siquidem tria tantum oracula hactenus reperta in bibliis sunt, quibus sensus literalis sit multiplex, parum omnino sive commodi accedere iis, qui aiunt, sive deperire, si tamen quid deperit, iis, qui negant vim hanc πολυσημον scripturis subesse. Si quid deperit, inquam. Quid enim? Num, quia ter quaterve ea ratione loquuti essent scriptores bibliorum, affirmandum ideo foret hanc loquendi rationem ipsis propriam esse atque usitatam, sacrisque libris in universum multiplicem esse sensum literalem? At nonne quilibet alius scriptor eodem modo loqui aliquando posset? num ideo aliis quoque libris talem sensum subesse contenderemus? Sed iam tria illa videamus.

34. Primo igitur afferunt haec Isaiae verba: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*a*), aiuntque duplicem imo et triplicem sensum his subesse, eumque literalem; iis quippe significari, ut fert ipsa sermonis series, cruciatus et tormenta, quae Christus perpessurus erat propter peccata nostra; tum etiam peccata ipsa a nobis admissa, quorum poenas, futurum erat, ut Christus lueret, prout ea Petrus interpretatur (*b*); morbos denique atque

(*a*) Is. LIII, 4. (*b*) I Petr. II, 24.

aegritudines, quas Christus divina sua virtute erat curaturus, prout verba Isaiae interpretatur Matthaeus (*a*). Sunt imo, qui primum respuant, duosque posteriores solummodo sensus e verbis illis erui contendant. Verum ante omnia, velim, memineris, neque unum reperiri inter patres, qui verba Isaiae in triplicem hunc aut duplicem sensum acceperit, nec qui, ut difficultatem declinaret, quam Petrus aut Matthaeus verba illa referentes facere dicuntur, diverticulum sibi quaesierit in multiplici verborum sensu. Quin imo tantum aberat, ut patres eiusmodi effugium sibi patere vel suspicarentur, ut ii, qui sese difficultate illa expedire voluere, sunt vero Apollinarius (*b*), Chrysostomus (*c*), Euthymius Zigabenus (*d*), Theophylactus (*e*), non dubitarint diserte adseverare verba haec in alium sensum ab Isaia fuisse prolata, in alium transcripta in novo testamento. Sic illi quidem. Nos tamen, quum hoc postremum accipere nequeamus, saltem quod attinet ad Matthaeum, utpote qui nimis aperte affirmat verborum Isaiae sensum eum esse, in quem ipse illa accepit, ait enim, id, quod verbis illis praedixerat Isaias, impletum fuisse tunc, quum Christus morbis, aegrotationibus, vitiis caelestem curationem adhiberet, nos ergo alia ratione nodum expediamus oportet. Itaque aio nullum nos negotium habere a Petri epistola. Etsi enim fuerint, hosque inter graeci interpretes, qui nomen חֳלָיֵנוּ, pro quo Hieronymus reddidit *languores nostros*, translatum crederent, illudque verterent *peccata nostra*, quos tamen ideo multiplicem significatum verbis Isaiae subiectum putasse nemo profecto arguat, non his Petrus adnumerari potest, qui, non haec, sed alia Isaiae verba, quae in illo eodem capite leguntur (*f*), imo verborum dumtaxat sententiam retulit. Sed et a Matthaeo non gravior nobis est difficultas, imo is verum germanumque sensum illius vaticinii nos docet. Ait enim illud impletum fuisse, quum Christus *eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit* (*g*). Hoc vero significare nullo modo potest posterior vaticinii pars, in qua verbum סָבַל, aeque ac verbum ἐβάστασεν a Matthaeo pro hebraico redditum, non sonat *depellere* aut *auferre*, sed *portare* seu

---

(*a*) Matth. VIII, 17.
(*b*) *Possin*. Symbolar. in Matth. T. I.
(*c*) In Matth. hom. XXVII al. XXVIII. S. 1.
(*d*) In Matth. h. l.
(*e*) In Matth. h. l.
(*f*) Is. LIII, 12.
(*g*) Matth. VIII, 16.

baiulare; ergo, prior pars illud significet, necesse est. Et re vera verbum נָשָׂא, quod in ea habetur, aeque ac latinum *tulit*, idem valere potest ac *abstulit*, idque ipsum valere etiam potest verbum ἔλαϐε redditum a Matthaeo (*a*). Sic igitur sentiendum est. Priora illa ex verbis Isaiae : *languores nostros ipse tulit*, dicta esse de nostrorum corporum malis, in quantum poenae peccati ea sunt, et significare Christum salvatorem et redemptorem nostrum mala haec a nobis prodigialiter sublaturum. Posteriora vero: *dolores nostros ipse portavit*, cruciatus, nobis quidem debitos, sed a Christo ipso perferendos, sonare. Ut tota sententia sit, fore, ut mala, quae nobis peccantibus debebantur, Christus a nobis quidem depelleret, ipse vero sustolleret, ac pateretur, quo elegans antithesis exsistit.

35. Alterum oraculum, quod nobis opponunt, est illud eiusdem Isaiae (*b*): *Generationem eius quis enarrabit?* idque aiunt in duas sententias esse necessario accipiendum, quia ita patres acceperunt, atque utramque Verbi divini generationem eo significari. At mihi potius videtur unica huic subesse significatio, quae utramque simul Verbi generationem designet. Neque enim, quum legimus in libro geneseos : *Hic est liber* GENERATIONIS *Adam* (*c*), putamus plures his verbis inesse sensus, quia eo loco, non de una, sed de pluribus Adae imo et ceterorum omnium patriarcharum generationibus sermo sit. At de hoc oraculo denuo inferius (75) loquendum erit; interea haec etiam attende. Verum utique esse, oraculum istud aeque posse ad alterutrum illorum spectare, quum nulla ratio nos affirmare cogat id de uno potius quam de altero fuisse prolatum, non tamen ex hoc consequens fieri prolatum simul esse de utroque, multoque minus ideo duplicem sensum praeferre, quod nullo argumento potest confirmari. Urgent quippe patrum auctoritatem; attamen habent ne illos omnes consentientes? Nullo modo. Nam, quum quinque supra sexaginta patrum scripta pervolverim, ut eorum circa verba haec sententiam deprehenderem, undecim tantummodo ex his reperi, qui expresse scripserint, oraculum

---

(*a*) Conf. Matth. V, 40; XV, 26; Apoc. III, 11; praesert. II Cor. XI, 20; Apoc. VI, 4.

(*b*) Is. LIII, 8.

(*c*) Genes. V, 1.

illud de utraque Christi generatione dictum esse, quatuor, qui pro re, de qua agebant, illud exposuere aliquando tamquam dictum de divina generatione, aliquando tamquam de humana. Ex reliquis vero, unus quid senserit, incertum est, unus aliud omnino sensit, isque est Hugo a Sancto Charo (*a*), duo, quorum unus Hieronymus est (*b*), aiunt alterutram generationem hoc oraculo significari, unus significari incarnationem, tres generationem humanam, duo denique supra quadraginta divinam. Quamvis autem, quia patres isti postremo loco memorati Isaiae verba tamquam ad unam e duabus Verbi generationibus pertinentia exposuerint, negare ideo nequeamus sensisse eos, ad alteram etiam eadem haec pertinere, attamen multo minus id licet affirmare. Satis ergo perspicuum est, quid patrum auctoritas afferat momenti, quo duplicem significationem illi oraculo affingamus.

36. Veniamus denique ad illud ex psalmis desumptum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*c*), cui etiam triplex sensus inesse dicitur, quod Paulus eo usus sit ad haec tria confirmanda, Christum esse filium Dei (*d*), aeternum ipsi concessum sacerdotium (*e*), eumque post mortem revixisse (*f*). Nos tamen putamus verba psaltae nullum alium sensum continere praeter primum ex hisce tribus. Etenim Paulus loquens de Christi sacerdotio, nequaquam haec adhibet ad rem confirmandam, sed in ea veluti incidit, quod legentibus facile apparet; sic enim habet: *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ex quo tamen videas non inconsulto haec adiici a Paulo, sed ideo, quia divina Christi υἱότης, quae per ea significatur, ut aliarum omnium Christi excellentiarum, ita et sempiterni sacerdotii, quo fungitur, sit quoddam veluti fundamentum (*g*). Eadem ferme ratione diluimus, quod ex Actis depromptum nobis opponunt. Etsi enim Paulus psaltae testimonio illic utatur, ut probet Christum revixisse, non ex hoc consequitur verba psaltae de Christo in vitam resurrecturo dicta esse; num enim, quia ex universi creatione ad demonstrandam Dei potentiam, aut ad demonstrandam misericordiam

(*a*) In h. l.
(*b*) In h. l.
(*c*) Ps. II, 7.
(*d*) Heb. I, 5.
(*e*) Heb. V, 5.
(*f*) Act. XIII, 33.
(*g*) Conf. Hebr. V, 5 et 8-10.

ex Iesu Christo cruci fixo argumenta petimus, ideo concludas, nomini *creationi* notionem esse *potentiam*, aut *crucifixioni misericordiam ?* Sed neque Paulus, ut illud probet, psaltae verba usurpat, quasi is ea de re loquatur, sed quia huius verba continent caussam rationemque, cur Christus nullo pacto potuerit non reviviscere. Quod si ita sit, ecquis non sentiat maius omnino pondus Pauli argumentationi advenire, quam si ipsam Christi ἀνάστασιν verba psaltae significarent? Si enim hoc alterum foret, probasset utique Paulus Christum revixisse; at, si nostra stet interpretatio, non modo revixisse probavit, sed insuper non potuisse non reviviscere (*a*). Iuvant praeterea nos Beda, Lyranus, Dionysius Carthusiensis, Caietanus, qui scribunt, hoc testimonium a Paulo in Actis adhiberi tamquam Christi divinitatem comprobans (*b*). Lectu tamen digna sunt ea, quibus Hilarius (*c*) verba psaltae tamquam dicta de Christo in vitam reduce interpretatur.

37. Huc fortasse spectaret quoque vaticinium Ieremiae(*d*), quo is loquutus esse videtur de Iudaeis in servitutem abductis a Nabuchodonosore, quodque Matthaeus interpretatur veluti dictum de clade puerorum Bethlehemitarum (*e*). Sed quoniam huius loci difficultas, non tam ex multiplici significatione vaticinio afficta, quam ex eo est, quod nullo modo id significare posse videatur, quod ait Matthaeus, atque hinc quidam aetate praesertim nostra arguant scriptores novi testamenti accommodasse rebus, quas narrabant, vaticinia veterum prophetarum, alias opportunior dabitur de vaticinio hoc disputandi locus (408. 409).

38. Vides igitur praecipua, quae congeruntur, tamquam in plures sensus accipienda, nihil conficere. Non igitur explodendum est alterum ex argumentis, quibus Michaelem de Medina (*f*) opinionem hanc refutasse refert Vasquez: *Inductione constare potest, nullum esse scripturae testimonium, quod sub eadem litera plures sensus literales reddat. Frustra igitur de aliquo in genere id concedendum est (g).*

(*a*) Conf. Act. II, 24.

(*b*) Apud *Vasquez* in Thom. 1. q. 1. disputat. XVIII. c. 2.

(*c*) In Ps. II. §§. 27-30.

(*d*) Ier. XXXI, 15.

(*e*) Matth. II, 17. 18.

(*f*) De recta in Deum fide L. VI. c. 25.

(*g*) Ib. disp. XVII. c. 1.

§. II

Concilium lateranense IV.

39. Cornelius a Lapide (*a*) affirmat sententiam illam de sensu scripturarum multiplici simulque literali fuisse patribus, qui quarto concilium in aedibus lateranis habuerunt (*b*). Ab his quippe, ait ille, ex solis hisce verbis *In principio* duo confecta sunt, *quod mundus inceperit*, *quasi* τὸ in principio *significet principium temporis*; *et quod nihil ante mundum sit productum*, *quasi* τὸ in principio *idem sit*, *quod ante omnia*. Non equidem negaverim patribus illis, quum haec credenda decernerent, ante oculos testimonium illud Moysis obversatum fuisse; videas tamen istud ne memorari quidem, ne dum produci, a concilio. Quod si productum fuisset, arbitror nos in eo concilii decreto non solum voces *in principio* lecturos fuisse, sed *in principio creavit*, ita ut ex vocibus *in principio* concluderetur nihil ante mundum fuisse creatum, mundus vero ipse esse coepisse, non ex his vocibus, sed ex verbo *creavit* argueretur. Tum Vasquez (*c*) negat utramque illam quaestionem a concilio fuisse definitam, idque alio loco plane demonstrat (*d*).

§. III

Augustinus.

40. Sed, qui prae ceteris plus negotii nobis facessere videtur in hac quaestione, Augustinus est, etsi, non tam probationum, quam auctoritatis suae momento. Etenim in libris Confessionum, postquam fusius disputavit de diversis significationibus primarum vocum geneseos: *In principio creavit Deus caelum et terram*, ita concludit: *Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio*,

(*a*) In Pentat. can. 36.
(*b*) Cap. *Firmiter* de Summa Trinit.
(*c*) L. c. disp. XVIII. c. 3.
(*d*) Ib. disp. CCXXIV. c. 4.

si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, ut, quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem caeteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam praeceps esse, ut hoc illum virum (Moysen) de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest (a).

41. Opinionem vero hanc in libris de Doctrina christiana sic plenius explicat: *Quando autem ex iisdem scripturae verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet, quid senserit ille, qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri potest . . . . Ille quippe author in eisdem verbis, quae intelligere volumus, et ipsam sententiam forsitan vidit, et certe Dei Spiritus, qui per eum haec operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo, ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari? (b).*

42. Iam vero, quod ad ipsam Augustini opinionem attinet, velim, primo consideres, quam angustos intra terminos ab Augustino ipso illa coarctetur. Vix enim ultra loquutiones translatas eam protendi docemur his, quae de propriis loquutionibus ipse scribit: *Rarissime igitur et dificillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum scripturarum spectat* (c); at, si neque ambiguitas in his invenitur, multo minus plures inde sensus certo elicere erit. Imo neque de omnibus loquutionibus translatis illud sensisse Augustinum, sed de ambiguis solummodo et obscuris, praeterquam quod ipsa rei natura clamat

(a) Confess. L. XII. c. 31.
(b) Doctr. chr. L. III. c. 27.
(c) Ib. c. 4.

quodammodo, palam insuper est ex eo, quod ipse idem scribit, illud fieri, *quando ex iisdem scripturae verbis, non unum quid, sed duo vel plura sentiuntur*, et *latet, quid senserit ille, qui scripsit*, utque illud fiat, *unam veram sententiam* minus aperte a sacris scriptoribus enuntiari. Praeterea Augustinus haec alias loquutus est: *Divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit* (a). Totum autem id ipse Augustinus re confirmat; opinionem quippe illam suam deprompsit, quum post propositas plures ac diversas significationes primorum verborum geneseos incertus ac dubius haereret, quamnam ceteris praeferret. Denique is postulat, ut, si plures sensus alicui scripturarum loquutioni inesse contendamus, singulorum veritas aliis sacrorum auctorum testimoniis comprobetur; id nos monet sub initium argumentationis, id sub finem, id demum fluit ex his, quae continuo subdit: *Ubi autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat, ut ratione reddita manifestus appareat, etiamsi ille, cuius verba intelligere quaerimus, eum forte non sensit; sed haec consuetudo periculosa est (b).*

43. Sed illud caute cum primis est attendendum, ut Augustinus positum habuerit scriptorem θεόπνευστον imo ipsum Spiritum sanctum, ad plures sententias una enuntiatione exprimendas, studiose appositeque verba et loquutiones accommodasse atque ordinasse. Ut enim id aliter fieri non potuisset, ita, non aliter factum esse, Augustinum manifestum est sensisse, dum haec diceret: *Sic mallem scribere, ... quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem ceteras* (40). Enimvero tali ratione in ceteris quoque libris posset sensus literalis esse multiplex, si, inquam, auctor eo consilio aliquid scripsisset iisque verbis ac loquutionibus, ut plures simul sententias propositio eius exhiberet. At, si sic foret, iam de toto hoc negotio inter nos plane conveniret, quum id solum evincere nobis propositum sit, sensum literalem non alio modo in bibliis, ac in ceteris libris, habere, neque di-

---

(a) De civ. Dei L. XI. c. 19. (b) Doctr. chr. L. III. c. 28.

versam in utrisque eius quasi indolem esse atque naturam (31). Fieri ergo utique potuit, ut Spiritus sanctus ipsique scriptores bibliorum eo modo loquerentur. Quum tamen id abhorreat a more loquendi et scribendi, quaestio adhuc est, num praeter morem hunc illi egerint. Quamobrem videamus iam, quibus argumentis ita eos egisse probet Augustinus.

44. Ait primo, illud esse ex dignitate eius, qui *ad culmen auctoritatis aliquid* scribit. Sed caussa haec speciosior fortasse quam vera videatur. Quid enim illi dignitati conferat una enuntiatione ea omnia exprimere, quae certius, plenius, et clarius exprimeres pluribus? Quid conferat ea ratio dicendi, quae minus clarum efficeret sermonem, quae quid inutile ac veluti ioculare prae se ferret, quae ipsi sermonis et loquutionis naturae adversaretur? Haec enim omnia πολυσημους istas enuntiationes peccaturas fuisse, ubi locus erit, demonstrabimus (71). Nec aliis praeterea opus est, quibus intelligas, quid sentire oporteat de postremo illo argumento, quod nihil *in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis* (41).

45. Alterum argumentum ab Augustino productum illud est, quod Spiritus sanctus alteram quoque sententiam *occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo, ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit.* Enimvero, quod illud praeviderit Spiritus sanctus, aliud longe est, quam quod sententiam illam verbis subiecerit. Ut autem lectori ea occurreret, providit procul dubio, sed providentia illa universali, sine qua nihil fit in rerum natura; an autem etiam, ut est auctor bibliorum, qua ratione probetur? *Quia*, inquit, *et ipsa est veritate subnixa.* Ergo sententia Augustini est, sicut apparet etiam ex iis, quae protulimus (40) ex libris Confessionum (*a*), Spiritum sanctum ita loquutum esse in bibliis, ut una enuntiatione exprimeret *quidquid veri* ex ea colligi posset. Verum, rem sic habere, demonstratio desideratur. Nisi forte confugiendum denuo sit ad argumentum petitum ex dignitate auctoris atque operis, quod iam superius examinavimus (44).

(*a*) V. et Confess. L. XII. c. 26.

46. Quae quum ita sint, liceat nobis omni ea reverentia, qua Augustini auctoritatem sane gravissimam prosequamur, oportet, ab eo hac in re dissentire; quod temere factum nemo unquam arguere poterit, quandoquidem neque unum inter omnes veteres patres reperire sit, quem constet cum Augustino sensisse, idque ipse Augustinus prodit, dum in libris Confessionum, ubi primo suam hanc sententiam proposuit, ita loquitur, ut quid *novum*, *recens*, *indictum ore alio*, sed sibi proprium atque a se excogitatum, eum dicere appareat manifesto, neque ut qui testis est doctrinarum a maioribus traditarum, sed ut qui privam sibique peculiarem sententiam aperit.

§. IV

Thomas.

47. Sed et Thomas nobis adversari creditur, quia haec scripsit: *Non est inconveniens, ut dicit Augustinus* 12 *Confessionum, si etiam secundum literalem sensum in una litera scripturae plures sint sensus* (*a*). Ego vero adversari nobis Thomam minime credo, imo nobis suffragari teneo firmissime.

48. Etenim, quod iuvat animadvertere, et quidem ante omnia, eo *articulo* non quaeritur, utrum unus aut multiplex sit sensus literalis bibliorum, quod nemo non videt, qui legat tum ea, quae principio opponuntur, tum testimonium Gregorii ad fidem faciendam prolatum, tum reliquum *articuli corpus*, ut vocant, tum denique responsa, imo vel ipsum titulum *articuli*, qui non est: An in una eademque enuntiatione plures sint sensus literales, sed: *Utrum sacra scriptura sub* una *litera habeat plures sensus*, quae duo valde discrepant inter se.

49. Deinde facile deprehendimus Thomam ea protulisse, non tam de sua, quam de Augustini sententia, atque eius auctoritate veluti compulsum; protulit enim extremo sermone, nec nisi obiter, et quin sive prius, sive post, sive inter ea, quae initio opponit,

---

(*a*) 1. q. 1. a. 10. c.

quaeve in fine reponit, vel unum verbum diceret de illa opinione. Vides etiam, quam aliter, ac fecerit Augustinus, eam enuntiet; non enim ait sensum literalem scripturarum esse multiplicem, sed *non esse inconveniens*, si sit talis. Ut autem opinio ista probabilis fiat, nomen *literalem* in alium sensum accipit Thomas, quam in toto illo capite, aliamque eius sensus definitionem facit, ac fecerit antea. Quum enim prius dixisset literalem significationem eam esse, *qua voces significant res*, postea, ut opinionis illius ratio aliqua appareret, sic eamdem hanc significationem definivit: *Sensus literalis est, quem auctor intendit.* Iam vero secundum priorem definitionem re non aliam, ut patet ex integra Thomae ratiocinatione, illa, quam fecimus (2), sensus literalis is est, qualem ipsi descripsimus, distinctum a spiritali, quem etiam Thomas continuo definit, re ipsa sicut nos definivimus. At secundum definitionem posteriorem, quod etiam Salmeron noster (*a*) animadverterat, spiritalis sensus a literali non distingueretur, sed et ille habendus et vocandus esset literalis ex ea parte, quatenus etiam sensum spiritalem *auctor (Spiritus sanctus) intendit*, ideoque ex altera hac definitione nomen *literalis* significationem habet diversam ab illa, quam habet in toto *articulo*. Haec tamen definitionis notionisque mutatio necessaria, inquam, erat, ut illius opinionis ratio aliqua appareret.

60. Nam, quod insuper plane evincit Thomam a nobis stare, palam est eum hoc loco negare multiplicem esse in scripturis eum sensum, qui secundum priorem definitionem literalis habendus est. Thomae enim propositio haec est: *Significatio*, QUA VOCES SIGNIFICANT RES, ... *est sensus* .... *literalis* (*b*); assumptio: *Sensus* .... NON MULTIPLICANTUR *propter hoc*, *quod* UNA VOX MULTA SIGNIFICET (*c*). Quaenam vero horum complexio sit, nisi haec: Ergo sensus literalis multiplex non est. Ne vero regeras Thomam negare, *quod una vox multa significet*, quod attinet dumtaxat ad sensum spiritalem, veluti diceret, sensum spiritalem non eo esse multiplicem, *quod una vox multa significet*. Nequaquam sic est Thomae argumentatio. Sed demonstrare vult, *quod multiplicitas horum sensuum*

(*a*) Prolegom. XIX. p. 339.
(*b*) L. c.
(*c*) Ib. ad 1.

(spiritalium) non facit aequivocationem (a). Cur vero non faciat? *Quia . . . . sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet*. Si ergo una vox multa significaret, id est, si plures essent unius enuntiationis sensus literales, *aequivocationem*, ut Thomas loquitur, ii facerent. At eam fieri ipse negat. Negat ergo plures esse sensus literales in scripturis (*b*). Vim huius ratiocinationis probe sensere, qui *Summam* Thomae sunt interpretati, sed eam diluere, quantumvis conarentur, adeo nequiverunt, ut ipse Bannesius, qui acrius fortasse prae ceteris in nostram sententiam invectus est, haec tandem dixerit: *Neque enim negandum est aequivocationem esse, si una oratio plura nobis significet per modum plurium (c)*, idque ita esse non modo fatetur, sed acriter contendit Mariales: *Scripturam, ut est indifferens ad plures sensus litterales, esse vere aequivocam . . . . esseque ineptam ad arguendum (d)*. Atque hinc est illud, quod narrat Silvester de Prierio: *De hoc enim viri magni nonnunquam dissentiunt. Et omissis aliis, etiam eorum, qui sequuntur doctrinam sancti Thomae, quidam tenent partem affirmativam, quidam vero negativam; et secundam tenentes partem moventur ex verbis eiusdem sancti Thomae (e)*.

51. Quid igitur? Num Thomam uno eodemque loco pugnantia inter se scripsisse dicam? Enimvero nihil a me longius abest, quam iniuriam hanc clarissimo scholarum nostrarum lumini velle irrogare, quem utinam omnes, ut ego, suspicerent, ac venerarentur. Quin imo istud illi audent, ac peccant, ut Thomam veluti ipsum sibi committant, qui verba eius, quae interpretamur, in contrariam sententiam pertrahere conantur. Ego vero, ne quid tale admittam, nego, et pernego, verbis illis affirmasse Thomam multiplicem esse scripturarum sensum literalem, sed solum *non esse inconveniens* sensum hunc talem esse. Velint enim, aut nolint, hoc unum Thomas pronuntiat, haec enim sunt ipsa eius verba; idque ipsum cum Thoma sentire me profiteor.

52. Nec confidat quis me manus dediturum, dum mihi opponet Thomam enarrantem primum verbum geneseos (*f*), quod, inquit,

(*a*) Ib.
(*b*) V. 3. q. 60. art. 3. ad 1.
(*c*) In Thom. 1. q. 1. art. 10. dub. 7.
(*d*) Biblioth. interpretum in Summam Thomae 1. q. 1. a. 10. controv. XI. c. 5.
(*e*) Rosa aurea Tract. I. c. 6.
(*f*) 1. q. 46. a. 3. c.

tripliciter exponitur. Primo enim aio, aliud omnino esse *tripliciter exponi*, aliud triplicem sensum habere, illud dixisse Thomam, non hoc; quot autem alia sunt in scripturis, quae non in triplicem modo, sed et in plures etiam sensus *exposita* invenimus apud diversos scripturarum enarratores, quin tamen, quisquis aliquid sapit, putet ea in omnes simul illos sensus esse accipienda, omnesque his iisdem subesse. Tum verba illa geneseos ea ipsa sunt, quibus multiplicem sensum tribuit Augustinus, et ex quibus occasionem nactus est sententiae illius suae excogitandae; tresque verborum illorum interpretationes, quas refert Thomas, de numero sunt illarum ipsarum, quas Augustinus habuit (*a*). Ceterum, quid sibi velit hoc Thomae dictum, plane, arbitror intelliges, si legas quaestionem LXI (*b*). Denique damus, si id volunt, adversariis nostris primis illis geneseos verbis tot sensus subesse, quot eorum interpretationes leguntur apud Thomam; quid enim? nonne praediximus nonnullas scriptorum sacrorum enuntiationes πολυσήμους, si quae sunt, non magis obesse sententiae nostrae, quam prodesse contrariae, rationemque, cur neque obsint illi, neque huic prosint, manifestissimam indicavimus (33)?

53. At enim, ut Thomam adversae parti concedam, ea me compellent, quae is scripsit in *Quaestionibus disputatis* (*c*). Minime vero. Testis est enim Caietanus (*d*), imo, ut narrat Ioannes a Sancto Thoma, qui testem quoque appellat Petrum de Bergomo (*e*), *communis traditio est divum Thomam summam theologiae ultimo vitae suae tempore composuisse, . . . sicque doctiorem se ipso factum in aliquibus Summae locis meliorasse sententias* (*f*); atque hinc illud scitum Thomistarum: *Non est tenendum, quod alibi dixit (Thomas), quae enim dicit in Summa, sunt tenenda* (*g*). Ego vero et illud nego, Thomam eo loco adserere sensum multiplicem simulque literalem, qui certo subsit scripturis sacris, sed solum vetare, ne verba in unum sensum accipienda esse a-

(*a*) Confess. L. XII. cc. 20. 28. 29.
(*b*) 1. q. 61. art. 3. ad 3.
(*c*) De potentia Dei q. 4. art. 1.
(*d*) In Thom. 3. q. 6. art. 6.
(*e*) Concordant. Tabulae aur.
(*f*) Curs. theologic. Approbatio doctrinae D. Th. Disp. I. art. 5; V. *De rubeis* De gestis et scriptis ac doctr. s. Thom. Diss. XIII.
(*g*) *Franciscus de Silvestris Ferrariensis* in Thom. Contr. gent. L. III. c. 102. §. Ad argumenta autem.

deo contendamus, ut alios, qui probabiles sunt, respui velimus, idque quum nullus horum sensuum certus omnino est atque indubius. Mittam equidem, quod sensus isti a Thoma eo loco *literales* non dicantur, quodque de illis ita loquatur: possunt, salva *circumstantia literae, scripturae* aptari . . . . *Utrumque sensum circumstantia literae* patitur. Illud quaero, num quis doctrinam hanc Thomae audeat affingere, subesse quandoque scripturis plures simul sensus eosque contrarios atque inter se pugnantes. Atqui id faciat, oportet, qui illud affirmat, quod ego nego. Etenim eo loco ait Thomas illis verbis geneseos: *Terra autem erat inanis et vacua* (*a*), significari posse informem materiam, quae *in potentia* adhuc foret *ad omnem formam*, adeoque omnis formae expertem, quaeque *in actu* iam esset, atque ideo aliqua forma iam praedita, ac solum formae perfectione destituta; quae duo, quum pugnent inter se, poterit aeque eorum alterutrum illis verbis significari, non tamen simul ambo; quod probe sentiens Xantes Mariales, dum locum hunc explanat, illamque sententiam defendit, concludit tamen alteram solummodo illarum significationum verbis Moysis subesse (*b*).

54. Denique, si Thomas sensisset cum adversariis nostris, eccur in suis Commentariis de scriptura sacra neque unum huius verbum ita interpretatus est, ut cuius duplex sensus isque literalis esset, sed alter literalis, alter spiritalis aut κατ' ἔκβασιν (*c*)?

§. V

Theologi et interpretes scripturarum.

55. Theologis atque interpretibus scripturarum quam plurimis hanc sententiam adhaesisse, neminem latet. Hoc autem uni Thomae auctoritati, aut praecipue saltem, deberi, qui sententiam hanc olim ab Augustino excogitatam, mox sequentium aetatum oblivione pressam, tandem veluti resuscitavit, atque amplecti creditus est, appa-

---

(*a*) Gen. I, 2.
(*b*) In Thom. h. l. p. 277. col. 2.
(*c*) V. in Ierem. XXXI, 15; Matth. II, 15. 18; Io. XIX, 36; Hebr. I, 5.

ret eo maxime, quod, ut nemo illorum omnium Thoma aetate prior fuit, ita omnes hunc se, plerique simul et Augustinum, auctorem sententiae huius habere profitentur.

56. Sed ratio quoque consideranda est, qua in hac quaestione se gerunt, quaeque et illud ipsum comprobat, quod modo diximus, maximam eorum partem, ut sic sentiant, auctoritate illa veluti cogi atque compelli, et minime apta imo inepta prorsus apparet ad fidem opinioni illi conciliandam. Etenim quidam non ut suam eam referunt, sed ut alienam (*a*). Alii admodum aegre ac veluti reluctantes eam defendunt (*b*). Pauci omnino certam illam habent, sed vel valde probabilem dicunt (*c*), vel probabilem (*d*), vel satis probabilem (*e*), vel non improbabilem (*f*). Sunt, qui eam intra terminos omnino angustos coarctent, puta, non ultra quaedam vaticinia proprie dicta (*g*). Bene multi, dum eam verbis adserunt, re destruunt; hi vero sunt, qui aiunt nomen *sensum* in hac quaestione, non verborum vim et significatum, sed actionem sonare, qua mens intelligentias concipit (*h*); qui sensum quoque spiritalem habent pro literali (*i*); qui iubent unum dumtaxat e literalibus sensibus habere praecipuum (*l*); qui vetant, ne plures huiusmodi sensus simul recipiantur, nisi ex auctoritate scriptorum sacrorum, vel ecclesiae, vel patrum (*m*), quae auctoritas, quod ad hoc attinet, nusquam comparet; qui in suis commentariis sive interpretationibus scripturarum, sunt autem harum interpretes fere omnes, neque unum verbum vel in ipsis capitibus celebrioribus,

---

(*a*) V. ex. gr. *Canus* Loc. theologic. L. VII. c. 4. *Mellini* Institut. bibl. P. I. Diss. III. c. 2. art. 3.

(*b*) Ex. gr. *Vasquez* in Thom. 1. q. 1. art. 10. disp. XVII. c. 3; XVIII. c. 6. *Esparza* Curs. theol. Prooem. art. 39.

(*c*) Ex. gr. *Molina* in Thom. 1. q. 1. art. 10. disp. III.

(*d*) Ex. gr. *Gillius* Commentat. theol. L. I. tract. VII. c. 4. n. 6.

(*e*) Ex. gr. *Zagaglia* Curs. theol. T. I. disp. VIII. sect. 4. n. 38. *Mellini* l. c.

(*f*) Ex. gr. *Bellarminus* De verbo Dei L. I. c. 3.

(*g*) Ex. gr. *Tobenz* Institut. sacr. script. P. II. diss. XI. §. 10.

(*h*) Ex. gr. *Nazarius* in Thom. h. l.

(*i*) Ex. gr. *Tostatus* in Matth. II. q. 57 coll. in Ex. XII, 46 et Os. XI, 1.

(*l*) Ex. gr. *Thomas Pius* in Thom. h. l. dubit 5. n. 6. *Neesen* Univ. theolog. quaest. prooemial. 8. *Liebermann* Institut. theol. T. II. Demonstrat. relig. cath. P. II. c. 1. art. 3. §. 2.

(*m*) Ex. gr. *Eustachius a sancto Paulo* Summa theologiae tripart. Quaestiones prooemial. q. 6. p. 35. *Perrin* Manuale theol. P. I. tract. de virtutib. theol. c. 12.

quae cum illa opinione facere putantur, in sensum duplicem simul et literalem certo accipiendum dicunt, sed vel negant alterutrum sensum literalem esse, vel affirmant esse spiritalem, vel etiam fuisse rebus aliis accommodatum; qui denique aut diserte pronuntiant pauca omnino haberi in scripturis, quibus multiplex iste sensus subsit (*a*), aut sex septemve ut plurimum enuntiationes ex illis corradunt, in quibus id fieri contendunt, quorum in numerum omnes huius sententiae patronos referre non dubitem, quandoquidem inter quinquaginta supra centum, quot ut minimum consului, neque unum reperi, qui alias praeter illas sex aut septem enuntiationes ad opinionem suam confirmandam attulerit (33).

57. Quid vero de iis dicam, qui, dum modum explicant, quo sensus literalis, prout ipsi autumant, multiplex fit, nisi ineptire, certe iocos legentibus dare videntur? Aiunt enim talem esse sensum illum, quia codices hebraei olim sine *punctis vocalibus* scribebantur (*b*), quia quaedam verba bibliorum aequivoca sunt (*c*), quia illa diverse in alias linguas transferri possunt, ac translata re ipsa sunt, puta, a graecis interpretibus atque a latinis, e contrario autem verbum usurpatum ab interprete latino vim aeque referat tum verbi hebraici, cui respondet, tum verbi a graeco interprete usurpati, quamvis ab hebraico discrepantis (*d*), quia subinde tum propria tum translata verborum significatio simul obtineat, sicut quum virum grandi naso simul et sagacem *nasutum* vocamus (*e*), quia varia ratione sententiae interpungi aliquando possunt (*f*). Quibus in commentis, quid enim aliud ea vocem? neque Augustinum, neque Thomam auctorem se habere homines illi fateantur, necesse est.

68. Sed neque in eo, quod omnium maxime peccant, ut, dum toti sunt in multiplicando sensu literali, spiritalem, quem tamen non

(*a*) Ex. gr. *Bannes* in Thom. h. I. dub. 7. *Vasquez* in Thom. h. l. disp. XVIII. n. 3. *Tamarit* Flores theolog. in I Sententiar. Prolog. q. 15.

(*b*) *De bugis* Tract. de Deo L. I. c. 5. n. 10.

(*c*) *Huygens* Theolog. tract. III. c. 4. n. 4.

(*d*) *Cauvinus* Disputation. theologic. in prim. part. Summae theolog. s. Thom. tract. I prooemial. disp. III. q. 2. §. 5.

(*e*) *Huygens* l. c.

(*f*) *Boyvin* Theolog. quadripart. Scoti P. IV. seu Positivae P. I. Disp. I. c. 3. q. 4.

aliter, ac Thomas fecit, describunt, atque adserunt, parum sibi consentanei nec opinantes sustollant, sicut alii iam animadverterunt, atque inter hos Pererius noster (*a*). Etenim tamquam in sensum duplicem et literalem accipiendas congerunt enuntiationes illas, quibus duplex utique sensus est, sed alter literalis alter spiritalis, atque etiam expresse dicunt in his eum e duobus sensibus literalibus primarium esse, quem patres *mysticum*, id est, spiritalem, vocabant (*b*). Lege, exempli caussa, quae narrant de Ex. XII, 46 et Io. XIX, 36, de II Reg. VII, 14 et Hebr. I, 5, de Os. XI, 1 et Matth. II, 15. At, si haec aliaque huiusmodi sic intelligere oportet, ut illis placet, quaenam, sodes, ea erunt, quibus sensum spiritalem certo, id est, testimonio ipsorum scriptorum θεοπνεύστων, subesse dicamus? Nonne sensus, in quem illa acceperunt scriptores novi testamenti, is est, qui, non ex verbis, sed ex re, quam verba significant, colligitur? At, qui ex re colligitur, nonne, ut illi ipsi cum Thoma docent, sensus est spiritalis? Respondent quidem, illa in sensum spiritalem accepta a scriptoribus novi testamenti nequaquam fuisse, quia ad aliquid probandum ab illis afferuntur. At, dum ita ratiocinantur, ponunt argumenta peti non posse ex testimoniis scripturarum in sensum spiritalem acceptis, quod tamen, non modo falsum est, ut alias demonstrabimus (383 seq.), sed et contra id, quod ipsi docent cum omnibus ferme theologis, posse etiam ex illiusmodi testimoniis peti argumenta, quum spiritalis eorum sensus certus est. An vero certus esset, ignorare ne poterant scriptores illi?

ARTICULUS II

Sensus literalis scripturarum multiplex non est.

59. Nunc rationes caussasque referam, quibus adducor, ut negem sensum literalem, qui multiplex sit, scripturis subesse. In qua sententia defendenda aperte profiteor certum mihi esse atque exploratum, me ne latum quidem unguem ab iis deflectere, quae in *Summa*

(*a*) In Genes. XV. nn. 22-25.

(*b*) *Capponi* in Thom. 1. q. 1. art. 10.

theologiae scripsit ille ipse Thomas, cuius patrocinium sibi arrogant adversarii (47). Iuvat autem et illud praemonere, tametsi pro comperto est opinionum discrepantiam in hac disceptatione repetendam quandoque esse ex diversis notionibus uni eidemque nomini afflictis, nunc non quaeri, sicut quidam putant, de nomine, sed de re ipsa; nisi velis quaestionem de nominibus etiam esse, sitne unica an trina hypostasis Deo tribuenda. Nihilominus necesse omnino est, dum quaestio haec habetur, recte intelligere atque tenere, quid sit sensus literalis.

§. I

Patres.

60. Atque ut a patribus exordiar, auctores habemus sententiae nostrae, quotquot ii fuerunt, uno dempto Augustino. Nam neque unum horum reperias, qui, non dicam affirmaverit, sed vel suspicatus fuerit, uni saltem alicui sacrorum scriptorum propositioni duplicem sensum literalem, ne dum multiplicem, subesse, neque tunc, quum quaestio erat de aliquo illorum locorum, quorum diversae feruntur interpretationes; sed vel istas omnes referunt patres ita, ut sinant quemque eam sequi, quam libuerit, vel unam prae aliis probabilem demonstrant, aut etiam ceteris refutatis reiectisque solam veram esse contendunt; si qua vero difficultate in sua interpretatione defendenda impediuntur, numquam inde sese extricant, quod tamen factu facillimum foret simul et commodissimum, quaesito sibi effugio in verborum sensu literali et multiplici. Ubi autem duplicem multiplicemve sensum scripturis tribuunt, compertum est loqui eos de literali simul et spiritali sensu, prout ipsi subinde expressis verbis mentem suam nobis aperiunt (*a*), saepissime vero etiam de iis, quae nequaquam sententiae sunt scripturarum, sed harum sententiarum, sive literales eae sint, sive spiritales, consectaria et consequentia. Oraculis etiam illis (58), quae in vetere testamento legimus edita de alio, quam de Christo, in novo autem testamento tamquam de

(*a*) V. ex. gr. *Origen.* in Ezech. hom. III. §. 2. *Chrysost.* in Ps. XLVI. §. 1. etc.

Christo dicta referuntur, nemo patrum literalem duplicem sensum tribuit, sed alterum literalem, alterum spiritalem. Denique praecepta legesque scripturarum enarrandarum, quas illi adeoque ipse Augustinus scripserunt, eo spectant, non modo ut veram germanamque sententiam ex scripturis colligamus, sed etiam, quaenam e pluribus, quas verba interdum praeferre videntur, vera sit, quo certius fieri potest, definiamus.

61. Enimvero, quae dicimus, adeo patent, ut vix aliquis sit inter adversarios, qui alium testem praeter Augustinum e numero patrum citaverit, quidam vero aperte atque ingenue fassi sint alios, quos citarent, non esse; quod, si nonnulli aliquem alium citaverunt, vel hoc ipso comprobarunt nullum sibi testem praeter Augustinum suppetere, quandoquidem ille alius ab ipsis citatus nil dicit minus, quam id, quod eum dicentem inducunt.

62. Ceterum argumentum illud ex patrum silentio petitum, quamvis de genere illo, quod vocant *negativum*, sententiam nostram omni ex parte confirmat, contrariam vero funditus convellit duplici potissimum ratione. Harum prima est, quod, quum sensum ille multiplex quid extraordinarium foret proximumque miraculo, atque ita scripturis sacris proprium, ut in ceteris libris nil simile deprehendatur, patres id nobis aperire debuissent, atque aperuissent procul dubio. Altera est, ex illo patrum silentio manifeste confici minime ab apostolis traditum fuisse id, quod sentiunt adversarii; quaecumque enim apostoli tradiderunt, ea per patres ad nostram usque aetatem perlata sunt; ipsumque Augustinum, non illud a maioribus didicisse, sed omnium primum excogitasse, facile intelliget, qui verba ipsius legerit (40. 46).

§. II

Theologi et interpretes scripturarum.

63. Ex scriptoribus, qui post patrum aetatem vixerunt, si eos numeres, qui aiunt sensum literalem in bibliis esse multiplicem, caussam nostram damnatam credes, at, si testium auctoritatem perpendas, longe aliter de ea iudicabis, longeque meliore loco etiam ex hoc capite nos esse senties, quam adversarios. Imo si ea attente con-

sideres, quae superius (56) diximus de ratione ac modo, quo contraria sententia exponitur ab iis, qui huic favere putantur, fieri non poterit, quin pro comperto habeas horum perplurimos, verbo quidem adversariis favere, re tamen a nobis stare.

64. Nostrarum itaque partium esse dicendi sunt theologi atque interpretes omnes scripturarum sacrarum, quotquot ante Thomae interpretes fuere, idque illas ipsas ob caussas, ob quas patrum suffragia nobis vindicamus (60. 62). Item illi, qui post Thomae aetatem de sensu scripturarum scribentes quaestionem hanc praeterierunt; praeteriisse enim merito creduntur, quod timerent, ne Thomae, qui secus sensisse ferebatur, adversari viderentur. Nec minus ii, qui docent sensum literalem unum e pluribus esse primarium, ut Liebermann; multoque magis, qui nos iubent unum dumtaxat habere tamquam certum atque indubitatum, ut Thomas Pius et Neesen. His adde eos, qui in scripturis enarrandis quinque aut sex non amplius illarum sententias (33), imo eos, qui neque unam in literalem duplicem sensum accipiunt, quique omnes significationes una dempta semper atque expresse refutant, quantumvis horum bene multi universe pronuntient talem sensum scripturis subesse earumque proprium esse; quod enim verbo adserunt, facto refellunt; nemo porro est e scripturarum interpretibus, qui nequeat hoc in numero recenseri. Insuper plane nobis assentire dicendi sunt, qui vetant in eum sensum accipere verba scripturarum, nisi aut patres consentiant, aut ecclesia decernat, ut Eustachius a Sancto Paulo et Perrin; huiusmodi enim consensus aut decretum nusquam comparet. Optimo denique iure nobis sumimus suffragium eorum, qui sententiam nostrae contrariam, non ut suam proferunt, sed ut alienam referunt, uti Mellinius.

65. Ne quis tamen suspicetur me patronos caussae, quam defendo, veluti aucupari, missos faciam praedictos omnes, quum affatim suppetant, qui aperte caussae huic patrocinentur. Alexander Halensis sic sensit: *Hic modus est in scriptura sacra, ut sit unicus sensus litterae, multiplex vero in mysterio* (*a*). Sensus scripturarum *aut est litteralis exterior, aut spiritualis interior;*

(*a*) Summ. P. I. q. 1. membr. 4. art. 2. ad ult.

primo modo non multiplicatur, secundo modo spiritualis variatur (*a*). Albertus Magnus scribit: *Dicendum, quod theologia non simpliciter utitur aequivocis vel multiplicibus. Simpliciter enim aequivocum est, quando una vox secundum diversas rationes refertur ad multa. Et ex illo non potest procedere aliqua scientia, nisi prius distinguatur, eo quod propositio talis subiecti vel talis praedicati simpliciter est plures et non una. Et hoc non facit theologia, unam enim vocem ad unum refert significatum* (*b*). Bonaventura docet, quod *una scriptura multis modis potest exponi; unus tamen est litteralis et principalis intellectus* (*c*). Neque intelligo, qua ratione Gaudentius Bontempus (*d*) Bonaventuram patronis contrariae sententiae adnumeret, atque affirmet eum in multiplicem sensum accepisse tum illa: *In principio creavit Deus caelum et terram* (*e*), tum etiam illa: *Ego hodie genui te* (*f*), quandoquidem Bonaventura diversas interpretationes priorum verborum referat solummodo, posterioribus unum sensum attribuat. Thomas haec pronuntiat: *Significatio, qua voces significant res, ... est sensus . . . . literalis . . . . Sensus . . . . non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet* (*g*). Henricus Gandavensis, *Dicendum*, inquit, *quod diversitas expositionum contingit dupliciter, vel secundum eamdem rationem intelligendi et significandi, vel secundum aliam et aliam rationem significandi et intelligendi. Diversitas expositionum in primo modo solummodo est in sermone multiplici, videlicet, quia sub eadem voce, sive complexa, sive incomplexa, significantur plura, vel consignificantur; et iste sermo est suphisticus. Sed talis diversitas expositionum non est illa, quae competit huic scientiae, sed quae fit secundum aliam et aliam rationem; quia videlicet*

(*a*) Ib. art. 4. resp.

(*b*) Summ. P. I. tract. I. q. 5. membr. 2. ad 5.

(*c*) In IV Sententiar. dist. XXI. P. I. dub. 1.

(*d*) Pallad. theologic. P. I. T. I. disp. prooemial. II. q. 10.

(*e*) In II Sententiar. dist. I. dub. 1.

(*f*) In I Sententiar. dist. IX. dub. 9.

(*g*) 1. q. 1. art. 10. c. et ad 1.

expositio historica fit secundum significationes vocum, expositiones vero mysticae secundum significationes rerum (*a*). Aegidius Romanus ait, quod *scriptura sacra licet possit adaptari multis expositionibus, semper tamen una illarum est magis literalis, ut illa, quae magis concordat cum omnibus verbis istius textus* (*b*). Richardus Radulphus Armachanus, postquam multa disseruit de sensu literali (*c*), atque affirmavit testimonia scriptorum sacrorum in spiritalem sensum, quem certo habent, accepta locum esse argumentorum non secus ac testimonia accepta in sensum literalem, sic concludit: *Si quis vero dicere velit duplicem sensum litteralem nostrae scripturae propter duplicem talem modum probandi, sicut sibi videtur, affirmet*; . . . *quamvis id apte dici posse non videam, nec ex hoc, quod spiritualis sensus huius vocatur litteralis, magis posset vel potest affirmari, probari ex ipso esse valida, quam si non vocetur litteralis sed mysticus* (*d*). Alphonsus Tostatus sic loquitur: *Litera solum habet unum sensum, quem immediate signat, nec intendit aliquem alium*; *et iste dicitur literalis . . . . Litera tamen unica est, et unico modo se habens, ideo non potest ex ea elici nisi unicus sensus* (*e*). Aiebat utique Tostatus, *quod scriptura* INTERDUM . . . RARO *tamen . . . habet duos sensus literales* (*f*), sed exploratum est alterum duorum esse sensum spiritalem, et quidem eum, quem testimonio scriptorum novi testamenti docemur certis quibusdam capitibus testamenti veteris subesse. Negabat enim Tostatus in verbis scripturarum haberi sensum spiritalem (*g*), ex quo eum male audivisse nemo ignorat, tametsi immerito, quum nomine tenus a ceteris dissentiret, siquidem sensum literalem vocabat, quem ceteri spiritalem. Cur ita vocaret, ducebatur errore illo, non posse ex significationibus spiri-

---

(*a*) Summ. art. 16. q. 2. ad 2. Lege qq. 3-6.

(*b*) In II Sententiar. dist. XIV. q. 1. art. 1. dub. 2.

(*c*) Summ. in quaestionib. Armenor. L. I. cc. 1-5.

(*d*) Ib. c. 5. fin.

(*e*) In Matth. XIII. q. 28. p. 51. col. 1. A. C.

(*f*) Ib. p. 50. col. 3. K. col. 4. G.

(*g*) Ib. p. 50. col. 4. G. H; p. 51. col. 1. B. C. et al. saepiss.

talibus argumenta peti, quia ineptae essent ad aliquid probandum (*a*). Attamen, appellationis ratio quaenam sit, ipse explicat, alia omnino atque ea, qua literalis vocatur sensus, qui vere ac proprie literalis est, quo simul plenius profitetur credere se sensum vere ac proprie literalem unum solummodo e scripturis colligi; postquam ergo diserte dixit literalem sensum unum esse, sic occupat, quod opponi posset: *Si autem obiiciatur, quod interdum sunt duo literales eiusdem literae, ut supra dictum est, dicendum, quod hoc* NUNQUAM FIT EX CONDITIONE LITERAE, *quae* SECUNDUM SE DETERMINATE *se habet ad significandum* UNUM; . . . *sed provenit ab auctore literae, qui plura voluit per eandem literam significare; tamen nunquam possumus intelligere per eandem literam solam duos sensus, nisi hoc aliunde constaret* (*b*); et paulo post: *Ad hoc, quod sensus sit literalis, requiritur, quod possit haberi determinate et non confuse, et quod habeatur* EX LITERA ALIQUA; *et* PROPTER HOC *scilicet illud*: *Os non comminuetis ex eo, literaliter de Christo accipitur, quia* ALIQUA LITERA, SCILICET IOAN. 19, *hoc espressit* (*c*). Thomas Caietanus, etsi non expressis verbis pronuntiaverit unum, non autem multiplicem, esse sensum literalem scripturarum, sic tamen sensit. Id enim prodit modus, quo interpretatur ea, quibus literalis multiplex sensus affingi solet (*d*), id ipsum regula quaedam, qua nos uti iubet ad psalmos enarrandos (*e*). Quin imo quaedam, quae ex vetere testamento transcripta in novo leguntur, ut quae de Christo dicta fuerint, diserte negat dicta de Christo esse secundum sensum literalem, *quia* in hunc sensum accepta aliud omnino, quam Christum, sonant in vetere testamento. Quid vero, quod epistolam ad Hebraeos scriptam, non modo neget Pauli opus esse, sed coniiciat *canonicam* minime esse, quia ut dictum de Christo in ea illud oraculum: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*f*), habeatur, *quae*

(*a*) Ib. p. 50. col. 4. F. G. etc.

(*b*) Ib. p. 51. col. 1. C. D.

(*c*) Ib. col. 3. H.

(*d*) V. Comment. in Ex. XII, 46; II Reg. VII, 14; Matth. II, 15. 18; VIII, 17; Io. XIX, 36; Gal. IV, 27; Hebr. I, 1.

(*e*) Praef. in Psalm. §. 2. Tertio.

(*f*) Hebr. I, 5.

verba scripta sunt II Reg. VII et I Paral. XVII ad literam de Salomone (*a*). Alios quoque ex Thomistis sic sensisse, utque ita sentirent, adductos esse verbis ipsius Thomae, testis est (50) Silvester de Prierio (*b*).

66. Atque hic locus est, quo animadvertas, an vere dicatur Lutherus omnium primus defendisse, sensum literalem unicum esse, non vero multiplicem, idque confirmari quidam autument testimonio Georgii Milleri, cuius verba sic sunt: *Immortaliter meritus fuisse censendus est Lutherus noster, qui exploso Pontificiorum de pluralitate sensus verbo lubrico et subdolo commento constanter unicitatem sensus litteralis asseruerit.* Ast oppido falsi sunt, qui sic sentiunt. Etenim; an Lutherus omnium primus unicum esse defenderit sensum literalem, id est, an omnium primus negaverit sensum hunc esse multiplicem, conficitur testimoniis hactenus a me prolatis. Quanam porro pagina suorum operum Lutherus illud scripsit? ubinam literalem multiplicem sensum saltem nominat? Nusquam. Non equidem aio sensum hunc scripturis a Luthero fuisse affictum, imo secus eum esse opinatum intelligimus ex ipsius commentariis, sicut ex commentariis patrum (60) aliorumque (64) secus eos opinatos fuisse comperimus; illud tamen optime scio Lutherum de sensu hoc numqnam esse loquutum. Ab re autem omnino est testimonium Milleri, nam aliud plane is narrat, quod, inquam, Lutherus *constanter unicitatem sensus litteralis asseruerit*, id est, quod docuerit *non alium* sensum ex scripturis colligi posse praeter *solum* sensum literalem, nullumque esse sensum spiritalem; huius enim contraria sententia illa est, quam Lutherus *constanter* carpebat, ridebatque (*c*), non vero, quod sensus literalis multiplex sit, ea, inquam, sententia est Catholicorum, id illud *Pontificiorum de pluralitate sensus verbum lubricum et subdolum commentum.* Sed de diverticulo in viam redeamus.

(*a*) Comment. in ep. ad Hebr. inil.

(*b*) Rosa aurea Tract. I. c. 6.

(*c*) V. *Luther.* Praef. in Libros V. T; Comment. in Os. XI, 1; Comment. prior. ann. 1519 in Galat. IV, 22 seqq.; Commentar. poster. ann. 1538 in Gal. IV, 21 seqq.; de Captiv. Bab. de Coena Dom. Opp. T. II. p. 277. Ienae 1557.

67. Literalem scripturarum sensum, non multiplicem, sed unum esse vel aperte pronuntiarunt, vel credere se alia manifesta ratione ostenderunt Michael de Medina (a), Estius (b), Tartaretus (c), Pererius (d), Ribera (e), Maldonatus (f), Frassen (g), Palumbo (h), Amort (i), Calmet (k), Cerboni (l), Alber (m), Glaire (n). Quibus adnumerandi sunt nonnulli sacrarum literarum professores, quos Italia adeoque et Urbs nunc habet.

§. III

Alia rationum momenta.

68. Auctoritatibus praedictis aliquot rationum momenta addere iuvat, quae sententiam nostram magis magisque confirment. In primis enim, quum non modo nullum scripturarum caput sive scriptores θεοπνευστοι, sive ecclesia, sive patres, si Augustinum demas, in literalem sensum eumque multiplicem acceperint, sed et eorum, quae ex scripturis promunt adversarii, neque unum sit, ex quo pondus aliquod accedat ipsorum opinioni, constat, sicut iam diximus (38), explodendum minime esse argumentum, quo Michaelem de Medina opinionem hanc refutasse refert Vasquez, quodque sic est: *Inductione constare potest nullum esse scripturae testimonium, quod sub eadem litera plures sensus literales reddat. Frustra igitur de aliquo in genere id concedendum est* (o).

(a) De recta in Deum fide L. VI. c. 25. p. 222 v.

(b) Orat. XIX, et in Hebr. I, 5. p. 403. col. 2.

(c) In Prolog. Scoti q. 3. p. 35. col. 2. Venet. 1583.

(d) In Genes. L. I. reg. 1. pp. 10-12; epilog. p. 14; in Genes. I, 3. p. 45; in Genes. XV. nn. 19. 20. 22-25; XXIV. n. 73; XXV. nn. 43-45.

(e) In Prophet. minor. Praelud. I. n. 18; in Os. XI, 1. n. 28; In Hebr. I. nn. 47 seqq.

(f) In Is. LIII, 4; Ier. XXXI, 15; Matth. II, 15. 18; VIII 17.

(g) Scotus academic. T. I. disp. prooemial. art. 3. q. 5. nn. 9. 10.

(h) In Thom. 1. q. 10. art. 10.

(i) Apud *Liebermann*. Institut. theolog. L. II. P. II. c. 1. art. 3. §. 2.

(k) Dictionar. ad v. *Sensus scripturae*.

(l) Theolog. revel. L. II. q. 1. art. 3. schol. 2 fin.

(m) Institut. hermen. N. T. Regul. interpret. §§. 11: 12.

(n) Introduct. histor. et crit. aux livr. de l'A. et du N. T. T. I. ch. 6. art. 1. §. 1. q. 2. p. 341. Paris 1839.

(o) In Thom. 1. q. 1. disp. XVII. c. 1.

69. Insuper vocum et loquutionum natura in bibliis alia non est, quam in ceteris libris; quare ergo aut quomodo alia sit in bibliis natura sensus literalis, qui ex ipsis dumtaxat vocibus et loquutionibus exstat?

70. Regulae, quas ad libros explicandos suggerit ars hermeneutica, adeoque illae ipsae ab Augustino traditae, atque ab eo, ceterisque patribus, et omnibus scripturarum interpretibus adhibitae, eo pertinent, ut verum germanumque verborum atque enuntiationum sensum colligamus. Iam vero si ope harum regularum unus aliquis sensus verus esse dubio procul cognoscatur, a regulis ipsis aberraret, qui alium praeter hunc quaereret; sin autem duae pluresve exsisterent sententiae, quid, quaeso, ars hermeneutica praecipit, quid interpretes omnes agere solent, ad quid ipse communis naturae sensus nos compellit, nisi ut ulterius disquiratur, quaenam e pluribus illis sententiis ceteris verior, aut saltem probabilior, ideoque illis praeferenda sit? Quum vero neque hoc alterum assequi datur, nonne, si sapimus, hoc unum necessario concludimus, sententiam dubiam esse atque incertam (50)?

71. At enim conducit auctoritati scripturarum, ut ipsarum sensus literalis multiplex sit. Verum enimvero, qui id fiat, fateor me minime assequi. Quid enim conducat illud, quod est contra rei naturam, ut sermo, cuius dos et laus praecipua est sensum loquentis, quo clarius et certius fieri potest, aperire ac determinare, duas pluresve nobis exhibeat sententias, ita ut incerti haereamus, utrum hoc ex amphibolia sit repetendum, an ex eo potius, quod is, qui loquitur, omnia illa simul exprimere voluerit? Quid auctoritati illi conduceret, si, ad plures simul exprimendas sententias, non *unam veram sententiam . . . . apertius ponerem* (40), id est, si minus perspicue loquerer, ut tamen, teste Augustino, loqui necesse foret ad illud efficiendum? Quid, inquam, conduceret hoc pacto loqui, ad id, ut plura simul enuntiares, veluti si non posses, et quidem aptius, clarius, pleniusque, ea omnia distinctis propositionibus exprimere? Quid illud conduceret, quod inutile foret omnino, siquidem, etiam teste Augustino, *quodlibet eorum*, quae sermo simul significaret, *congruere veritati ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri* necesse sit, ac proinde iam alio loco clare aperteque ea habeamus, quae duplici triplicique illo sermone obscure

edicerentur? Eccur vero illud praeteream, quod facile factu foret, ut talis ratio loquendi quoddam aenigma sapere et quid veluti ludicrum praeferre videretur?

ARTICULUS III

Conclusio.

72. Quae quum ita sint, sic tandem concludimus. Si tum auctoritates, tum rationum momenta, perpendas, facile intelliges, utri sententiae maius ex his pondus accedat. Adversariorum quippe sententiae favent quidem Augustinus et maxima recentiorum theologorum pars; nobis vero, praeter recentiores aliquot nec exigui nominis scripturarum interpretes atque etiam theologos, adstipulantur theologi vetustissimi ac nobilissimi omnesque patres uno dempto Augustino. Obtinet ergo hoc loco scitum illud Melchioris Cani: *Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas, comprobavit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet, sed, si paucos viros, modo graves, secum habeat, poterit sane adversum plurimos stare. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere (a).* Duorum insuper argumentorum, quae petunt adversarii ex rei ipsius decentia atque ex divini scripturarum auctoris provisione providentiaque, posterius rem fieri fortasse potuisse comprobat, non autem factam esse, prius, an veritate nitatur, non sine optima caussa dubitamus; contra vero iis argumentis, quae sive ab inductione petuntur, sive a vocum ac loquutionum natura, sive a praeceptis artis hermeneuticae atque ab usu, quem constanter haec habent in scriptis patrum atque interpretum sacrorum, rem secus habere, ac vellent adversarii, compertum est plane demonstrari. Ceterum adversariis nostris, quos religiosa quaedam incessit formido, ne, si sententia, quam defendimus, obtineat, aliquid depereat scripturarum dignitati ac

---

(a) Locor. theolog. L. VIII. c. 4.

sanctitati, formidinem omnem ablatum iri, nosque satis esse facturos, ubi agemus de consectariis et consequentibus sententiae, quae scripturis subest, confidimus (454 seqq.). Quod si cui prolixior, quam opus est, tota haec nostra disceptatio videatur, norit is me id conatum esse, ut, si fieri posset, negotium hoc totum tandem conficerem, finemque quaestioni huic facerem, quam, aevo praesertim nostro, non exigui plane momenti esse arbitror; id vero me non alia ratione assequi potuisse, facile dabit, qui, quaecumque de hac re scripta sunt, legere, modumque, quo quaestio ista haberi solet, voluerit considerare.

ARTICULUS IV

Bibliorum partes, quibus literalis et multiplex sensus affingi posset, ad certa capita revocantur.

73. Quo materiam hanc omni ex parte confectam praestemus, ac iuvenibus sacrarum literarum studiosis viae nos veluti duces praebeamus, ad certa capita revocabimus illa omnia, quae possent, tametsi non nisi errore veri, cuiquam videri multiplicem sensum eumque literalem exhibere, caussamque indicabimus, cur id fiat, simulque cur unum dumtaxat exhibeant re ipsa; illud interea praemonentes, si ea demas, quibus duplex sensus subest, alter literalis, spiritalis alter, et tamen uterque literalis putatur, reliqua omnia, quae huc pertinere possent, non magis in bibliis, quam in ceteris quibusque libris, haberi.

74. Atque illud in primis sedulo attende, quod aliud sit plures reipsa sensus literales alicubi haberi, aliud autem verba ac sententias posse nonnumquam diversa ratione intelligi atque exponi, eo quod illorum sensus minus clare perspiciatur; quorum posterius non sane negamus. Hinc habes rationem, qua mentem patrum dignoscas, quaenam fuerit, quum plures unius eiusdemque sententiae literales significationes commemorant. Loquuntur quippe de multiplici expositione, quam sententia illa habere potest; idque eo confirmatur, quod Hieronymus et Augustinus plures istas significationes ex scripturarum obscuritate, propter quam, ut eae multimodis exponantur, contingit, diserte repetant. Hieronymi verba haec sunt: *Legant plurimi, et quaerant historiae veritatem, et propter obscuritatis magnitudinem diversa opi-*

nentur (a). Augustini vero verba iam alias retulimus (42). Et sane plures, qui ex una loquutione extorquentur, sensus literales nihil sunt, nisi diversa obscurioris alicuius sententiae interpretamenta; cuius rei exemplo esse possunt, quae disserit Augustinus de primis vocibus geneseos (*b*). Iam ergo vides, quid illi peccent, qui ob multiplices illas explicationes quorumdam capitum sacrarum scripturarum, quas patres fecerunt, autumant multiplicem quoque sensum capitibus illis subesse eumque literalem.

75. Sunt etiam, quae literalem multiplicem sensum habere videantur, quia plures res simul significant, etsi duo haec valde discrepent inter se; quam discrepantiam Thomas sic explicat: *Dicendum, quod tunc est signum* AMBIGUUM, id est, multiplicem habens significationem, *praebens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed, quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum*; *sicut hoc nomen* HOMO *significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura (c).* Exempli caussa, nomen *spiritus* ambiguum est et multiplicem habet sensum, in quantum alterutrum eo significatur, vel natura quaedam, vel aer motus; at, in quantum spiritales omnes naturas simul complectitur, puta, Deum, angelos, animas hominum, animas belluarum, hasque eo nomine simul omnes designo, plura quidem simul significat, at non ideo multiplex est eius notio literalis. Huic similia innumera sunt inter vocabula. Huc autem pertinet oraculum Isaiae (35): *Generationem eius quis enarrabit?* quod, siquidem utramque Verbi divini generationem significat, unam atque alteram comprehendit veluti duas partes totius rei significatae, ut vocabulo *generatione* Isaias *utramque simul* nominaverit, usurpans, quod saepissime fit, singularem numerum pro plurali. Enimvero, quum legimus Iobum de se ita loquentem: *Omnia haec vidit oculus meus, et audivit auris mea (d),* neutrum concludimus, aut ipsum coelitem fuisse atque una aure minutum, aut suorum verborum duplicem esse sensum literalem. Eodem

---

(*a*) In Daniel. XII, 4.

(*b*) Confess. L. XII, summam vero habes c. 28.

(*c*) 3. q. 60. art. 3. ad 1.

(*d*) Iob. XIII, 1.

pacto explicanda sunt, quae de duplici lucis spiritalis et corporeae a Deo creatae significatione scripsit Augustinus (*a*); nam etiam illa: *In principio creavit Deus caelum et terram (b)*, naturas omnes tum spiritales tum corporeas comprehendunt, quin ideo sensus literalis multiplex illis subsit.

76. Duplex sensus esse dicitur, alter altero sublimior et reconditior, in quibusdam aliis scripturarum capitibus, qualia ea sunt, quae Christus de sua carne manducanda loquutus est (*c*), quaeque in alium sensum, ac Christus ea dixerit, intellexerunt Capharnaitae. Verum Christus num id dicere intenderat, quod Capharnaitae intellexerunt (2. 12)? His ergo atque horum similibus sensum alium non esse neque esse posse, nisi unum duorum, alterum vero, patet, non verbis, sed rudiori atque hebetiori audientium intellectui deberi; secus quippe tamquam germanae scripturarum sententiae forent habendae, quotquot errore hominum pravae ac distortae earum feruntur interpretationes.

77. Habent quoque libri sacri, sicut ceteri, verba, loquutiones, sermones, narrationesque, imo et vaticinia, dictione translata, in quibus et *proprius* et *translatus* sensus, uterque literalis (17), comparet. At in his alter tantum est accipiendus, quod nemo ignorat, idque etiamsi ea, quorum vocabula ad aliud significandum transferuntur, facta reipsa sint, aut fieri soleant, id est, etiamsi ipse sensus *proprius* loquutionis *translatae*, si eum per se ipsum spectemus ac seiunctum a reliquo sermone et notione rei, quam τροπικῶς significat, verus sit, uti quum cives Hierosolymitas vocat Isaias *principes Sodomorum, populum Gomorrhae(d)*, sive quum Christus Ioannem Baptistam dixit *Eliam* (*e*), quumque ipse Christus *David* ab Ieremia (*f*) et Ezechiele (*g*) vocatur; aliud quippe est, quod proprius sensus alicuius translatae loquutionis, hac ratione consideratus, sit verus, aliud autem, quod eidem illi loquutioni subsit, illamque in eum accipi oporteat. Nam, exempli gratia, et illorum Christi verborum, quae protulit vocabulo *palmite* immutato: *Mittetur foras, sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (h)*, sensus proprius verus omnino est, si

(*a*) Genes. ad lit. L. I. c. 19. §. 38.
(*b*) Gen. I, 1.
(*c*) Io. VI, 52 seqq.
(*d*) Is. I, 10.
(*e*) Matth. XVII, 12.
(*f*) Ier. XXX, 9.
(*g*) Ezech. XXXIV, 23. 24.
(*h*) Io. XV, 6.

ea seorsum a Christi sermone accipiantur, palmites enim a vite revulsi et arescunt, et colliguntur, et in ignem mittuntur, et ardent; num ergo dicemus his Christi verbis duos sensus subesse? quod idem esset ac dicere, Christum unica illa sententia duabus de rebus omnino disparatis esse loquutum, de suis discipulis, inquam, ac de palmitibus vitium. In harum igitur enuntiationum natura libros sacros a ceteris nihil differre pro comperto est.

78. Eodem loco habere oportet apologos et parabolas, quibus tum *historicus* tum *parabolicus* sensus subest, prior quidem *proprius*, posterior *translatus*, uterque tamen *literalis*. Huiusmodi est, quod Ioatham narravit de lignis sibi regem quaerentibus (*a*), quod Ezechiel de leaena et leunculis (*b*), quodque Nathan de divite pauperi oviculam surripiente (*c*), nec non plurima, quae in evangeliis legimus. Sed ista quoque sese habent in scripturis, sicut in omnibus libris, videlicet uti dictiones translatae, ac proinde de his sicut de superioribus (77), sentiendum est. Si enim in his duplicem esse sensum literalem dicas, idem dicere debebis de Aesopi fabellis. Nisi dicere magis placeat, quod verius est, ipsum parabolarum et apologorum sensum eum esse, quem verba praeferunt in literalem sensum accepta, id vero, quod per parabolas et apologos docemur, non sensum aliquem esse, qui illis subsit, sed finem, ad quem illa narrantur.

79. Ex sermonibus *symbolicis* duplex utique sensus colligitur, sed ita, ut alter literalis sit atque ipsorum verborum sensus, alter vero rei sive actionis, quae ad symbolum adhibetur, et verbis significatur; non secus, inquam, ac sensus duplex colligitur ex illis scripturarum capitibus, quibus praeter literalem sensus quoque spiritalis subest, nam in his quoque, quod attinet ad spiritalem significationem, dictio *symbolica* est, ut alio loco demonstrabimus (285. 296). Talia autem sunt, quae, ut legimus in levitico, contra hircum pronuntiabantur die festo expiationum (*d*), quaeque Christus in sterilem ficum dixit (*e*), et ea, saltem ex parte, quibus Deus ser-

(*a*) Iudic. IX, 8-15.
(*b*) Ezech. XIX, 1-9.
(*c*) II Reg. XII, 2-4.
(*d*) Lev. XVI, 20-22.
(*e*) Matth. XXI, 19.

pentem ob deceptos humani generis parentes castigavit (*a*). Huiusmodi etiam alia sunt, nec pauca, quae, apud prophetas praesertim, leguntur, puta, quae Deus dixisse narratur Oseae (25) de uxore fornicaria (*b*), quae Ieremiae de huius lumbari (*c*), quaeque Ezechieli de quatercentis triginta diebus, quibus prius in sinistrum tum in dexterum latus foret ipsi dormiendum (*d*), si tamen haec omnia gesta re ipsa fuerunt; si enim gesta nequaquam fuerunt, quod dicendum esse videtur de illis narrationibus Ieremiae et Ezechielis (*e*), consequens est verba illa Dei non *ἱστορικα* esse, sed *μεταφορικα*, deque iis ita sentire oportere, ut de dictione translata sentiendum esse modo dictum est (77). Caute porro distingue *symbolicos* huiusmodi sermones ab ipsa narratione, qua sermones isti referuntur; ex his enim, non vero ex illa, colligitur duplex significatio, quam diximus. Ceterum in his nihil est, quod uni sacro codici proprium sit ac privum. Nam, exempli caussa, quum Tarquinius, ut narrat Livius (*f*), Arunti filio interroganti, quid sibi Gabiis agendum foret, non aliud dedit responsum, quam bacillo summa papavera decutiens, quae res utique symbolus fuit, si quid verborum addidisset, puta: *Summa haec papavera decutito*, clareret profecto duplex horum verborum significatio.

80. Quae ex ipsis scripturarum sententiis consequentia sunt et veluti consectaria, ea plane ἀλόγως alter ipsorum verborum sensus literalis esse putantur, idque quantumvis auctor scripturarum ea quoque intenderit significare; non enim verbis ipsa haec expressit, sed ratiocinationi nostrae elicienda permisit. Hoc ipsum omnes, dum loquimur, facere solemus, sicuti quum pater unum filiorum obiurgat de aliqua re ideo, ut filios ceteros, qui audiunt, de alia re simul admoneat; num vero duplex erit obiurgationis huius sensus literalis? Erroris huius specimen habes, quum ea, quae Paulus ex illis verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*g*), conficiebat, quidam veluti toti-

(*a*) Gen. III, 14. 15.
(*b*) Os. I, 2. 9.
(*c*) Ier. XIII, 1-7.
(*d*) Ezech. IV, 4-6.
(*e*) V. *Hieronym.* in Os. Praef. et I, 8. 9.
(*f*) L. I. c. 54.
(*g*) Ps. II, 7.

dem horum sensus literales nobis obtrudunt (36). Expediet tamen iam nunc animadvertisse, quod alibi plenius edisseremus (454 seqq.), locum hunc amplissime patere scripturarum ἐξηγήσει atque enarrationi ex ea parte, qua hae ad mores informandos alendamque pietatem pertinent, non tamen aliquid, nisi forsan oblique, inde depromere concessum esse arti hermeneuticae; atque huc spectant illa Hieronymi verba : *Non sunt , ut quidam putant , in scripturis verba simplicia ; plurimum in his absconditum est* (*a*). *Singuli sermones , syllabae , apices , puncta , in scripturis plena sunt sensibus* (*b*) , aliaque horum similia, quae quam inepte et ab re quidam urgeant ad adserendum scripturis sensum literalem simul et multiplicem , nemo non intelligit.

81. Solent quandoque homines ita verba componere, ut duplex sensus inde queat colligi , quia utrumque, seu verius neutrum, exprimere volunt. Huiusmodi fuerunt oracula delphica, quorum unum est illud : *Aio te , Aeacida*, *Romanos vincere posse.* Horum tamen similia in scripturis reperire non est.

82. Reperiuntur nihilominus in scripturis singularia quaedam verba ac nomina , perquam pauca illa quidem , sed quae plura simul significare dicuntur. Verum multiplicis huius significationis , quae esse fertur , alterutrum in caussa est ; vel quod voces illae , ut autumant nonnulli, ex pluribus veluti radicibus sint conflatae pluribusve unius atque eiusdem radicis notationibus, vel quod pleniorem quemdam sensum contineant , qui in plures alios dispertiri possit. Manifestum autem est neutrum horum sententiae nostrae adversari. Prius enim id tantum efficit , ut voces illae perinde habeantur , ac si e duabus aut pluribus essent compositae ; at quinam vocum ita compositarum , quales sunt *terraemotus*, *aquaeductus*, *parricidium*, plures sensus esse dixerit? Huiusmodi autem est in scripturis Messiae nomen שִׁילֹה (*c*), ad quod conflandum plura ἔτυμα adhibita esse non omnino integrum est negare. Huiusmodi quoque esse merito putantur vocabula illa : *Mane, thecel, phares* (*d*),

(*a*) Ad Damas. ep. XVIII al. CXLII et CXLIII. §. 12.

(*b*) In ep. ad Eph. III, 6.

(*c*) Genes. XLIX, 10.

(*d*) Dan. V, 25.

quae Daniel interpretatus est, et de quibus legere est commentationem habitam a T. Cicconio (*a*). Si quis autem contendat horum vocabulorum et similium, si quae alia sunt in scripturis, plures simul esse significationes seu verius notiones, quia reapse non sine artificio conflata sunt, aut esse videntur, ad plura simul ac diversa significanda, haud equidem obsistam, quandoquidem artificiosae id genus voces etiam in aliis libris reperiuntur, imo et in familiari sermone usurpantur, quin tamen ideo universe pronuntiemus librorum aut sermonum proprium id esse, ut plures simul sensus exhibeant. Tum vocabula huiusmodi, quin comprobare queant scripturis multiplicem sensum subesse, huius contrarium potius comprobant; quum enim haec intelligere nequiverint, qui ea legerunt, coniicere inde est, quid in legendis scripturis fieret, si hae, aeque ac illa, plures sensus haberent. Quae vero pleniorem sensum continent, eodem loco habenda sunt atque illa, quae multas res simul ut unam significant (75); neque enim duo haec *sensus plenior* et *sensus multiplex* alicuius enuntiationis unum atque idem sunt. Sic itaque disseras de nomine Dei יְהוָֹה, quod nobis opponunt; sonat illud quidem eum, *qui fuit, qui est, qui futurus est*, non tamen haec omnia seiuncta, sed simul, id est, *esse aeternum*.

83. Quae hactenus exposuimus, ea sane attingit quaestio de sensu literali simul et multiplici, eademque in quibusvis sive libris sive sermonibus reperiri similemque quaestionem praebere possunt. Quae vero sequuntur, ea uni scripturarum sermoni propria sunt, sed et extra hanc disquisitionem posita, quippe quae duplicem sensum utique habent, sed alterum literalem, alterum spiritalem. Quum tamen literalem utrumque esse quidam adseverent, indicta illa nunc praeterire non oportet.

84. Itaque scriptoribus sacris seu verius Spiritui sancto sollemne fuit, prout patres atque interpretes scripturarum uno ore docuerunt, *typos* seu figuras et *antitypa* seu res figuris huiusmodi designatas eodem sermone complecti, idque non uno modo. Quandoque enim unam eamdemque sententiam seu enuntiationem de utroque eorum simul protulere. Quandoque uno eodemque sermone de utroque, sed alternis, lo-

(*a*) De vi trium verborum etc. disquisitio. Mediolani 1814.

quuti sunt. Quandoque demum ea, quae ad antitypa pertinent, praedixerunt immutatis verbis translatisque typorum nominibus ad antitypa significanda. At in nullo horum duplex est sensus literalis, secus ac quidam arbitrantur.

85. Etenim horum prius factum fuisse comperimus, quum scriptor θεόπνευστος ex aliquo scripturarum libro refert, ut quae de certa quadam sive re sive persona dicta sint, ea verba, quae de alia persona aut re in libro illo dicta esse constat. Hoc pacto a scriptoribus novi testamenti ut dicta de Christo ea referuntur, quae de agno immolando (*a*), de Salomone orituro (*b*), de Israelitis ab Aegypto reductis (*c*), dicta fuerant in vetere testamento. Haec tamen horumque similia duplicem utique sensum habent, sed alterum literalem, quo agnum, Salomonem, Israelitasque significant, spiritalem alterum, quo significant Christum (309).

86. Atque hic locus est, quo animadvertas haec a quibusdam dici solere *ad literam* impleta fuisse *etiam* tunc, quum illud factum est, quod eorum significatio spiritalis portendebat. Quam loquendi rationem ferre aliquo modo possumus, quoniam *ad literam* impleri non idem est ac *significari sensu verborum literali*. Verba enim sententiarum et oraculorum, quae spiritalem quoque sensum continent, talia sint oportet, ut seorsum sumpta, atque a toto sermone divulsa, ac per se ipsa spectata, ita rei, ad quam sensus spiritalis pertinet, congruant, ut illam significare possint etiam secundum literalem suam significationem, sive propria haec sit, sive translata (441). Nam illa: *Nec os illius confringetis (d)*, *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (e)*, *Ex Aegypto vocavi filium meum (f)*, aliaque huiusmodi, talia sunt, ut eorum quodlibet, si per se ipsum illud spectemus, non autem secundum significatum, quem habet in vetere testamento, optime congruat Christo, deque eo dici possit secundum sensum literalem; atque ideo, quum id factum est, quod de Christo per ea praenuntiatum fuerat, dici haec eadem potuerunt *ad literam* impleta esse.

87. Specimen alterius rationis, qua bibliorum auctores de typo simul deque antitypo loquuti sunt, suggerunt psalmus secundus, in quo

(*a*) Ex. XII, 46 in Io. XIX, 36.
(*b*) II Reg. VII, 14 in Hebr. I, 5.
(*c*) Os. XI, 1 in Matth. II, 15.
(*d*) Ex XII, 46.
(*e*) II Reg. VII, 14.
(*f*) Os. XI, 1.

tum Davidis adversos et faustos casus, tum Christi divinitatem et dominatum, verba in literalem sensum accepta significant, psalmi quadragesimus quartus et septuagesimus primus, quibus et Salomonem et Christum vates canebat, caput tricesimum et caput tricesimum primum libri Ieremiae, quibus et Israelitas soluta captivitate in integrum restituendos eorumque urbem instaurandam, et novum foedus a Deo pangendum ecclesiamque condendam, ille est vaticinatus. Sed in his quoque horumque similibus nequibis nisi unum sensum literalem, non autem plures, reperire; ea enim constant ex pluribus ac diversis enuntiationibus, quarum pars de typo habitae sunt, pars de re per typum significata. Quare recte dicentur haec bibliorum capita plures promiscue sensus literales, diversis, inquam, enuntiationibus, exhibere, non tamen simul, id est, in una eademque sententia coniunctos connexosque.

88. Postrema denique ratione typum simul et antitypum sermone coniunxisse auctores bibliorum intelliges, si qua sententia talis sit, ut ad typum pertinere secundum aliquorum nominum aut verborum proprietatem videatur, at, quae in ea praeterea leguntur, nequeant in typum quadrare; certior quippe sic fies verba ad typum pertinentia ipsaque adeo typorum nomina non esse accipienda in sensum proprium, sed translatum (77), in quantum, non typum ipsum, sed res typo hoc designatas τροπικῶς exprimunt (224), quo non supererit nisi unus sensus literalis isque translatus (452). Luculentissimum huius rei specimen habes in hoc Ezechielis vaticinio: *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum* DAVID; *ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus* DAVID *princeps in medio eorum (a)*; Davidis enim nomine non alium hic vocari posse praeter Christum res in propatulo est. Lege etiam Ieremiam (*b*) et Oseam (*c*), deque hoc Messiae nomine nobis assentientes consule Talmudistas (*d*), Aben Ezra (*e*), Davidem Kimchi (*f*), Iudaeosque vetustissimos, qui libros medrascim dictos conscripsere (*g*).

(*a*) Ezech. XXXIV, 23. 24. V. et XXXVII, 24. 25.
(*b*) Ierem. XXX, 9.
(*c*) Os. III, 5.
(*d*) Sanhedr. f. 98 v.
(*e*) In Ps. XLV, 2; LXXII, 2.
(*f*) In Ezech. XXXVII, 24.
(*g*) Medrasch. rabb. in Thren. f. 58. col. 3.

89. Restat unus scrupulus, quem eximamus, quemque ingerunt verba Caiphae: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (a).* His enim ille, ut narrat Ioannes, *prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente, etc. (b)*, attamen alio prorsus, quam ut id vaticinaretur, Caiphae consilium spectasse manifestum est. Hinc negari nequit literalem sensum verborum eius duplicem fuisse. Verum in primis respondeo haec extra caussam esse; verba enim Caiphae, relata quidem sunt in scripturas sacras, non tamen sunt verba ipsarum scripturarum. Tum ideo duplex ille sensus subest his verbis, quia non unus Caiphas, sed et Spiritus sanctus per os Caiphae ea loquutus est, atque ita ut, dum ambo simul ea proferrent, plane diversa exprimere singuli vellent. Neque ratio haec, qua Spiritus sanctus tunc usus est, quidquam commune habet cum illa, qua agebat scriptores bibliorum, quum hi non alia iis, quae Spiritus sanctus intenderet, literis consignarent.

CAPUT IV

Regulae interpretationis literalis.

90. Si quispiam, qui nihil omnino noverit ex iis, quae scripturae complectuntur, eas primo aperiat, ac legat, fieri profecto nequit, quin saepissime vel anceps haereat, vel nullo pacto assequatur, quinam sit illarum sensus; quod quidem non aliunde repetere est nisi ex scripturarum obscuritate. Et, quandoquidem effectus certissimum indicium caussae suae est, illud sufficeret, cur scripturas obscuras esse constaret manifesto. Attamen testes quoque huius rei non equidem patres appellabo, qui unanimes id affirmant, sive quum scripturas explanant, sive quum de iis qua demum cumque alia ratione agunt, sed vel ipsos Protestantes, qui, dum illud verbis infitiantur, re tamen fatentur, et comprobant. Si enim, ut iactant, ita ipsis perspicua sunt sacra volumina,

---

(a) Io. XI, 50. (b) Ib. 51. 52.

qui fit, ut ipsorum commentaria inter se cumque illis, quae superioribus aetatibus prodierunt, non modo non usque consentiant, sed pugnent quam saepissime? Verum sibi quoque scripturas obscuras esse et ipsi iam ab aliqua aetate ingenue fateri coeperunt; quin imo ipse Lutherus luculentissima dedit de scripturarum sacrarum obscuritate testimonia (*a*), quae retulit Benedictus a Benedictis (*b*), interque haec illud quoque, quod biduo ante obitum dedit idem ipse Lutherus.

91. Quid porro incommodi eum capere contingat, qui, scripturis ob earum obscuritatem minime intellectis, eas tamen interpretari sensumque inde exlundere tentat, paucis indicat Augustinus: *Quisquis vero talem inde sententiam duxerit, ut huic aedificandae charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur, nec omnino mentitur . . . . Corrigendus est tamen, et, quam sit utilius viam non deserere, demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur. Asserendo enim temere, quod ille non sensit, quem legit, plerumque incurrit in alia, quae illi sententiae contexere nequeat. Quae si vera et certa esse consentit, illud non possit verum esse, quod senserat; fitque in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam scripturae incipiat offensior esse quam sibi . . . . Titubabit autem fides, si divinarum scripturarum vacillat auctoritas* (*c*).

92. Manifestum proinde fit, quam necessario prae manibus regulas habeamus, quibus utendum sit ad scripturas explanandas germanumque illarum sensum colligendum, nisi forte lubeat capitis nostri commenta tamquam germana Spiritus sancti effata publicare. Qua de re legas, quae Hieronymus (*d*) quaeque Augustinus (*e*) scripto tradiderunt. Quamobrem regulas illas iam suggeremus, quarum alias *proximas* vocamus utpote ex ipsis scripturis petitas, alias vero *remotas*.

(*a*) Praef. in Psalm. ad Frideric. elector. Sax. Opp. T. II. Ienae 1557, et all. locc.

(*b*) Iacula ecclesiae Christi cathol. n. CXCIII.

(*c*) Doctr. christ. L. I. cc. 36. 37.

(*d*) Ad Paulinum ep. LIII al. CIII.

(*e*) Prolog. in libb. de Doctr. chr.

93. Monemus autem studiosos literarum sacrarum fore, ut non sine magno emolumento legant, quae hac de re scripsit Augustinus (*a*), duo interea sedulo attendentes. Prius est, quod iam superius animadvertimus (8), Augustino, ut et patribus ceteris, nomina *literalem* et *figuratum* non semper idem sonare, quod nobis sonant. Alterum, quod ex priore consequitur, quasdam ex regulis, quas suggerit, aeque valere sive ad sensum spiritalem, sive ad literalem, dum is translatus est, determinandum (*b*). Utile etiam erit legere septem regulas a Tichonio traditas (*c*), quae pariter ad sensum tum literalem tum spiritalem pertinent, quasque explanaut Augustinus (*d*) et Isidorus Hispalensis (*e*). Iuvabunt quoque, si memoria ea teneamus, quae docet Cyrillus Alexandrinus (*f*), in scripturis tria esse diligenter consideranda. Primum est persona, quae loquitur, vel qua cum sermo confertur, vel de qua sermo est. Alterum est tempus, tum quo quis dicit, tum quo quid factum dicitur. Tertium denique res ipsa seu dicendi materies. Quae tria, quamvis etiam in aliis, praecipue tamen in prophetis psalmisque legendis ante oculos sunt habenda. Exempla proferre brevitati consulentes omittimus. Attamen, quaecumque docent vel Augustinus, vel Tichonius, vel Cyrillus, vel alii, facile eruuntur ex regulis, quas proponemus.

(*a*) Doctr. chr. LL. II. III.

(*b*) Ib. L. III.

(*c*) In Biblioth. patrum Gallandi T. VIII.

(*d*) L. c. cc. 30-37.

(*e*) De summo bono, *vel* Sententiarum L. I. c. 19 al. 25.

(*f*) Thesaur. de Trin. assert. XX ante medium, *vel* ex interpretatione *Trapezuntii* L. VIII. c. 2.

CAPUT V

Regulae remotae.

REGULA I

Dispositio et comparatio animi.

94. Audacius sacros scripturarum aditus sibi pervios futuros esse ille confideret, qui non prius, quominus id ipsi Deus deneget, morum integritate sanctiorisque vitae instituta ratione sibi consuleret, prospiceretque. Praeiudicio enim iam condemnatus est, lataque in ipsum est a Spiritu sancto sententia: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*a*), quum proclivitas ad vitia et sapientiae huius divinae amor ac studium abnuant simul commorari; quod Hieronymus his verbis Rusticum commonebat: *Ama scientiam scripturarum, et carnis vitia non amabis* (*b*), hisque aliis Vigilantium: *Non est eiusdem hominis et aureos nummos et scripturas probare, et degustare vina et prophetas vel apostolos intelligere* (*c*). Augustinus autem haec scribit: *Quisquis igitur scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non aedificet istam geminam charitatem Dei et proximi, nondum intellexit* (*d*).

95. Neque a vitiis abstinendum solummodo, sed in virtutes omnigenas sacrarum literarum studioso incumbendum est. Per quas totidem veluti gradibus qua ratione ad sapientiam illam obtinendam perventurus sit, pulcre edisserit Augustinus (*e*), remque totam ita perstringit: *Cum quisque cognoverit finem praecepti esse charitatem, de corde puro, et conscientia bona, et fide non fi-*

(*a*) Sap. I, 4.
(*b*) Ep. CXXV al. IV. §. 11.
(*c*) Ib. LXI al. LXXV. §. 3.
(*d*) Op. c. L. I. c. 36.
(*e*) Op. c. L. II. c. 7.

cta, omnem intellectum divinarum scripturarum ad ista tria relaturus ad tractationem illorum librorum securus accedat (a). Exemplo sit Marcella nobilissima illa ac sanctissima femina, quae, ut Hieronymus narrat, *postquam mandata* COMPLESSET, *tunc se sciret mereri intelligentiam scripturarum (b)*. Cum primis vero, si sapientia *longe . . . . abest a superbia (c)*, *ubi autem est humilitas, ibi et sapientia (d)*, si, teste Augustino, *scriptura . . . sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat (e)*, frustra divina haec oracula speraremus a nobis intellectum iri, quin humiles animi sensus ac dociles iisdem excipiendis adhibeamus (f). Cum primis vero divinam auctoritatem et fidem eo, quo par est, loco habeat, oportet, qui haec studia tractat, quo scripturas sacras perpetuo meminerit Dei effata esse, easque summa cum religione suspiciat, ac veneretur, ne, si secus faciat, assuescat paullatim illas ea habere ratione eoque loco, quo libri reliqui haberi solent; hic enim scopulus ille est, in quem bene multi ex hodiernis interpretibus, quo peius impingunt, eo magis sibi plaudere non verentur.

96. Denique, quoniam *omnis sapientia a Domino Deo est (g)*, altius quam fieri potest studiosorum animis haec Augustini verba inscripta esse vehementer optamus: *Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium literarum, ut in scripturis sanctis genera locutionum sciant, et, quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant, verum etiam*, QUOD EST PRAECIPUUM ET MAXIME NECESSARIUM, ORENT *ut intelligant (h)*. Id sane egit ipse Augustinus, qui scripturas explanans saepius ad Deum opem imploraturus confugiebat (i), id Hieronymus flagitans aliorum precibus ac votis iuvari ad divina oracula enarranda (k), id Thomas, qui *in difficultatibus locorum sacrae scripturae ad orationem ieiunium adhibebat (l)*.

(a) Ib. L. I. c. 40.
(b) Ad Principiam ep. CXXVII al. XVI. §. 4.
(c) Eccli. XV, 7.
(d) Prov. XI, 2.
(e) De Gen. ad lit. L. V. c. 3.
(f) V. *August.* Doctr. chr. L. II. c. 41.
(g) Eccli. I, 1.
(h) Doctr christ. L. III. c. 37.
(i) V. Confess. L. XII passim, et alibi.
(k) V. Praefatiunculas ante singulos libros Comment. in Isaiam.
(l) Lectiones Breviarii die VII martii.

REGULA II

Notitia caussarum obscuritatis.

97. Scripturarum obscuritas duplici ex fonte oritur, tum ex rebus ipsis, tum etiam ex verbis et loquutionibus. Porro res obscuritatem libro huic affundunt, vel quod, quum ipsae nobis historia plura reticente ignotae sint ex toto aut ex parte, neque ex narratione ipsa neque aliunde habent, quo clarescant; vel quod captum mentis humanae transcendunt. Prius istarum rerum genus sunt universi creatio (*a*), prima gentium origo (*b*), plura vel desumpta ex vetustiore quorumdam populorum historia, puta, qui ex Ismaele (*c*), quique ex Esau prodierunt (*d*); vel quae morum ac religionum sunt, ut *Osculari manum (e)*, *Issachar asinus fortis accubans inter terminos (f)*, *Funes ceciderunt mihi in praeclaris (g)*, *Applicare arcam Dei (h)*, *Contrahere manum (i)*, *Ostensio et sanctitas (l)*, *Applicare ephod (m)*; vel ad geographiam pertinentia, regiones, inquam, ut *Hevilath (n)*, *Ophir (o)*, *Saba (p)*, *Tharsis (q)*, urbes, ut multae illarum, quae in libro Iosuae enumerantur (*r*), flumina, ut *Phison (s)*, *Gehon (t)*; plura quoque, quae historiae naturalis sunt, sive animalia, ut *behemoth (u)*, *leviathan (v)*, sive plantae, ut *ligna setim (x)*, *herba borith (y)*, sive lapides, ut quas pontifex maximus gestabat in pectore (z); sed et alia sexcenta. Alterum rerum genus, quae scripturas obscuriores faciunt, est illud, quod propius Deum divinaque attingit; huiusmodi sunt mysteria et doctrinae non paucae.

(*a*) Gen. I.
(*b*) Ib. X.
(*c*) Ib. XXV, 13-18.
(*d*) Ib. XXXVI.
(*e*) Iob. XXXI, 27.
(*f*) Genes. XLIX, 14.
(*g*) Ps. XV, 6.
(*h*) I Reg. XIV, 18.
(*i*) Ib. 19.
(*l*) Ib. 41.
(*m*) Ib. XXIII, 9.
(*n*) Gen. II, 11.
(*o*) III Reg. IX, 28.
(*p*) Ib. X, 1.
(*q*) Ib. 22.
(*r*) Ios. XIII seqq.
(*s*) Gen. II, 11.
(*t*) Ib. 13.
(*u*) Iob. XL, 10-19.
(*v*) Ib. 20-28.
(*x*) Ex. XXV, 5.
(*y*) Ier. II, 22.
(*z*) Ex. XXVIII, 17-20.

98. De obscuritate autem illa, quae ex vocibus ipsis oritur, ita Augustinus: *Duabus autem caussis non intelliguntur, quae scripta sunt, si aut ignotis aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa vel propria vel translata (a).* Signa vero haec Augustino sunt tum verba tum loquutiones (*b*). Ignotum fit verbum ex ignorantia linguae aut significationis; loquutio autem ignota fit tum ex linguae tum ex materiei ignorantia, tum etiam ex propria obscuritate. Verbum ambiguum fit vel ex multiplici significatione, vel ex diversa syllabarum quantitate; loquutio vero vel ex multiplici significatione, vel ex pronuntiatione, vel ex interpunctione. Horum omnium exempla subdimus ex vulgato interprete deprompta, quae quidem explanare quamvis nihil negotii habeat, quum ceterarum regularum deinceps proponendarum usus est, studiosis tamen iuvenibus haudquaquam inutile accidet ea indicasse.

99. Verba ignota ob linguae ignorationem: *ariel (c), raca (d), Maran atha, (e), cornu (f), principium doloris mei (g).*

Verba ignota ob ignorationem significationis: *filii Dei (h), vitulamina (i), olla spei (l), fera arundinis (m), sabbatum secundoprimum (n).*

Verba ambigua ex multiplici significatione: *spiritus (o), benedico (p), christus (q), patria (r).*

Verba ambigua ex diversa syllabarum quantitate: *praedico (s), concido (t), os (u), plaga (v).*

100. Loquutiones ignotae ob linguae ignorationem: *Suscitare nomen fratris (x), Facere* seu *aedificare alicui domum (y), Dare* seu *extinguere lucernam alicui (z).*

(*a*) Doctr. christ. L. II. c. 10.
(*b*) Ib. c. 14.
(*c*) I Par. XI, 22.
(*d*) Matth. V, 22.
(*e*) I Cor. XVI, 22.
(*f*) Ps. CXXXI, 17.
(*g*) Gen. XLIX, 3.
(*h*) Ib. VI, 2.
(*i*) Sap. IV, 3.
(*l*) Ps. LIX, 10.
(*m*) Ib. LXVII, 31.
(*n*) Luc. VI, 1.
(*o*) Io. III, 8.
(*p*) Iob. I, 5.
(*q*) Ps. XIX, 7.
(*r*) Ib. XCV, 7.
(*s*) Ier. XXXIV, 17; Gal. V, 21.
(*t*) Ier. XLVII, 5; Ezech. XXIII, 25.
(*u*) Iob. V, 16; Ps. CXXXVIII, 15.
(*v*) Ezech. VII, 2; Apoc. XVI, 9.
(*x*) Deut. XXV, 7.
(*y*) Ex. I, 21; II Reg. VII, 11.
(*z*) III Reg. XV, 4; Iob. XXI, 17 coll. 8; Ps. CXXXI, 17.

Loquutiones ignotae ob ignorationem materiei: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae (a), Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum (b).*

Loquutiones ignotae ex propria obscuritate: *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi (c), Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri (d), De cruore occisorum et de captivitate nudati inimicorum capitis (e).* Atque huc pertinet plerumque usus ellipseon in scripturis haud infrequens (163).

Loquutiones ambiguae ex multiplici significatione: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; . . . hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius (f), Qui amat animam suam, perdet eam (g), Calix in manu Domini vini meri plenus misto etc. (h).*

Loquutiones ambiguae ex pronuntiatione: *Dic ei: Sanaberis* (?). *Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur (i), Qui plantavit aurem, non audiet* (?), *aut, qui finxit oculum, non considerat* (?) *(l), Animam tuam pro me pones* (?) *(m), A Nazareth potest aliquid boni esse* (?) *(n), Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat* (?). *Quis est qui condemnet? Christus Iesus* (?) *(o).*

Loquutiones ambiguae ex interpunctione: *Verbum erat apud Deum,et Deus erat* -VERBUM- *hoc erat in principio apud Deum(p), Coarctor autem* - E DUOBUS - DESIDERIUM HABENS - *dissolvi etc. (q), Ideo consolati sumus* - FRATRES - *in vobis (r).*

(a) Luc. XVII, 37.
(b) Gen. IV, 23.
(c) Is. XXVIII, 10.13.
(d) Ps. LXVII, 14.
(e) Deut. XXXII, 42.
(f) Rom. XII, 20 ex Prov. XXV, 21. V. *August.* Doctr. christ. L. III. c. 16.
(g) Io. XII, 25. V. *August.* ib.
(h) Ps. LXXIV, 9. V. *August.* ib. c. 25.
(i) IV Reg. VIII, 10.
(l) Ps. XCIII, 9.
(m) Io. XIII, 38.
(n) Ib. I, 46. V. *August.* ib. c. 3.
(o) Rom. VIII, 33.34. V. *August.* ib
(p) Io. I, 1. 2. V. *August.* ib. c. 2.
(q) Philipp. I, 23. V. *August.* ib.
(r) I Thess. III, 7. V. *August.* ib. c. 4.

REGULA III

Doctrinae catholicae.

101. *Cum verba propria*, inquit Augustinus, *faciunt ambiguam scripturam, . . . consulat (interpres) regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis et ecclesiae auctoritate percepit* (*a*). Loci vero theologici nos docent, unde *fidei* regula petenda sit, ethica autem et theologia moralis ipsam morum honestorum regulas ac normas nobis suppeditant. Ac primo, quod attinet ad sensum dignoscendum, utrum proprius sit an translatus, inquit Augustinus, *quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem neque ad fidei veritatem* PROPRIE *referri potest*, FIGURATUM *esse cognoscas (b).* Translata itaque sunt illa: *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum (c),* quum eorum sensus proprius Deo iniurius sit; atque illa: *Statue cultrum in gutture tuo* (*d*), quae flagitium videntur suadere, sicut et quae legimus apud Matthaeum V, 29. 30; XIX, 12. Eadem regula adhibita distinguimus ambigua. Quare *carbones ignis* (*e*), quos congerere in caput inimici iubemur, haudquaquam confusionem ac ruborem, quem inimico afferre velle ulciscentis foret, sed, ut ait Augustinus, *urentes poenitentiae gemitus (f)* significare potius putandi sunt, aut etiam modum flectendi animum inimici, prout arabicum صلا significat *immittere in ignem*, secunda autem forma *flexibilem reddere.* In illa Pauli sententia, quam retulimus (100): *Quis accusabit adversus electos Dei?* (*g*), magis consentaneum erit christianis doctrinis, si verba *Deus, qui iustificat,* et *Christus, qui mortuus est,* interrogatione proferantur. Inde quoque discimus initio evangelii Ioannis vocem *Verbum* iungendam esse vocibus prioribus: *et Deus erat,* non autem posterioribus: *Hoc erat in principio apud Deum*; quod tamen aliis quoque argumentis ducimur, ut faciamus.

(*a*) Doctr. chr. L. III. c. 2.
(*b*) Ib. c. 10.
(*c*) III Reg. XXII, 23.
(*d*) Prov. XXIII, 2.
(*e*) Ib. XXV, 21; Rom. XII, 20.
(*f*) L. c. c. 16.
(*g*) Rom. VIII, 33. 34.

REGULA IV

Auctoritas ecclesiae.

102. Potissima bibliorum explanandorum regula Christianis sit oportet auctoritas ecclesiae. Qua de re patres Tridentum congregati legem iusserunt his verbis conceptam: *Ad coercenda petulantia ingenia (synodus) decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, ... ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent (a).* Ratione fecisse patres illos, quod id sciverint, theologi demonstrant, tametsi nemini non pateat. Nos vero legem hanc retulisse contenti, quomodo regulae usus ad eam exigendus sit, paucis exponemus.

103. Itaque primum attende, quibus de rebus dicta sint verba bibliorum, quae es interpretaturus. Si de *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* sunt dicta, eorum tamen sensus ecclesiae auctoritate non sit definitus, superior regula, quam tertio loco posuimus, utenda tibi erit. Sin autem pontifex maximus auctoritate sua usus aut una cum eo sacrorum antistites in concilium convocati sensum illorum verborum nos docuere, non alia interpretationis regula erit adhibenda. Nam id docent vel directe vel oblique; directe, quum expressis verbis definiunt sancteque pronuntiant ea verba hoc aut illud sonare; oblique, quum argumento ex verbis istis petito id confirmant, quod de aliqua rerum illarum decreverunt. Utravis harum rationum sensum verborum, de quibus quaestio est, ab illis doceamur, verba haec in oppositam sententiam acci-

(a) Sess. IV. Decretum de editione et usu sacrorum librorum. V. *Pallavicino* Storia del concilio di Trento L. VI. c. 18.

pientes iam scripturas sacras interpretaremur *contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia*, legemque modo relatam perfringeremus, idque etiamsi posteriore tantum ratione illi egerint. Etenim, quoties dogma aliquod nobis αὐθεντικῶς tradunt, non illud veluti quid novum effingunt, sed vel ex scripturis sacris colligunt vel ex doctrina a maioribus tradita, quorum prius ut citra errorem faciant, necesse est, ut verborum sensus certo ab iis teneatur, ideoque, quum dogma a se propositum prolatis sacrorum auctorum testimoniis vel confirmant, vel confirmari posse pronuntiant, tantumdem praestant, ac si espresse horum testimoniorum sensum definirent.

104. Utriusque rationis specimina haec habeto. Verba Christi: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (a)*, accipienda omnino sunt tamquam dicta *de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae*, nullo autem pacto detorquere ea possumus *ad auctoritatem praedicandi evangelium*, quum illum, non vero hunc, esse eorum verborum sensum patres Tridentum congregati decreverint (*b*). Eamdem ob caussam, quae legimus in epistola Iacobi de ungendis infirmis (*c*), ea de sacramento extremae unctionis scripta esse credenda sunt (*d*). Verba autem Pauli: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (e)*, dicta esse de peccato originali in dubium vocare nefas est vel eo ipso, quia iidem illi patres suam de originali peccato sententiam his verbis confirmarunt (*f*), etiamsi non decrevissent, ut paulo post fecerunt (*g*), sic esse intelligenda.

105. Quod si pontifex maximus munere suo fungens aut antistites una cum eo consiliantes verba, de quibus quaeris, retulerint in certum aliquem sensum accepta, quin tamen alterutra illarum ratione hunc sensum definiverint, id satis non est, ut certo constet eum esse,

---

(*a*) Io. XX, 22. 23.
(*b*) Sess. XIV. de sacr. poenit. can. 3.
(*c*) Iac. V, 14. 15.
(*d*) Sess. XIV. de sacr. extr. unct. cann. 1. 3. 4.
(*e*) Rom. V, 12.
(*f*) Sess. V. decr. de pecc. orig. 2.
(*g*) Ib. 4.

quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia, adeoque nec praedictae legi locus tunc erit. Exemplo huius rei sunt illa: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* (a), relata, ubi tridentina *synodus .... declarat, ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum* (b); etsi enim doctrina haec semper obtinuerit in ecclesia, non ideo tamen, quia verba ista synodus in talem sensum accepta tunc retulerit, veluti his doctrina illa comprobaretur, non, inquam, consequitur sensum hunc verbis illis subesse, quum neque id synodus definiverit, neque ea verba ad eam doctrinam revera confirmandam produxerit ex evangeliis, sed solum κατ' ἄνθρωπον, ut aiunt, et quo refutaret Protestantes, dum ex aliis Christi verbis, in quibus, non modo manducandae *carnis*, sed et *sanguinis* bibendi mentio est (c), doctrinam illi oppositam extorquebant. Lege Melchiorem Canum (d).

106. Ceterum, ut errorem caveamus, sedulo expendenda sunt ipsa verba, quibus loquuntur pontifices maximi atque antistitum concilia, dum testimonia sacrorum scriptorum proferunt. Considera exempli caussa in actis synodi tridentinae, qua ratione patres, ubi *ecclesiae potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiae* (e) ab ipsis definitur, quoddam Pauli (f) testimonium protulerint.

107. Quod si pontifices maximi non αὐθεντικῶς verba illa interpretentur, sed more ceterorum enarratorum aut concionantium, quamvis *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, non maior est interpretationibus huiusmodi auctoritas, ac sit interpretationibus singulorum sive patrum sive theologorum. Neque enim lex Tridenti lata iubet nos habere velut *eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia*, omnes singillatim illas interpretationes, quas legimus, puta, in libris Leonis Magni aut Gregorii Magni, quantumvis hi putaverint verba, quae interpretabantur, dicta a sacris scri-

---

(a) Io. VI, 59.
(b) Sess. XXI. c. 1.
(c) Io. VI, 57.
(d) Loc. theol. L. V. c. 5. q. 4.
(e) Sess. XXI. c. 2.
(f) I Cor. IV, 1.

ptoribus fuisse de *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*. Volo dicere, quod, quum pontifices maximi non αὐθεντικῶς interpretantur verba bibliorum, haud certo constet his verbis eum sensum subesse, qui res illas attingat, quemque illi subiiciunt; minime vero dicere volo, quod sensus huic oppositus, id est, a christianis doctrinis discrepans, verbis istis subsit, aut subesse possit. Imo et illud contendo, quod temeritatis notam haud facile ille vitaret, qui, ut ut sententiam ipsam acciperet, quam Catholici, tametsi pontifices maximi aut antistitum concilia non expresse id docuerint, certis quibusdam bibliorum verbis subesse unanimi consentiunt, negaret nihilominus eam his iisdem verbis subesse.

108. Quando autem verbis, quae interpretamur, aliae res dicuntur, ut sunt, quae ad historiam pertinent, ad geographiam, ad antiquitatem, ad temporum rationes, tunc locus non est legi tridentinae, quae de *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* lata solummodo est; sed neque regulae, quam nunc suggerimus, quem enim in sensum huiusmodi bibliorum capita accipere oporteat, ecclesia decernere non solet, nisi forte ex ea parte quatenus *rebus fidei et morum* eorum quaedam veluti contigua sunt.

REGULA V

Auctoritas patrum.

109. Quanti facienda sit patrum auctoritas in scripturis explanandis, is nos docet, quo potiorem vix optare est, Hieronymus, inquam, scribens se in suis commentariis MAIORUM IN OMNIBUS *secutum esse sententiam*, . . . *quorum aemulari* exoptaret *negligentiam*, *potius quam aliorum obscuram diligentiam (a)*. Ad Eustochium vero haec scribebat: *Compulit me (Paula), ut vetus et novum instrumentum cum filia me disserente perlegeret.... Praestiti, ut docerem, quod didiceram, non a me ipso, id*

(a) Ad Pammach. ep. XLVIII al. L. §. 15.

est, *a praesumtione pessimo praeceptore*, *sed ab* illustribus ecclesiae viris (*a*). Non valde ab his diversa et Protestantes nonnulli sensere, ex quibus sufficiat nominasse Ioannem Clericum (*b*).

110. Patres vero in aliqua scripturarum parte exponenda vel discrepant inter se, vel consentiunt. Si discrepant, integrum cuique erit quamlibet ex eorum sententiis aut aliam iis amplecti, nisi ratio aliqua praeterea sit, quae unam prae alia sequi nos cogat. Proinde prima verba geneseos: *In principio creavit Deus caelum et terram* (*c*), licet, ea ratione interpreteris, quae verior tibi videbitur, dummodo nec catholicis doctrinis, nec historiae illius veritati, ea adversetur; patres enim in illorum verborum interpretatione non consentiunt. Eadem ratio est quarumdam quaestionum, quae haberi possunt de sex diebus creationis (*d*), de duplici Christi genealogia (*e*), de anno, quo Ioannes Baptista munus suum auspicatus est (*f*), et similibus.

111. Sin antem patres in aliqua interpretatione scripturarum consentiunt, ita tamen, ut nec pauci sint, neque sequioris notae, quaerendum ulterius est, utrum ea, quae interpretantur, dicta sint de *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, an secus. Si secus, non vetamur ab eorum sententia discedere, quod tamen caute fieri oportet nec sine optima caussa, quum ad huiusmodi quoque capita scripturarum recte explicanda patrum consensus non leve momentum afferre soleat, nec unqam eorum auctoritatem suspicere ac revereri non debeamus. Hinc illud, quod iam videmus pios ceteroquin viros atque eruditos deserere omnium patrum, qui hac de re scripserunt, sententiam, ambas genealogias in evangelio descriptas ad Iosephum pertinere. Tum in huiusmodi bibliorum capitibus explicandis illum patrum consensum, quem diximus, plerumque non haberi compertum est

112. Verum e contrario lata lege cautum est, ne quis *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae perti-*

(*a*) Ep. CVIII al. XXVII. §. 26. Vide etiam Praefationes Commentar. de ep. ad Eph. et Paralipomenon ex LXX.

(*b*) Briefe einiger holländischen Gottesgelehrten I Th. S. 79.

(*c*) Gen. I, 1.

(*d*) Ib. 3-31.

(*e*) Matth. I, 1-17; Luc. III, 23-38.

(*f*) Luc. III, 1. 2.

nentium, ... contra unanimem consensum patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat, illa ipsa, inquam, lege, qua id facere vetamur *contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia* (102). Quam legem negligere is exempli caussa dicendus esset, qui, patribus cunctis secus sentientibus, negaret prima Ioannis evangelistae verba Filium Deum Deo Patri consubstantialem significare, aut affirmaret verba Christi : *Diligite inimicos vestros* (a), non, ut sonant, esse intelligenda. Haec vero lex quam sapienter lata fuerit, theologi te docebunt, quandoquidem ea, de quibus patres consentiunt, quum agitur de *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, nequeant non eas notas prae se ferre, quibus catholicas doctrinas insigniri animadverterunt Tertullianus (b) et Vincentius Lerinensis (c).

113. Porro circa huius regulae usum quaedam animadvertere est. Quorum primum est, plura, quae illum attingunt, ac scitu necessaria sunt, consulto nos praeterire, ne modum disputationis nostrae excedamus; quamombrem ex locis theologicis ea petere oportebit. Alterum est, prout iam diximus (111), hunc patrum consensum in aliis, quam *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, non adeo e facili, ut quis fortasse putat, neque adeo saepe, haberi. Praeterea, etsi non omnimodis accipiendum sit, quod scribit Richardus Simon (d), patres in suis commentariis conscribendis potius, quod a maioribus traditum erat, sectatos esse, quam literalem sensum scripturarum, ideoque, quae ex scripturis proferunt, non tam explicare, quam accommodare argumento, accipere tamen necesse est, quod praeclarissimum Galliarum lumen ac Simonis castigator acerrimus Bossuetus apocalypsim enarraturus praefabatur : *Patres in interpretatione scripturarum non id sibi proponunt, ut sensum literalem urgeant, nisi quum dogmata confirmanda atque haeretici refellendi sunt. Alibi passim in morali plerumque sensu exquirendo toti sunt* (e). Qui vero prae ceteris sensum

(a) Matth. V, 44.
(b) Adv. Praxeam c. 2 et al.
(c) Commonitor. §. 3.
(d) Hist. crit. du V. T. L. III. c. 10.
(e) Préface sur l'explication de l'apocalypse §. 22.

literalem sectati sunt, e latinis Hieronymum et Augustinum, e graecis Chrysostomum et Theodoretum habemus. Meminerimus etiam, oportet, verba scripturarum patres subinde memoriter protulisse, idque ipsimet produnt, non tam ideo, quia, quae eadem sunt, aliter apud alios leguntur, quod discrepantibus bibliorum, quibus illi utebantur, exemplaribus tribui posset, quam quià unus atque idem pater unam eamdemque scripturarum sententiam alias aliter refert non iisdem verbis conceptam, nec solum in diversis libris, sed vel in uno eodemque sermonis capite. Exemplo ea sint, quae habet Ambrosius in libro III Commentariorum de Lucae evangelio §§. 8 et 9. Uni nonnunquam prophetae ea tribuunt, quae alterius sunt, uti Iustinus, qui (*a*) Danielis verba (*b*) tribuit Ieremiae, et (*c*) Zachariae ea, quae de Elia praedixit Malachias (*d*). Quin vel diversarum sententiarum verba interdum coniungunt; ita idem Iustinus oraculum nobis exhibet (*e*) conflatum ex oraculis Balaami (*f*) et Isaiae (*g*), atque huic alteri tribuit. Eadem reperire est apud Clementem Romanum (*h*), apud Barnabam (*i*), apud Ignatium (*l*), apud Clementem Alexandrinum (*m*), apud Tertullianum (*n*), apud Origenem (*o*), apud Hilarium (*p*), in Constitutionibus apostolicis (*q*), de quibus lege adnotata a Cotelerio. Nec raro sententiam potius sacrorum scriptorum, quam verba ipsa, patres curant referre, uti, exempli caussa, Barnabas in sua epistola (*r*), et Clemens in sua (*s*), et Ignatius in epistola ad Trallianos data (*t*), et Iustinus in Cohortatione ad Graecos habita (*u*). Id autem apostolos quoque eorumque asseclas fecisse iam animadverterat Hieronymus (*x*).

114. Cavendum denique est, ne sinamus nos in syrtes, ut ita dicam, urgeri a quibusdam enarratoribus scripturarum, dum patrum

---

(*a*) Apolog. I. §. 51.
(*b*) Dan. VII, 13.
(*c*) Dial. cum Tryph. §. 49.
(*d*) Mal. IV, 6.
(*e*) Apolog. I. §. 32.
(*f*) Num. XXIV, 17.
(*g*) Is. XI, 1.
(*h*) Ep. ad Corinth. §. 46.
(*i*) Ep. §§. 5. 16.
(*l*) Ep. ad Trallianos interpol. §. 10.
(*m*) Centon. III fin.
(*n*) Adv. Marcion. L. IV. c. 35.
(*o*) In Numer. hom. XXV. §. 1.
(*p*) In Ps. CXVIII, 165.
(*q*) L. VI. cc. 18. 19.
(*r*) §. 2, ubi ea legenda, quae adnotavit *Menardus*.
(*s*) §§. 42. 46.
(*t*) §. 10 interpol.
(*u*) §. 28.
(*x*) In Am. V, 27.

auctoritates allegant. Reperire enim inter illos est, qui id, quod aliquis patrum rem coniectando opinabatur, tamquam traditionis documentum, imo tamquam verum dogma, nobis obtrudant, quod iam olim Bossuetus questus est (*a*). Alii aliquos patres tamquam ipsorum sententiae adstipulantes nominatim citant, quos patres fuisse deprehendas in sententia illius plane contraria. Exempli gratia, sunt apud Alphonsum Nicolai (*b*), qui narrent, Ambrosium (*c*) et Leonem Magnum (*d*) vitio vertisse Abrahae rem habitam cum ancilla Agare, quamvis Leo nullo modo aliquid tale protulerit, Ambrosius vero etiam negaverit. Multo autem minus iis fidendum est, qui eodem pacto patres in universum nominant, quamvis non raro videas esse patres non paucos, imo etiam plures, qui prorsus dissentiant. Sed tunc potissimum est diffidendum, quum aiunt aliquam opinionem patribus communem esse, quod idem fere sonat, ac si diceretur consensus patrum opinioni huic suffragari; accidere quippe solet, ut iste consensus reapse nullus sit, nec opinio illa patribus communis. Ita Tirinus pronuntiat patres communiter sentire verba Isaiae (*e*): *Generationem eius quis enarrabit?* dicta esse de utraque Verbi divini generatione, quod an vere protulerit, ex iis, quae superius (35) disputavimus, satis apparet. Vide regulam sextam (115 seqq.).

REGULA VI

Auctoritas enarratorum.

115. De illorum libris, qui postremis aetatibus scripturas explanarunt, ea tantum ex parte nunc agimus, quatenus nos iuvant ad literalem sensum eruendum librorum divinorum; quae autem dicemus, ea etiam in patrum scripta, ut singuli eorum privati interpretes sunt, plane quadrant.

116. Usus itaque commentariorum talis sit oportet. Atque illud in primis cavendum, ne iurare, ut aiunt, in verba magistri assue-

(*a*) L. c. §. 13.
(*b*) Lezioni sacre sul genesi Lez. XXXIV.
(*c*) De Abraham patriarcha L. I. c. 4.
(*d*) Ad Rustic. ep. CLXVII al. XCII al. II. inquisit. 4.
(*e*) Is. LIII, 8.

scamus. Itaque, si quam sententiam interpretis alicuius quantumvis sapientis atque eruditi auctoritate commendari videas, non ideo in eam continuo atque opertis oculis concedendum tibi est, quin prius dispexeris, an ad regulas artis criticae et hermeneuticae exacta ea sit. Neque uni aut alteri ex scripturarum interpretibus fidere prorsus, multoque minus veluti sectatores nos addici, convenit, sed praestantissimi quique consulendi, atque inter se conferendi; vix enim erit inter eos, a quo non aliquid e re tua capias. Quin ipsa dissensio, quae etiam inter clariores interpretes subinde exsistit, vel quia nos compellit ad rem, de qua illi certant, magis attendere animum, vel qua demum cumque alia ratione, veritatis adhuc fortasse latentis reperiendae viam nobis interdum recludet. De reliquis interpretibus, quoniam omnes consulere nec possibile est nec necessarium, plerumque vero etiam inutile, potiores consulito, saltem quum regula aliqua adhibenda a te est, cuius usu hi praestitere, puta, in arte critica, in peritia linguarum orientalium, in scientia antiquitatis, inque horum similibus. Eam ob rem, quanam harum rerum quisque interpres excelluerit, compertum habeas, necesse est.

117. Ut autem huiusmodi virtutes et vitia comperta habeamus, haec prius atque universe animadvertisse iuvabit. Scripturarum interpretes alii christiani sunt, iique catholici aut heterodoxi, alii vero iudaei. Interpretes iudaei testamentum vetus solummodo aut aliquem huius librum, e christianis alii vetus, alii novum testamentum, alii utrumque enarrarunt, aut integrum aut ex parte. Horum operibus *Commentarii*, *Tractatus*, *Quaestiones*, *Homiliae*, *Scholia*, *Glosae*, usitatiores tituli sunt. Plerique interpretes, qui priscis aetatibus vixere, sed et recentiorum non pauci, peritia linguarum, usuque exquisitioris illius κριτικῆς δυνάμεως, quae nunc obtinet, nec non penitiore quadam historiae atque antiquitatis notitia destituebantur, quod tamen damnum priores illi rependebant scientia pleniore ac puriore eorum, quae, non scriptis consignata, sed voce tradita, a maioribus ad posteros transmittebantur. Porro interpretum alii sensum ipsum scripturarum tum literalem tum spiritalem sectabantur potissimum, hique hoc nomine ceteris omnibus praestant, utpote qui ipsas interpretis partes egerint. Alii toti in eo erant, ut narrationes sententiasque, quae in scripturis leguntur, erudiendis informandisque Christianorum moribus accommodarent, ut patres bene multi

fecere. Iudaei sensum quoque illum scripturis affinxerunt, quem in numeris, in dimensionibus, inque ipsis scripturarum literulis latentem deprehendere kabbala eos docebat.

118. Tum, si roges, *quid a commentario, qui forte in manus venit, sperandum sit*, facile id ipse cognosces, ut scribit Ioannes Iahn, *si loca quaepiam, quae novisti a difficultatibus criticis vel exegeticis celebria, evolveris, et explicationem examinaveris. Accedunt externa quoque indicia boni interpretis, uti linguarum cognitio, sedula et diuturna lectio scriptorum orientalium et graecorum, vasta eruditio, atque multa exercitatio exegetica; ex quibus omnibus facile colligitur, quid ab interprete his instructo vel destituto exspectandum sit (a).*

119. Porro, quod attinet ad interpretes Protestantes, haec sedulo sunt consideranda. Ac primo cautione opus esse in utendis illorum commentariis, sive de vetustioribus sermo sit, sive de recentioribus, potissimum vero quae de novo testamento ab illis edita sunt, ne quod forte inde virus perniciosorum dogmatum animo imbibamus. Diversam tamen esse rationem caussamque periculi in vetustioribus ac in recentioribus. Illi enim in eo peccant, vel quod falsa et prava principia veluti fundamenta suarum interpretationum substruant, uti Ioannes Crellius ac Socinianorum (487) reliqui fecerunt, quique iis assentit ex parte, Hugo Grotius (393. 488), vel quod, ubi occasio id fert, sectarum suarum dogmata urgeant, et scripturarum sacrarum auctoritate confirmare adnitantur. Recentiores vero ita biblia tractant, sicut alium quemlibet scriptorum vetustissimorum, puta, Orpheum aut Sancuniathonem, sive Indorum ac Persarum libros, nulla ratione habita notae ac veluti characteris potissimi, quo biblia Dei ipsius opus esse noscuntur; quod quam misere hominibus istis cesserit, ex suis prophetarum praesertim enarrationibus intelligere est.

120. Id tamen commodi ex eorum scriptis percipimus, quod, dum scripturas interpretantur, quo minus ea curant, quae dogmatum et mysteriorum sunt, eo plenius et accuratius ceteris explanandis studia sua impendunt, atque ita nos, quorum etsi curae potissimae circa

(a) Enchiridion hermeneuticae generalis §. 67.

priora versentur, oportet, tamen alia haec quoque in promptu habere refert quam maxime, nos, inquam, non mediocri laboris parte levare dicendi sunt. Quare et ab illis etiam quaerere est atque in rem nostram ea derivare, quae ad scripturas recte intelligendas conducunt.

121. Qua in re patres exemplo nos praeiverunt, quum ex Haereticorum libris plura recte dicta transcriberent, idque fieri tuto posse imo et debere adseverarent. Etenim Hieronymus, non modo ab Origene, quem Haereticum fuisse non semel affirmat, et ab Apollinario aliisque plurima est mutuatus, sed ipsemet testatur se id fecisse, ratione autem fecisse acriter contendit (*a*). Augustinus vero regulas, quas ad biblia explicanda tradiderat Tichonius Donatista, exposuit in libris de Doctrina christiana (93), neque iam Haereticorum, sed Ethnicorum quoque scriptis ac disciplinis nos uti iubet, queis biblia illustremus, atque ita scribit: *Philosophi autem, qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, ... non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda (b)*; haec autem alia apprime e re nostra esse videntur: *Neque enim et literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium, aut, quia iustitiae virtutique templa dedicarunt, et, quae corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iustitia virtusque fugienda est; imo vero, quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit, veritatem. Quam confitens et agnoscens etiam in literis sacris superstitiosa figmenta repudiet, doleatque homines, atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt (c)*. Quid plura? Nonne ecclesia illas quoque scripturarum partes ut divinitus editas recepit, quas neque hebraicum ἀρχέτυπον habet, neque grae-

(*a*) Ad Vigilant. ep. LXI al. LXXV. §. 1; Prolog. Commentarior. ep. ad Gal. et ad Ephes; Cont. Rufin. L. I. §. 21, et alibi.

(*b*) Doctr. chr. L. II. c. 40.

(*c*) Ib. c. 18.

ca ἀπογραφα praeter illud Theodotionis, qui olim Haereticus, tum ad Iudaeos transfuga, biblia de hebraeo in graecum sermonem vertit, et nobis partes illas servavit? Nonne Paulus ipse poetarum graecorum carmina epistolis suis non semel inseruit, Arati (*a*), inquam, Menandri (*b*), atque Epimenidae (*c*)?

122. Ceterum, si enarratores bibliorum nosse desideras, plurimos ex vetustioribus iudaeos christianosque suggerit Tirinus (*d*), iudaeos omnes, quotquot sunt, recensent Wolfius (*e*) et Io. Bernardus de Rossi (*f*), omnium vero tum iudaeorum tum christianorum album ad initium usque saeculi superioris conscripserunt Calmet (*g*) et Lelong (*h*), quod ad exitum usque saeculi eiusdem iuncta opera Niemeyer et Wagnitz (*i*) protraxerunt. Plures enarratores etiam recentissimos reperies ordine aetatis simul descriptos in Scholiis Rosenmülleri ante singulos scripturarum libros, quos explanandos sumit. Quinam vero inter enarratores bibliorum ceteris praestent, qui scire vult, eum, quantum satis est, docebit Io. Bernardus de Rossi (*l*).

REGULA VII

Cognitio linguarum.

123. Quod aevo nostro studiosis scripturarum magna esse soleat commendatio a linguarum peritia, haudquaquam quid novum esse et superioribus aetatibus inauditum, testes sunt Hieronymus et Augustinus. Quorum ille ita scribit: *Ut enim veterum librorum fides de hebraeis voluminibus examinanda est, ita novorum graeci sermonis normam desiderat (m).* Alter vero: *Contra ignota signa*

(*a*) Act. XVII, 28.
(*b*) I Cor. XV, 33.
(*c*) Tit. I, 12.
(*d*) Index I in fine Commentarior.
(*e*) Biblioth. iudaica
(*f*) Dizionario storico degli autori Ebrei.
(*g*) Biblioth. sacra *ante* Dictionarium T. I. Venet. 1734.
(*h*) Biblioth. sacra T. II in fine. Parisiis 1723.
(*i*) Bibliothek für Prediger. Halle 1796. I Th. S. 156-300.
(*l*) Sinopsi della ermeneutica sacra §§. XLIV-XLIX.
(*m*) Ad Lucin. ep. LXXI al. XXVIII. §. 5.

propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem adtulerit latinorum interpretum infinita varietas (*a*), quam rem fusius deinceps explicat, atque confirmat (*b*).

124. Itaque primum linguas illas noscere oportet, quibus bibliorum *αὐτόγραφα* scripta fuerunt. Hebraica lingua editi sunt omnes fere libri protocanonici veteris testamenti, Baruch (*c*), Ecclesiasticus (*d*), et liber primus Machabaeorum (*e*), cuius tamen lingua potius syrochaldaica fuisse putatur (*f*); qua etiam longe probabilius est Matthaeum evangelium suum descripsisse (*g*). Chaldaice scripta sunt Ierem. X, 11, Dan. II, 4 - VII, I Esdr. IV, 8 - VI, 18, VII, 12 - 26, Estheris additamenta (*h*), et fortasse Tobias et Iudith (*i*). Reliqua omnia veteris et novi testamenti graeca origine sunt.

125. Sed et linguae illae cognoscendae sunt, in quas biblia prioribus aetatibus versa fuerunt. Sunt vero, praeter chaldaicam, graecam, et latinam, syriaca, samaritica, arabica, aethiopica, coptica, armeniaca, persica, quae non modo prosunt, ut biblia in eas versa legere queamus, quoties opus sit, sed insuper, sicut etiam vetustissimarum quarumdam linguarum reliquiae, puta, Phoenicum, Poenorum, atque etiam Indorum, ad linguas sacrorum scriptorum plenius ac melius intelligendas conducunt, atque ad illas praesertim, quibus vel affines sunt, vel quibus cum affinitas aliqua olim ipsis fuisse videtur. Hinc ea lux, quam etsi non tantam, ut quidam contendunt (*l*), hebraicae affundit

---

(*a*) Doctr. chr. L. II. c. 11.

(*b*) Ib. cc. 11 - 14.

(*c*) V. *Ackermann* Introduct. In LL. ss. V. F. P. II. §§. 209. 210.

(*d*) V. Prolog. Eccli., et *Hieronymi* Praef. in libros Salomonis.

(*e*) *Hieron.* in Prologo galeato, h. e. Praef. in libb. Regg.

(*f*) V. *Drach* Dissert. sur l'inscription hebraïque de la sainte Croix. Rome 1830.

(*g*) V. nostr. Quaest. de evangel. Tit. IV. q. 4.

(*h*) V. *De Rossi* Specimen VV. LL. n. IV de Estheris additamentis §§. IV-VI.

(*i*) *Hieronymus* in Prologg. Tobiae et Iudith.

(*l*) *Gesenius* Geschichte der hebr. Sprache §. 16, 2.

lingua arabica, utpote cunctis linguis semiticis, quales saltem eas modo habemus, longe copiosior, quamvis proximiores hebraicae sint dialecti linguae aramaicae, chaldaica, inquam, et syriaca, longe vero omnium proximae phoenicia et punica, quae aeque ac hebraica sunt linguae chanaaniticae seu palaestinicae dialecti, sed quarum, punicae praesertim, prorsus pauca supersunt (*a*). De dialectis hebraicae affinibus lege, quae habent Gesenius (*b*) et Iahn seu Ackermann (*c*), et quae inferius disputabimus (269 seqq.).

126. Aliae vero linguae, recentiores potissimum, quibus nulla est cum linguis auctorum θεοπνευστων aut vetustiorum interpretum affinitas, vix quidquam iuvant in scripturarum interpretatione, nisi forte ideo, quia aliquot dicendi modos habent, qui etiam in illis sunt, verum qui, non tam sensum scripturarum aperiunt, quam interpretationem ipsam exornant. Hoc exornationis genere ad nauseam usque uti videas recentiores nonnullos bibliorum enarratores; quo etiam pertinet congeries illa indigesta plerumque exemplorum, quae ex scriptoribus praesertim arabibus, graecis, et latinis, quidam corradunt ad ea in scripturis illustranda, quae vix ulla aut saltem non tali indigent illustratione.

127. Quaenam ex huius regulae usu utilitas potissimum capiatur, apparet ex eo, ut dicit Augustinus, quod *quis horum (interpretum) vera sequutus sit, nisi exemplaria linguae praecedentis legantur, incertum est, ... et, quae sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate atque iudicio conatur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretantur . . . . Nam, non solum verba singula, sed etiam locutiones saepe transferuntur, quae omnino in latinae linguae usum . . . . transire non possunt (d).* Ut aliqua exempli gratia proferamus, notum est idiotismis et loquutionibus Iudaeorum propriis scatere, non modo interpretationes bibliorum graecam et latinam, sed vel ipsum graecum ἀρχετυπον novi testamenti, quorum maxima pars repetenda est ex diverso usu diversaque syntaxi particularum, quae diversitas si magna in ceteris linguis est, in orientalibus infini-

(*a*) V. *Id.* l. c. §. 4.
(*b*) Ib.
(*c*) Introd. in libros sacros V. F. P. I. §§. 74-80.
(*d*) Doctr. chr. L. II. cc. 12. 13.

tam propemodum eam dixerim, cuius rei argumento esse potest opus Christiani Noldii, cui titulus *Concordantiae particularum ebraeo-chaldaicarum (a)*. Harum tamen particularum usum commodius et securius, quam ex opere illo Noldii, disces ex Gesenii *Thesauro philologico critico*. Isaiae verba, quae interpres vulgatus sic transtulit: *Carnem tuam ne despexeris (b)*, ita reddiderant interpretes alexandrini: *Domesticos seminis tui ne despexeris*; quarum interpretationum priorem hebraico exemplari melius respondere demonstrabit inspectio hebraicorum voluminum, quae habent וּמִבְּשָׂרְךָ. Legimus in psalmis: *Non est occultatum* os *meum a te (c)*; dictane haec sunt de *ore*, an vero de *osse*? Hoc alterum accipere suadet hebraicum עָצְמִי, quod et alexandrini interpretes verterunt ὀστέον, non vero στόμα. Quid sint *vitulamina* in vulgato interprete *(d)*, intelliges ex graeco μοσχεύματα, quod significat *surculos*, qui plantantur; quae vox, quum sit a μόσχος *vitulus*, reddita est *vitulamina*. In epistola prima Pauli ad Thessalonicenses vocem *fratres (e)* esse vocativo casu, non vero accusativo, docet graeca vox ἀδελφοί. Dialecti autem aramaicae docebunt *raca (f)*, quod syrus ܪܩܐ vertit, seu verius retinuit, sonare *sputatilicum*, id est, contemptibile, *Gabbatha (g)* esse *locum elevatum* ex chaldaico גְּבַה *altum fuit*, *Maran atha (h)*, id est, chaldaice מָרַן אֲתָא, significare *Dominus noster venit*. Ex lingua arabica disces *filios orientis (i)*, quorum saepe mentio est in scripturis, esse unam ex gentibus Arabiae, id est, Saracenos, nam شَرْقِيُّونَ *orientales* sunt; disces quoque רְאֵם, רְאֵים, רֵים, pro quo interpres vulgatus reddidit *rhinocerota (l)*, esse *orygem*, שַׁחַל vero *leonem rugientem*, ac plurima alia huiusmodi. Novimus ex lingua coptica Moysis nomen aegyptium reipsa esse *(m)* conflatum ex ⲘⲞⲨ *aqua* et ⲞⲨϪⲈ *servare*, nomen vero

(a) Ienae 1734.
(b) Is. LVIII, 7.
(c) Ps. CXXXVIII, 15.
(d) Sap. IV, 3.
(e) I Thess. III, 7.
(f) Matth. V, 22.
(g) Io. XIX, 13.
(h) I Cor. XVI, 22.
(i) Is. XI, 14.
(l) Iob. XXXIX, 9. 10.
(m) V. Ex. II, 10 coll. 5 seqq.

Iosepho impositum a Pharaone *(a)*, quod hebraice est צָפְנַת פַּעְנֵחַ graece vero ψοθομφανηχ, esse aegyptiace ⲡⲥⲟⲧ ⲙⲫⲉⲛⲉϩ *Salvatorem mundi*, vocem, quam legimus in hebraeo אַבְרֵךְ *(b)*, idest, ⲁⲡⲉ ⲣⲉⲕ, sonare *caput flectere*, *behemoth* esse ⲡⲉϩⲉ ⲙⲟⲩ *bovem aquae*, hoc est, hippopotamum (*c*). Persica lingua recens et vetus, quae *parsi* vocatur, et vetustissimae eius dialecti *zend* et *pehlvi* dictae, aperiunt, aut ex parte illustrant, originem et significationem vocum quarumdam, quae in bibliis hebraicis reperiuntur, ut sunt אִגֶּרֶת *epistola*, דָּת *lex*, כַּרְמִיל *vermiculi russus color* (*vermiglio*), פַּרְתְּמִים *primores*, פִּתְגָּם *verbum, edictum*.

128. Ne vero animum despondeant, atque abstrahant a lectione bibliorum, qui linguas nesciunt, neque in earum studia queunt incumbere, non una ratio est, qua huic defectui medeantur aliqua ex parte. Ac primo ea, quae difficultatem creant, inquit Augustinus, *si ex alienis linguis veniunt, ... quaerenda sunt ab earum linguarum hominibus* (*d*), aut illorum commentarii legendi, quibus magna est linguarum earum peritia, qua de re, ea recole, quae dicta superius (115 seqq.) sunt. Praeterea *habendae interpretationes eorum, qui se verbis nimis obstrinxerunt, non quia sufficiunt, sed ut ex eis veritas vel error detegatur aliorum, qui, non magis verba, quam sententias interpretando sequi maluerunt* (*e*). Ad rem autem pertinet, ut animadvertas latinas bibliorum translationes Hieronymi aetate vetustiores, quarum pars magna in exemplari vulgato hodie superest, fere ad verbum expressas esse de graecis, ex hisce autem graecis eas, quarum ἀρχετυπον hebraicum est, longe minus ad illud accedere quam latinam interpretationem Hieronymi, licet is, non tam hebraica verba, quam sententias sectatus sit. Insuper, non una interpretatio, sed *plurium interpretum consulenda collatio est (f)* iis, qui linguas illas ignorant; cui rei praestandae prospectum est in bibliis polyglottis, quae et hebraicum et graecum ἀρχετυπον, et huius interpretationes graecam, chaldaicam, syriacam, samariticam, arabicam,

---

(*a*) V. Genes. XLI, 45.
(*b*) Ib. 43.
(*c*) Iob. XL. 10.
(*d*) Doctr. christ. L. II. c. 14.
(*e*) Ib. c. 13.
(*f*) Ib. c. 14.

aethiopicam, persicam, exhibent saltem ex parte, adiecta singulis harum propria interpretatione latina, quam tamen, cave sis, putes exemplar suum constanter et sine mendo referre. Denique *mandanda memoriae . . . illa verborum locutionumque genera, quae ignoramus, ut, quum vel peritior occurrerit, de quo quaeri possint, vel talis lectio, quae vel ex praecedentibus, vel consequentibus, vel utrisque, ostendat, quam vim habeat, quidve significet, quod ignoramus, facile adiuvante memoria possimus advertere et discere* (*a*). Harum tamen loqnutionum praecipua aliquot genera, quae Hebraeorum idiotismi sunt, congessit Tirinus, eaque declaravit (*b*), ea vero, quae in novo testamento inveniuntur, declarata habes a Ioanne Vorstio (*c*). Sed hac de re plenius in sequente capite.

REGULA VIII

Cognitio scientiarum atque artium liberalium.

129. Ad scripturas sacras recte exponendas quam utile sit imo et necessarium nullam non scientiam tenere, paucis Augustinus edicit: *Plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus* (*d*); quam autem vere id edicat, scientias singulas percurrens longo sermone nos edocet (*e*), iubetque earum notitiam nobis comparare vel ex ipsis veteribus philosophis, qui *si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, . . . non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda* (*f*). Quae vero de ceteris scientiis affirmamus, archaeologia biblica, ut de ipsa praecipue dicta ea esse intelligantur, veluti iure suo postulat. Eam plene suppeditat Iahn (*g*), securius tamen disces ex Ackermann (*h*).

(*a*) Ib.

(*b*) Explicatio idiotismorum etc. *ante* Commentar.

(*c*) De hebraismis N. T. commentarius. Lipsiae 1778. 8.

(*d*) L. c. L. II. c. 13.

(*e*) Ib. cc. 29 - 40.

(*f*) Ib. c. 40.

(*g*) Biblische Archäologie. Wien. 1797 - 1805. 8; Archaeologia biblica in epitomen redacta. Viennae 1805 et 1814.

(*h*) Archaeologia biblica breviter exposita. Viennae 1826.

130. Fuerunt sane, atque etiamnum forte sunt, qui ex incrementis scientiarum atque artium liberalium, prout quoque ex linguarum studio, metuerent, ne quid incommodi in bibliorum auctoritatem dimanaret; quorum si laudanda est pietas, sententia tamen improbanda metusque ridendus. Caussa quippe timoris fuit, quod religionis inimici conarentur ex huiusmodi disciplinis auxilia opemque corrogare atque corradere, quibus velut agmine facto scripturas sacras impeterent, ipsarumque sanctitatem auctoritatemque funditus labefactarent. Verum ecquid sacrae literae verbaque divina ex tali conamine sibi timuissent? Veritas enim illis inest, veritas scientiis omnibus proposita est; num autem veritatem veritati adversari posse putemus? Neque enim alia ratione homines illi scientiis abutuntur in religionis perniciem, nisi quod vel earum veritatem minime assequantur, vel etiam audeant pervertere. Quibus tamen hostibus ecquis pede presso obsistere, eorumque impetus retundere queat, nisi qui huiusmodi disciplinis fuerit instructus?

131. Quin et illud singulari Dei providentia hac in re factum est, ut, quod de haeresibus scribebat Augustinus (*a*), non exiguo videlicet emolumento sacris literis illas fuisse ex ea parte, quatenus, dum eas testimoniis scripturarum sacrarum refellere studemus, scripturae ipsae magis ac magis clarescunt, ita quoque liberalibus disciplinis progredientibus, non modo illud haudquaquam eveniret, quod impii sperabant, boni verebantur, sed contra prorsus rem cedere perspiceremus. Quem locum egregie atque uberrime pertractatum habet in suis *Collationibus* Nicolaus Wiseman, sed et rem ipsam facto confirmatam (*b*). Quare plurimis omissis, quae exempli caussa afferri possent, et quorum non pauca idem ille suggerit, satis sit meminisse zodiaci Tentyride reperti, cuius immanem vetustatem somniantes Dupuis eiusque gregales Moysi iam conclamatum esse praedicabant, atque hoc uno se lapide totam sacrarum historiarum compagem dissoluturos esse confisi sunt. Quamquam autem primi impetus in cassum ceciderint,

---

(*a*) In Ps. LIV. §. 22; LXVII. §. 39; De civ. Dei L. XVI. c. 2. §. 1.

(*b*) Dodici conferenze sopra la connessione delle scienze colla religione rivelata. Vide praesertim Confer. XII.

praelium tamen redintegratum est, quum anno mdcccxxi zodiacum Parisios translatum Deistarum plebecula magnis plausibus excepit, rata suum secum Achillem iam habere, quo auspice acrius audaciusque esset pugnatura. At brevi factum est, ut suo huic Achilli parentare cogeretur, ac tandem deprehenderet, nil ad se ex ultima usque Aegypto nisi equum seianum fuisse advectum. Quod enim iam prius fieri coeperat, plenius tunc factum est, ut plures simul scientiae ac liberales disciplinae, ipsaeque artes, veluti icto foedere et sub religionis vexillo meriturae, in aciem prodirent, clademque supremam novis hisce hostium machinamentis afferrent. Notum quippe est, quomodo iactatam illam zodiaci vetustatem refutaverint argumentis ex historia productis Testa (*a*), Lalande (*b*), Saint-Martin (*c*), ex astronomia Biot (*d*), ex artibus architectonica et anaglyptica Visconti (*e*), ex disciplinis hieroglyphica et epigraphica aegyptiaca Champollion (*f*), ex epigraphica graeca exque graeca philologia Letronne (*g*). En tibi quid emolumenti atque incrementi ex scientiarum ac literarum studiis studia scripturarum capere possint (277).

132. Nunc vero liceat id plenius apertiusque profiteri ac declarare, quod equidem sentio, quodque superius (130) iam attigi, et quod gravissimis auctoritatibus productis nemini, arbitror, non sum probaturus, quod denique hac praesertim aetate summopere refert monitos esse studiosos literarum sacrarum, iniurios harum sanctitati et veritati ipsique adeo Spiritui divino eos mihi videri, qui ea, quae philosophi rerumque naturalium indagatores manifestis rationibus demonstrant vera esse, accipere tamen reformidant, ne forte adversa illis sint, quae ipsi legere in bibliis sibi videntur. Hoc enimvero nihil est aliud, quam

(*a*) Dissertazione sopra i due zodiaci nuovamente scoperti in Egitto. Roma 1802.

(*b*) Histoire astronomique. Paris 1803.

(*c*) Mémoires de l'acad. des inscript. et belles-lettres. 8 février 1832.

(*d*) Recherches sur plusieurs points de l'astronomie égyptienne. Paris 1823.

(*e*) In notis ad vol. II Herodoti gallice a *Larchero* redditi. pag. 567.

(*f*) Lettre à M. Dacier; Lettre à M. Letronne.

(*g*) Eclaircissemens historiques. Paris 1825; Recherches pour servir à l'histoire de l'Egypte sous la domination romaine. Paris 1820.

scriptoris θεοπνευστου sententiam non assequi. Qui tamen istud fieri posse suspicatur, is Deum sacrarum scripturarum auctorem cum veritate pugnantem inducit, quo ecquid iniuriosius in Deum committas? quin veritati ipsarum scripturarum harumque auctori, ut sibi blanditur, religiosum obsequium exhibeat; quum e contrario, quo firmius quis credit biblia ipsius Dei opus esse, eo securius horum interpretationem exigit ad veritatem, quam scientiae patefaciunt, eius enim menti informatum penitus anticipatumque est, nihil, quod veritati illi adversetur, in bibliis posse reperiri.

133. Quo autem errorem hunc caveamus, proderit meminisse, non id scriptoribus bibliorum fuisse propositum, ut naturales quaestiones haberent, aut ne nos physicorum ignaros esse sinerent. Quo pertinet sententia haec Petri Lombardi: *Hanc autem scientiam,* rerum, inquam, naturalium, *homo peccando non perdidit, nec illam, qua carnis necessaria providerentur. Et idcirco in scriptura homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animae, quam peccando amisit* (*a*). Hinc illud, quod Chrysostomus (*b*), quodque Hieronymus (*c*) et Thomas (*d*), nos monuerunt, solitos fuisse scriptores bibliorum de certis quibusdam rebus loqui pro vulgari hominum sententia, ideoque quasdam dicendi formas apud illos minime consonare iis, quae illis de rebus viri harum periti docere solent; id autem ipsorum scriptorum veritati non obesse, non enim id dicere volebant, quod verba illa proprie significant, sed quod sui populares verbis illis solebant exprimere. Quod exempli caussa sit, ubi scriptor libri Iosuae dixit solem stetisse (*e*), nihil aliud dicere voluit, nisi prodigium factum fuisse, non vero rationem, qua Deus illud fecit; prodigium vero in eo fuit, ut dies prolongaretur, et sol lucere pergeret in illis regionibus. Sic quoque, quod dicitur in Proverbiis, Deum posuisse fundamenta seu bases terrae (*f*), nihil aliud eo significatur, nisi Deum auctorem esse caussarum συνεκτικων, quibus terra cohaeret, ac continetur, non autem indicantur, quaenam hae caussae sint.

(*a*) Sententiar. L. II. dist. XXIII. c.

(*b*) In Genes. hom. XIII. §. 4; in Ep. ad Philipp. hom. IX. §. 2.

(*c*) In Matth. XIV, 8.

(*d*) 1. 2. q. 98. a. 3. ad 2.

(*e*) Ios. X, 13.

(*f*) Prov. VIII, 29.

134. Hoc autem semel posito iam liquet, quam sapienter Augustinus haec praeceperit (a): *In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide, qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecipiti affirmatione ita proiiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum scripturarum, sed pro nostra, ita dimicantes, ut eam velimus scripturarum esse, quae nostra est, cum potius eam, quae scripturarum est, nostram esse velle debeamus. Ponamus enim in eo, quod scriptum est: Dixit Deus fiat lux, et facta est lux, alium sensisse lucem corporalem factam, et alium spiritalem. Esse spiritalem lucem in creatura spiritali fides nostra non dubitat; esse autem lucem corporalem caelestem, aut etiam supra caelum, vel ante caelum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis sanctorum librorum scriptor sentiri voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si cetera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit, sed et verum, et quod utilius cognoscatur. Si autem contextio scripturae hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quaerere, utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit, quidnam eorum ille voluerit; et utrumque sentiri voluisse non inconvenienter creditur, si utrique sententiae certa circumstantia suffragatur. Plerumque enim accidit, ut aliquid de terra, de caelo, de ceteris mundi huius elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunae, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque huiusmodi cete-*

(a) Gen. ad lit. L. I. c. 18. §. 37; c. 19. §§. 38. 39. Vide et L. II. c. 1. §. 4.

ris etiam non Christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de his rebus quasi secundum christianas literas loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehenduntur, atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re, quam optime norunt, errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris libris asserere, quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum, et de spe vitae aeternae, regnoque caelorum, quando de his rebus, quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? E re nostra sunt haec quoque, quae Augustinus scripsit de Fausto: *Itaque cum de caelo ac stellis, et de solis ac lunae motibus, falsa dixisse deprehenderetur, quamvis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen ausus eius sacrilegos fuisse satis emineret . . . . Cum enim audio Christianum aliquem fratrem illum aut illum ista nescientem, et aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem, nec illi obesse video, cum de te, Domine creator omnium, non credat indigna, si forte situs et habitus creaturae corporalis ignoret. Obest autem si hoc ad ipsam doctrinae pietatis formam pertinere arbitretur, et pertinacius affirmare audeat, quod ignorat (a).*

135. Thomas Augustinum sequutus sic loquitur: *In huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem ut veritas scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, quod, si certa ratione constiterit hoc esse falsum, quod aliquis sensum scripturae esse [credebat, id nihilominus] asserere praesumat, ne scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur (b).* Alias ita Tho-

(a) Confess. L. V. c. 5. §. 9.

(b) 1. q. 68. a. 1. c.

mas scribebat ad Ioannem de Vercellis: *Multum autem nocet talia, quae ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere vel negare quasi pertinentia ad sacram doctrinam . . . Unde mihi videtur tutius esse, ut haec, quae philosophi communes senserunt, et nostrae fidei non repugnant, neque sic esse asserenda ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine philosophorum introducantur, neque sic esse neganda tanquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occasio praebeatur (a).*

136. Gravissimis hisce auctoritatibus non minus momentum res ipsa addit, quum neque una unquam sacrarum scripturarum sententia deprehensa sit aut aperte pugnans, aut quae nequeat commode componi cum iis, quae studia naturae in lucem veritatis protulerunt. Illud commemorabo, quod illustre notumque omnibus est, quomodo olim opinio obtinuerit scripturis sacris ea adversari, quae Galilaeus secundum Copernici inventa docere instituit de tellure solem circumeunte. Neque vero temere ii culpandi, qui ita fuerunt opinati. Etenim ex una parte offerebant sese effata quaedam scriptorum sacrorum, quibuscum sententia Copernici pugnare videbatur (b). Ex alia parte ignoratio rerum physicarum, in qua adhuc homines ea aetate versabantur, obstabat, quominus vel suspicio quempiam incesseret effata illa aliter esse intelligenda, efficiebatque, ut, quidquid novum et maioribus inauditum ex physicis promeretur, ipsi viri aliarum scientiarum fama ceteroquin clarissimi aut contemnerent, aut etiam reformidarent. Accedebat iniqua temporum conditio, quum gentes nobilissimae, eiurato catholico nomine atque ecclesiae auctoritate detrectata, rebus novis in religionum et sacrorum perniciem studerent, ac veluti arma copiasque per ipsos bibliorum auctores sibi comparare adniterentur. Quin rationi ac modo minus fortasse prudenti, quo Galilaeus rem suam egisse fertur, quominus felicius ea cesserit, vitio vertendum ex parte esse compertum est. Attamen, veritate magis ac magis clarescente planeque tandem patefacta, metus omnis pro-

(a) Opusc. X.

(b) Ios. X, 12. 13; Iob. XXXVIII, 4-6; Ps. XVII, 16; LXXXI, 5; LXXXVIII, 12; XCII, 1; XCV, 10; CI, 26; CIII, 5; CXVIII, 90; CXXXV, 6; Prov. III, 19; VIII, 29; XXV, 3; Eccl. I, 4-6; Eccli. XLVI, 5; XLVIII, 26; Is. XXXVIII, 8.

cui est amandatus, cognitumque scripturarum sacrarum auctoritatem et Copernici sententiam alteram alteri nequaquam obesse, atque expuncti ex albo auctorum damnatorum Copernicus, Galilaeus, aliique, qui eo nomine in illud relati fuerant. Lege Bibliothecam theologicam Dominici a sanctissima Trinitate (*a*).

CAPUT VI

Regulae proximae.

137. Hactenus de regulis remotis bibliorum enarrandorum, nunc ad proximas veniamus. Hae vero aliae non sunt iis, quae in quibusvis libris enarrandis solent adhiberi. Quare nobis non tam illud propositum est, ut de iis disputemus, earumque usum doceamus, quam ut usum hunc, quod attinet ad biblia enarranda, exemplis illustremus. Itaque assidua opera sacris voluminibus legendis dedita, et quaedam veluti familiaritas cum illorum scriptoribus contrahenda primum est, quod divinarum literarum studiosis suadet Augustinus (*b*), cuius rei emolumenta mox brevi perstringit (*c*). Ut vero maxima est utilitas huius regulae, quae eo nos dirigit, ut ad scripturas intelligendas scripturis ipsis iuvemur, non sane leviora incommoda sunt ac detrimenta, quae percipientur, si prave ea usi fuerimus, aut inde aberraverimus. Videas igitur, ne alterutrum pecces, ut vel periculo deterritus illam seponas, quo ex innumeris difficultatibus numquam te extricabis, vel allectus utilitate minus caveas pericula, quo in errores plurimos rapereris necessario. Multiplex autem ratio est, qua scripturae ipsae studia haec nostra iuvant, ac promovent, sive plures sunt regulae, quas ex scripturis ipsis erutas ad sacra volumina intelligenda atque explicanda adhibeamus. Regulas istas distinctis capitibus exponemus.

(*a*) T. I. L. II. sect. V. c. 1. pp. 165-169.

(*b*) Doctr. chr. L. II. c. 8.

(*c*) Ib. c. 9.

REGULA I

Lectio integrorum bibliorum.

138. Regula prima ea esto, quam suggerit Augustinus haec scribens: *Erit igitur divinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et, si nondum intellectu, iam tamen lectione . . . . Prima observatio est . . . . nosse istos libros, et, si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere (a).* Quanti res haec facienda sit, vel ideo liquet, quia usus plurium regularum, quas deinceps proponemus, inde magna ex parte dependet. Nemo quippe non perspicit, quantum lectio haec atque haec veluti peritia sacrorum librorum conducat ad capessendam notitiam auctorum atque argumentorum, ad varias loquendi rationes percipiendas, ad eos locos in promptu habendos, quibuscum aliqua sive vox, sive loquutio, sive enuntiatio, sive sermo aut narratio, conferenda sit, ad tenendas Hebraeorum ac priorum aetatum antiquitates. Quae quidem omnia longe plenius ac melius is assequetur, qui ἀρχέτυπα ipsa bibliorum perlegerit.

139. Exempla huic rei comprobandae haec sunto. Vel ex sola quippe bibliorum lectione deprehendes alterum librum Regum, quamquam Samuelis nomine inscriptum, exarari a Samuele non potuisse, utpote cuius mors narratur in priore libro Regum (*b*); scriptorem paralipomenon post ceteros omnes scriptores protocanonicos veteris testamenti, si nonnullorum psalmorum auctores exceperis, floruisse, quum a reditu Iudaeorum e Chaldaea longiorem generationum seriem exhibeat (*c*); plures psalmos, ut historia prodit, Davidis esse, puta psalmos II (*d*), XVII (*e*), LIX (*f*), LXXI (*g*); aliquot ipsius aetate certe esse con-

(*a*) L. c. cc. 8-9.
(*b*) I Reg. XXV, 1.
(*c*) I Par. III, 19-24.
(*d*) Conf. vv. 2. 6. 7 cum hist. Davidis.
(*e*) II Reg. XXII.
(*f*) II Reg. VIII.
(*g*) Conf. vv. 2. 3. 7-11. 17 cum iis, quae Davidi Deus promisit, et cum hist. Salomonis.

conscriptos, ut sunt psalmi XCV, CIV (*a*); quosdam e contrario neque a Davide neque huius aetate editos esse, puta, psalmos LXXXVIII (*b*), XCIX (*c*), CXXXVI (*d*); psalmum vero CXXXI a Salomone aut a scriptore huius aequali scriptum fuisse (*e*). Historia Iudaeorum perlecta nullo negotio intelliges argumentum threnorum esse vastitatem Hierosolymis a Chaldaeis illatam, psalmi CXXXVI argumentum esse captivitatem, qua Iudaei premebantur Babylone, argumentum vero oraculi, quod regi Achazo dixit Isaias (*f*), esse non posse ortum Ezechiae, qui iam natus erat (*g*). Facile etiam ea lectione intelliges sensum quarumdam loquutionum, quales sunt *astra Dei, montes Dei*, *leones Dei, cedri Dei*, in quibus nomen *Dei* nil nisi magnitudinem, robur, atque excellentiam sonat, *initium doloris* sive, ut hebraice est, *initium virilitatis alicuius*, quod usurpatum videas solummodo, ubi sermo est de filiis primogenitis, *facere domum alicui*, quod dici solet, ubi agitur de liberis procreandis deque adserenda alicui posteritate. Neque haerebis in iis, quae ex praeceptis grammaticis linguae latinae soloeca aut barbara esse videntur. Huiusmodi sunt quidam pleonasmi: EXPECTANS *expectavi (h)*, PLORANS *ploravit (i)*, *Terra cum induxero super* EAM *gladium (l)*, *Dominus in caelo sedes* EIUS *(m)*, *Quorum non audiantur voces* EORUM *(n)*, *Cuius est nomen Domini spes* EIUS *(o)*, *In quo habitasti* IN EO *(p)*. Gerundia pro modo subiunctivo: IN CONVERTENDO *Dominus captivitatem Sion*, *facti sumus etc. (q)*, IN DEFICIENDO *ex me spiritum meum (r)*. Una praepositio pro alia: AD *angelos quidem dicit*: *Qui facit angelos etc. (s)*, *Erubescite* A *patre et* A *matre (t)*.

(*a*) I Par. XVI, 8-33.
(*b*) Conf. vv. 39-52 cum vv. 2-5. 20-38, II Reg. VII, 11-16, et hist. captivitatis babylon.
(*c*) Vide v. 4, quo templi mentio est.
(*d*) Conf. hist. captivitatis babylonicae.
(*e*) Conf. II Par. VI, potissimum vero vv. 41-42 cum huius psalmi vv. 8-10.
(*f*) Is. VII, 14.
(*g*) Conf. Is. VII, 1 cum IV Reg. XVI, 2. 20 et XVIII, 1. 2.
(*h*) Ps. XXXIX, 2.
(*i*) Thr. I, 2.
(*l*) Ezech. XXXIII, 2.
(*m*) Ps. X, 5.
(*n*) Ib. XVIII, 4
(*o*) Ib. XXXIX, 5.
(*p*) Ib. LXXIII, 2.
(*q*) Ib. CXXV, 1.
(*r*) Ib. CXLI, 4.
(*s*) Hebr. I, 7.
(*t*) Eccli. XLI, 21.

Genus femininum, ubi sermo latinus neutrum genus flagitaret: UNAM *petii a Domino*, HANC *requiram (a)*, *Pro* HAC *orabit etc. (b)*. Nomina iterata ad universitatem sive multitudinem rerum indicandam: HOMO *et* HOMO *natus est (c)*, TRIBUS TRIBUS *Domini (d)*, GENERATIO *et* GENERATIO *laudabit (e)*. Pluraque alia huiusmodi. Disces quoque, ubi dubia res erit, exempli gratia, in libris Regum, recurrere ad libros paralipomenon, ubi genealogiae, quae in paralipomenis sunt, difficultatem prae se ferunt, historias consulere. Nosces demum, quid subinde sonent nomina *Ephraim*, *Ioseph*, *Samaria*, et cur his nominibus simul vocentur decem ex tribubus Israelis; quinam sint regionum limites, quos indicat psaltes verbis illis: *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari (f)*, sive illis: *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum (g)*. Sed ista persequi infinita res est.

REGULA II

Notitia scriptoris.

140. Altera regula ea est, quam ex Iahni Enchiridio transcribere non piget. *Ut sensus penitus perspiciatur, necessarium quoque est, ut omnia .... authoris adiuncta historica seu circumstantiae conferantur, uti quis et qualis sit libri author, an rudis vel eruditus, an more suae aetatis philosophus, ut Ecclesiastes, vel an theologus, ut Paulus, unde oriundus, ubi adoleverit, in qua regione, in quo loco, et quibus lectoribus scripserit, quo sermone et stilo utatur, quo ingenio praeditus fuerit, qua aetate vixerit, et qualis fuerit illa aetate et in illa regione reipublicae et religionis conditio (h).*

141. Difficile omnino est definire, quosnam auctores habeant veteris testamenti partes non paucae, vix enim ullius momenti ea sunt,

(a) Ps. XXVI, 4.
(b) Ib. XXXI, 6 coll. hebr.
(c) Ib. LXXXVI, 5.
(d) Ib. CXXI, 4.
(e) Ib. CXLIV, 4.
(f) Ib. CVI, 3.
(g) Ib. LXXI, 8.
(h) Enchirid. §. 26.

quae de his scripsere Iudaei in talmude (*a*), sique pentateuchum excipias, prophetarum libros, plures psalmos, Proverbia, Canticum, ecclesiasten, Esdram, Nehemiam, et ecclesiasticum, ceterorum librorum auctores aut plane ignorantur, aut dubii sunt. Non tamen omnino difficile est reperire, quanam aetate vixerit auctor, rudior ne fuerit an eruditior, quonam stilo et quonam dicendi genere utatur, quae omnia non raro ex libro ipso colligere est.

142. Ita auctor libri Ruthae videtur Davidi aetate aequalis fuisse, quum ad hunc usque Iudae posteros enumeret, nullumque post ipsum (*b*). Auctorem libri quarti Regum scripsisse post obitum Ioachini, id est, post annos xxv ab eversis Hierosolymis, conficimus ex postrema parte illius libri (*c*). Auctor libri primi Machabaeorum stilo suo hebraissat, non item auctor libri secundi, quare hic alius est quam primus. Stilus quarti evangelii ipsissimus est, quem praeferunt epistolae Ioannis, quo plane refutantur, qui Ioanni illud abiudicant.

143. Quum itaque hac vel alia ratione auctor nobis ex parte saltem innotuerit, ea notitia nos interdum iuvabit in sensu scripturarum investigando. Exempli caussa, non ita de facili forsan intelliges, quid sonet vox *senior* in secunda et tertia epistola, quae Ioannis nomine inscribitur, nisi scias eam reapse scripsisse Ioannem, qui longaevam admodum prae omnibus apostolis vixit aetatem. Si putes Davidem auctorem esse psalmi LXXXVIII, qua de re scriptus sit ille psalmus, nunquam divinabis.

144. Ad id autem potissimum auctorum notitia conducit, ut in sensuum investigatione tutius utamur aliis quibusdam harum regularum, puta, quae petuntur ex modo loquendi atque ex auctoris consilio seu proposito; quam rem melius percipies, ubi de hisce regulis egerimus (150. 248).

(*a*) Babha bathra c. 1.
(*b*) Ruth. IV, 18-22.
(*c*) IV Reg. XXV, 27-30.

REGULA III

Cognitio argumenti.

145. Perspectum apprime nobis sit oportet argumentum tum eorum, quae interpretari aggredimur, sive libri integri sint scripturarum, sive librorum partes. Complectitur autem argumentum haec tria, scribendi sive dicendi occasionem, scriptoris seu loquentis consilium, scriptionis seu orationis materiem, quae omnia considerare diligenter oportet tum in toto libro totave oratione, tum in singulis horum partibus, nec magis in illis, quae ipsius auctoris sunt, quam in illis, quae ab alio scripta aut prolata auctor refert. Id iam olim nos monuerat Hieronymus ita scribens: *Necesse est enim ut iuxta diversitates locorum, et temporum, et hominum, quibus scriptae sunt, diversas, et caussas, et argumenta, et origines habeant (a).* Hieronymi verba in Gratiani Decretum relata sunt (*b*).

§. I

Cognoscenda scriptionis aut orationis materies.

146. Quod attinet ad materiem scriptionis seu orationis, haec regula esto: Eam verbi notionem eumque enuntiationis sensum accipito, qui unus materiei scriptionis aut orationis respondet, aut qui melius quam alius quilibet, qui vero secus est, eum respuito. Materies quaestionis Iudaeis fuit, an Ioannes foret propheta ille, qui eo tempore exspectabatur, id est, Messias (*c*). Sensus itaque verborum Ioannis, quibus quaestioni huic respondens negavit se esse prophetam, dumtaxat fuit se non esse Messiam, neque proinde contradixit Zachariae patri suo, qui de ipso ita fuerat vaticinatus: *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis (d).* Verbo הַסֹּכֵךְ in vaticinio Nahumi (*e*)

(*a*) Praef. in ep. ad Ephesios.

(*b*) Dist. XXIX. c. Necesse.

(*c*) Io. I, 21.

(*d*) Luc. I, 76.

(*e*) Nah. II, 6 al. 5.

nulla notio magis congruit quam *testudo*, praedicit quippe propheta futuram Ninives oppugnationem.

147. Nonnulla autem proderit monuisse. Ac primo quidem regulam hanc servandam esse potissimum, quum scriptionis seu orationis materies mysteria sunt resque aliae divinae, atque ad haec verborum notionem, quae non omnino certa videtur, esse exigendam. Hoc pacto definies, quid sonet apud Lucam verbum *obumbrare* (*a*), apud Ioannem vero *procedere* et *mittere* (*b*), aliaque huiusmodi.

148. Praeterea in scripturis, prout et in ceteris libris, hyperbolas interdum reperias (231), videasque universe aut absolute quidpiam dici, quod aliqua solum ex parte aut sub aliqua conditione verum est, nonnumquam autem contrario enuntiari ex parte, quod universe debuisset. Quae quidem nullam videntur habere difficultatem, ubi levi negotio talia esse deprehendantur, atque ex parte tantum, aut sub conditione, aut latius atque ex toto accipienda. Ita facile senties hyperbolam esse in his, quae de gestis Christi scripsit Ioannes: *Nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros* (*c*), ac proinde facile tibi erit ad ipsam sermonis materiam ea exigere, ut nihil praeterea significent, nisi multis ac praegrandibus voluminibus opus fuisse ad omnia Christi gesta conscribenda. Quin imo ipsa materies prodit quam saepissime, quatenus universales quaedam loquutiones pateant, num conditione aliqua id, quod simpliciter enuntiatur, sit implicitum, et quaenam ea sit, num dicta aliqua latius, ac sonant, sint intelligenda. Sic *omnes* quandoque non esse nisi *plures* (*d*) statim percipimus, minas quoque ac promissiones interdum haberi sub certis quibusdam conditionibus, quae verbis non exprimuntur (*e*), *multum*, *magnum*, et similia de Deo dicta tantumdem valere ac *infinitum* (*f*). Quum tamen pateat horum notiones ac sensus magis obvios haudquaquam materiei respondere, periculum inde est, quod maxime cavere oportet, ne, contra ac fieri debet, huiusmodi notionibus ac sensibus, quales videntur, acceptis prave materiem ipsam intelligamus, atque exponamus; ut si negares Christum de omnibus homini-

(*a*) Luc. I, 35.
(*b*) Io. XV, 26.
(*c*) Id. XXI, 25.
(*d*) Ps. LII, 4; CXV, 11.
(*e*) Is. XXXVIII, 1; Ion. III, 4.
(*f*) Num. XIV, 18; Ps. XLVII, 2.

bus a se redimendis loquutum esse, ubi narravit, se venisse *dare animam suam redemptionem pro multis* (*a*), aut si minime animadvertens conditiones, sub quibus Ionas Ninivem subvertendam (*b*) atque Isaias Ezechiam moriturum (*c*) vaticinabantur, diceres haec absque conditione ulla praedicta fuisse, quumque praedicta minime evenerint, prophetas illos vana ac ficta praenuntiasse.

149. Materies scriptionis aut orationis alias quoque scribentis seu loquentis sententias interdum manifestat, in quantum his ea innititur, aut ex ea hae consequuntur. Qua de re ita Iahn: *Cum Iesus Matth. XIX*, 9 *dicit moechari eum*, *qui excepta fornicatione uxorem repudiat*, *et aliam ducit*, *manifeste damnat polygynaeciam*, *nam hac non damnata maritus sine iusta caussa repudians uxorem peccat quidem*, *sed ducens aliam moechus aeque dici non potest*, *ac si servata uxore sua duxisset secundam.* Hic autem, velim, obiter animadvertas, ut Iahn aesopicam corniculam imprudens egerit haec scribens: *Atque hic est locus damnans polygynaeciam a theologis quaesitus et non observatus;* quod scribere abstinuisset, si Catholicorum attentius, quam Rationalistarum, scripta versasset, locus enim notus fuit Bellarmino, Tournelyo (*d*), aliisque fortasse. *Si Ioannes I*, 11 *ait* τον λογον *venisse* εἰς τα ἴδια, *id est coll. Ioh. XIX*, 27, *ad suam familiam seu populum suum*, *ei tribuit tacite divinitatem*; *nam Hebraei dicebantur*, *et erant populus Iehovae (e).* Idem dicas de his aliis verbis Ioannis: *Haec dixit Isaias*, *quando vidit gloriam eius (Christi)*, *et locutus est de eo (f)*, Isaias enim *Dei* gloriam se vidisse narrat (*g*), deque iis: *Neque tentemus Christum*, *sicut quidam eorum tentaverunt (h)*, quae Paulus narrat de priscis Israelitis *Deum* ipsum tentantibus (*i*).

(*a*) Matth. XX, 28.
(*b*) Ion. III, 4.
(*c*) Is. XXXVIII, 1.
(*d*) V. *Bellarmin.* De matrimonio c. 10; *Tournely* De matrim. quaest. 5. art. 1 de polygam. simult. concl. 3.
(*e*) *Iahn* Enchir. §. 20. II.
(*f*) Io. XII, 41.
(*g*) Is. VI, 1. 9. 10.
(*h*) I Cor. X, 9.
(*i*) Conf. Ps. XCIV, 9.

§. II

Considerandum scribentis seu loquentis consilium.

150. Quod de ipsa materie scriptionis aut orationis diximus (146), dictum quoque puta de ipsius scribentis seu loquentis proposito et consilio, ut, quae notio quique sensus huic repugnat, eum respuas, accipias vero eum, qui unus aut melius alio huic respondet. Propositum autem illud et consilium attendere oportet tum in integris libris, tum in singulis horum partibus. Numerus septenarius in scripturis adhibetur nonnumquam pro numero interminato. At in verbis Petri (*a*) : *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque* SEPTIES? vox *septies* definitum sensum habet, Petro quippe propositum erat discere, *quoties* ignoscendum esset. E contrario Christi consilium, quum Petro respondit, esse non potuit, ut definiret, quoties ignoscendum esset, quasi non semper id fieri deberet; quare voces *septuagies septies* (*b*) numerum interminatum sonant, id est, *quoties* ab aliquo iniurias accipiemus.

151. Sententiae eius, qui scribit, aut loquitur, recte tenendae apprime conducet, si animadvertas, quaenam is pro consilio suo loqui, quae reticere voluerit; quod nisi fiat, ex facili contingit, ut vel dicta vel praeterita in deteriorem partem interpretemur. Quae quidem, etsi ipsam interpretationem directe et proxime non attingant, frequenter vero consilium scribentis seu loquentis, quin illa declaret, ex eis potius manifestum fiat, aut maius saltem lumen acquirat, iuvant tamen interpretem hoc ipso, quod consilium illud magis illustrant, ex quo non levibus difficultatibus notiones ac sensus saepius extricantur. Ita Moysi nequaquam propositum erat rerum creatarum naturam nobis pandere, hinc ieiune admodum illarum creationem enarrat, ac plurima reticet huc pertinentia, quo confirmatur eius propositum tale fuisse, quod dicimus; id si animadverteris nulla erit tibi caussa timendi, ne violatae religionis reus habearis, quod narrationem illam secundum doctrinas physicas interpreteris. Qui ecclesiasten attente perlegerit, de-

---

(*a*) Matth. XVIII, 21. (*b*) Ib. 22.

prehendet illius scriptorem pugnantia enuntiare, ita tamen, ut liber in modum disceptationis compositus sit, atque hoc intelliget consilium scriptoris fuisse errores veritate opposita refutare, ideoque ea, quae in illo libro veritati adversantur, nequaquam in eum sensum accipienda esse, quasi si ex animi sui sententia auctor ea protulerit, nec modo frustra esse, sed contra auctoris ipsius consilium facere eos, qui haec ad rerum veritatem exigere atque ita exacta explicare conantur. Huc illud quoque pertinet, quod scriptores sacri aliorum hominum etiam improborum, quorum personam tantisper sustineut, sensus atque affectus veluti suos sibique proprios quandoque exprimunt, quod iam animadverterat Chrysostomus (*a*), puta, quum de Dei providentia conqueri aut eius promissionibus diffidere videntur; lege Ps. LXXII, 13; LXXXVIII, 50; Ierem. XII; etc.

§. III

Perpendenda occasio scribendi seu loquendi.

152. Cum proposito et consilio scriptoris atque eius, cuius verba scriptor refert, connexa penitus est occasio et caussa, quae his fuit ad scribendum atque loquendum; eam proinde attendere oportet tum in toto libro totaque oratione, tum in singulis huius atque illius capitibus, nec inde sententiam aliam colligere, nisi quae occasioni illi et caussae melius ac verius respondet, quam alia quaelibet. Quod Iudaei Christo fidem habere atque obtemperare nollent, occasio fuit, cur ipse ita loqueretur: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit* (*b*); proinde his indicavit Moysis vaticinium, quod habetur in deuteronomio (*c*), id quippe illud est, quo Moyses Israelitas iussit Messiae fidem habere atque obtemperare. Occasio, qua Iacob morti proximus Iudam ac ceteros filios alloquutus esse dicitur (*d*), ea fuit, qua totam familiam ac posteritatem in duodecim *tribus* dispertivit; quo confirmatur verbis illis, quae tunc protulit,

(*a*) In Ps. CXXXVI. §. 2.
(*b*) Io. V, 46.
(*c*) Deut. XVIII, 15. 18.
(*d*) Gen. XLIX.

שֵׁבֶט מִיהוּדָה (a), subesse frequentiorem notionem, *tribum*, inquam, potius quam *virgam regalem*.

153. Animadvertendum autem est occasionem scribendi seu loquendi non tam arcte connecti cum verbis et sententiis, quam scriptionis seu orationis materiem atque auctoris consilium, eamque subinde multimodam esse, aliamque ex alia subinde in ipsa scriptionis seu orationis serie veluti exoriri, quod in sacra poesi praesertim atque in prophetarum orationibus contingere solet. Quare frustra sunt, qui celeberrimum illud Danielis vaticinium (b) de Iudaeis captivitate solvendis dictum esse contendunt, quia editum est, quum Daniel id a Deo precaretur (c); ex hoc ipso enim, quod tunc precabatur Daniel, ex captivitate, inquam, illa brevi depellenda a Iudaeis, occasio exhibita est Gabrieli, ut graviorem captivitatem ab universo hominum genere olim depellendam praenuntiaret. Errores multiplices ac monstruosae doctrinae in Asia serpentes occasio fuerunt, cur Ioannes ad evangelium scribendum animum adpelleret, ideoque in huius evangelii interpretatione illos omnes errores illasque doctrinas praesto nobis esse oportet. Interpretatio vaticinii de virgine Emmanuelem paritura (d), tum ex occasione, qua illud protulit Isaias, petenda est, tum ex eius consilio, quod fuit regem Achazum refutare Dei potentiae ac bonitati diffidentem.

§. IV

Alia quaedam in toto argumento attendenda.

154. Pro diversa ratione sive materiei, sive consilii, sive occasionis, non modo, quaenam verborum πολυσημων notio accipienda sit, definitur, sed et ea verba, quibus una ac simplex notio subest, hanc variant nonnumquam, atque ita ut id nequaquam metaphorae tribui possit. Exemplo sit vox λογος *verbum*, quae in evangelio, in epistola prima, et in apocalypsi Ioannis diversam omnino a communi habet notionem. Ceterum haec varietas melius plerumque apparet ex contextu orationis, de quo infra dicemus.

(a) Gen. XLIX, 10.
(b) Dan. IX, 23-27.
(c) Ib. coll. 2-4.
(d) Is. VII, 14.

155. Porro tria illa, quae argumentum complectitur, non unicum caput est, ex quo discas. Etenim nonnumquam ipse auctor aliquod ex illis vel clare edicit, vel submonet, idque ex toto aut ex parte. Exempli gratia, in primo Moysis carmine (*a*), in ecclesiaste (*b*), in psalmis nonnullis (*c*), quaenam materies sit, initio ipso proponitur, Lucas (*d*) et Ioannes (*e*), quodnam consilium sibi fuerit in evangelio conscribendo, expresse nos docent, quaenam vero scribendi occasio Lucae fuerit, quaenam Paulo literas mittendi in Galatiam, ipsimet produnt (*f*).

156. Quod si scriptor ipse haec non enuntiet, ex lectione tamen capitis aut libri ea aliquando ediscimus. Et quidem, quod attinet ad materiem, ea legentes latere nequit, nisi ubi, in psalmis potissimum et in vaticiniis, obscurior est dictio; quis enim non statim assequatur, quaenam ea sit, puta, in psalmis L, LXXII, aut in ecclesiaste? Sed etiam scribentis aut loquentis consilium, exempli caussa, in evangelio Ioannis, etsi is non expresse aperuisset, illud perlegentibus apparet manifesto, quale fuerit. Diligens item lectio nonnullorum psalmorum, ut sunt psalmi XXIII, XLVI, LXXIII, LXXXVIII, CXXXI, epistolae primae Ioannis, epistolarum Pauli, praesertim si cum Actis apostolorum hae conferantur, sed et aliarum quoque scripturarum, quanam occasione edita fuerint haec omnia, satis manifeste prodit.

157. Quin saepe contingit, ut scribendi seu loquendi materies, consilium, et occasio, vel mutuo sese illustrent, vel etiam horum unum aliud aperiat. Ex materie quippe rerum scriptarum dignosces, quidnam propositum fuerit auctori ecclesiastae, cur Ioannes ultimum caput evangelio suo veluti adsuerit, quanam occasione psalmus CXXXI et prima Ioannis epistola conscripta sit. Quum Deus poenas serpenti sive diabolo coram Adamo infligeret, id consilii cepisse omnino videtur, ut hominem ad spem excitaret; quare verborum, quae tunc protulit (*g*), materies alia esse nequivit, nisi promissio futurae redemptionis. Moyses vero, cui haudquaquam propositum erat in pentateucho conscribenda κατηχητὴν agere, nullam enim aliam doctrinam diserte in ea tradit praeter Dei unitatem et pro-

---

(*a*) Ex. XV, 1.
(*b*) Eccl. I, 2.
(*c*) Ps. XLIV, 2; LXXVIII, 1; CXXXI, 1.
(*d*) Luc. I, 3. 4.
(*e*) Io. XX, 31.
(*f*) Luc. I, 1. 2; Gal. I, 6. 7.
(*g*) Gen. III, 15.

videntiam, attamen, si duo haec docet, atque urget, patet id factum esse occasione periculi, quod populo Israelitarum imminebat, ne ob proximitatem atque exemplum gentium finitimarum in contrarios, qui apud eas obtinebant, errores abriperetur. Psalmus LXXXVIII prodiit ea occasione, qua Iudaeis Babylone captivis et Messiam brevi adventurum sperantibus eos spe sua frustrari atque adventum hunc differri eorum hostes exprobrabant (*a*); hinc perspicuum fit psaltae consilium fuisse Deum ad promissa citius praestanda sollicitare, materiem vero psalmi esse questus et preces ea de re. Cur Christus illam proferret sententiam: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum* (*b*), occasionem ea dedere, quae dixerant eius discipuli: *Non expedit nubere (c);* Christi itaque consilium fuit, ut commendaret caelibatum.

158. Argumento eiusque partibus dignoscendis praesto sunt quoque ceterae regulae, quas suggerimus, et quae, non solum ad definiendas verborum notiones ac sensum loquutionum, sed et ad omnia alia, quae ad id conducunt, invenienda ac declaranda, quin et ut ipsae sese mutuo illustrent, adhiberi possunt, ac debent. Cuius rei exempla facile est in hac ipsa disputatione reperire.

159. Sedulo autem cures, ut, etiam quum perspicua tibi esse tria illa videbuntur, integram sententiam, atque adeo integrum caput, aut etiam totum librum nihilominus perlegas. Cuius rei caussam rationemque vel ex hoc uno exemplo cognosces. Titulus psalmi LXXXVIII legentibus annuntiat *misericordias* et *veritatem* Dei (*d*), ea videlicet quae Davidi promissa a Deo sunt de Christo ex ipsius Davidis stirpe orituro (*e*). Putares psalten toto illo carmine in his extollendis versari. At, si id legeris, videas eum potius conqueri, quod promissa haec nondum impleta sint.

REGULA IV

Inspectio contextus orationis.

160. Contextum orationis ita describit Iahn: *Nomine contextus orationis venit nexus vocum et sententiarum cum antecedentibus*

(*a*) Ps. LXXXVIII, 39-52.
(*b*) Matth. XIX, 12.
(*c*) Ib. 10.
(*d*) Ps. LXXXVIII, 2.
(*e*) Vide Lib. II. quaest. IX. nn. 74-77.

et consequentibus earumque mutuus respectus ; *atque , prout ratio habetur proxime, remote, vel remotius antecedentium et consequentium, etiam contextus orationis angustior aut amplior considerari solet. Proximus spectat nexum partium unius eiusdemque propositionis, remotus nexum propositionis aut periodi alterius cum altera, remotior denique nexum plurium propositionum aut periodorum, seu totius orationis (a).*

161. Lex vero seu regula haec esto: Notionem et sensum, qui contextui orationis repugnat, respuito, nequit enim falsus non esse; qui vero congruere videbitur, ne statim eum accipias, congruere quippe satis apte potest etiam, qui falsus est, quem utique nemo acciperet nisi errore veri. Atque id peccabant, puta, Ariani, quum urgebant verba Christi: *Pater maior me est (b)*, ut Verbum Patri ὁμοούσιον non esse comprobarent, et Calviniani etiamnum peccant Christum pro omnibus hominibus minime mortuum esse contendentes, quia Paulus sic scripsit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata (c)*; sensus enim, quem his scripturarum verbis isti affinxere, etsi nullo modo subsit, attamen, quantum sonant verba ipsa, his satis apte subesse posset. Porro una eademque ratione agendum est, sive quum quaerimus, an sensus seu notio contextui orationis congruat, sive an repugnet.

162. Ratio autem quaestionis haec ferme erit, ut expendamus tum ea, quae proxime, tum quae remote praecedunt, aut consequuntur verbum, loquutionem, sententiam, orationem, sermonem, de quo quaestio est, dispiciendo, num in illis aliqua sint ex iis, quae infra enumeramus. Si haec omnia conveniant in unum eumdemque sensum, neque in ullum alium, ille certus erit; si aliqua solummodo, sensus magis aut minus probabilis erit, prout haec plura erunt vel pauciora; si nulla, sensus erit improbabilis; si denique haec aut alia praeterea sensui alicui adversentur, sensus iste respuetur omnino, et fallax habebitur. Sed iam haec, quae in contextu orationis quaerenda atque expendenda sunt, ex ordine proponamus.

(a) Enchirid. §. 19.
(b) Io. XIV, 28.
(c) Hebr. IX, 28.

§. I

Ellipses.

163. Ex iis, quae scripturis obscuritatem offundunt, quaeque interpretem in errorem facile inducunt, postremus non est usus ellipseon (100). Necessè itaque est hunc sagaciter dignoscere et, quae desunt, supplere; quorum utrumque curiosa atque accurata inspectione contextus orationis assequemur. Neque magna difficultas est, quum ellipses sunt ex idiotismis sermonis aut poeseos hebraicae, uti quum pronomina sive demonstrativa reticentur (*a*), sive suffixa (*b*), sive relativa (*c*), aut praepositiones (*d*), aut particulae negantes ex priore inciso vel membro repetendae (*e*); haec enim hebraice scientibus continuo innotescunt, neque in alias linguas reddita sunt ab interpretibus, sed oratio suppleta ab illis est. Maiorem habent difficultatem illa, in quibus vel interrogatio non apparet (*f*), vel reticetur persona (*g*) aut res (*h*), vel omittitur verbum (*i*), quod verbo *dicere* saepe accidit in prophetis praesertim et in libris poeticis (*l*), passim vero verbo *esse*, ita ut huius omissio in communem ac regularem dicendi modum evaserit, vel deest alterum ex duobus oppositis (*m*), aut apodosis periodi (*n*), aut sententiae pars (*o*). Has itaque ellipses, si orationis contextum diligenter expenderis, facile tibi erit supplere.

164. Quod adtinet ad ellipses illas, quas quidam de grege Rationalistarum commenti sunt, deque consilio, quo hac in re duceban-

(*a*) Genes. XXXIX, 9; Num. XXII, 6; Ruth. I, 17; II, 2; Is. XLIII, 4.

(*b*) Ex. XV, 2; Ps. hebr. CXXXVII, 5.

(*c*) Genes. XV, 13; Eccl. I, 5; Is. XXIX, 1; LXV, 1; Iob. XXIV, 19; I Par. XV, 12.

(*d*) Ps. hebr. LXVI, 17; Prov. XXVII, 7.

(*e*) Iob. III, 10; XXX, 20; Ps. IX, 19; Is. XXIII, 4.

(*f*) Iob. XIV, 16.

(*g*) Num. XXVI, 59; Nehem. III, 8. 34.

(*h*) Gen. XLIV, 5.

(*i*) Num. XIV, 24; XXVI, 4; Iudic. V, 14; I Sam. XVI, 7; Is. XLI, 28; I Tim. IV, 3.

(*l*) Is. XXII, 16 hebr.; Ierem. IV, 19; V, 1; VI, 17; etc.

(*m*) Num. IX, 16.

(*n*) Lev. IV, 2.

(*o*) Ex. XVIII, 11; Ps. XXII, 22 hebr.

tur, iuvat enm audire, quem homines isti non est, cur suspectum habeant, Iahnum, inquam, haec loquentem: *Reiiciendae autem sunt omnes illae ellipses, quae a modernis quibusdam interpretibus, non ex contextu erutae, sed ex praeiudicatis opinionibus eo solo consilio inventae sunt, ut res extraordinaria, seu miraculum, aut praedictio rei futurae, vel etiam dogma rationis limites transcendens, eliminetur. Ita contextus Matth. XIV, 25 nequaquam indicat inter ἐπὶ (supra) et θαλάσσης (mare) supplementum αἰγιαλὸς (litus), ut contendit Paulusius (a); uti quoque Matth. XVII, 27 ante εὑρήσεις (invenies) additamentum ἀποδοὺς (alienans) vel πωλήσας (vendens) contextus nullatenus postulat, red respuit (b).*

§. II

Subiecta et praedicata.

165. Mutuo sese illustrant *subiecta*, ut vocant, et *praedicata*, alterum enim alterius sive naturam sive modum, ex parte saltem, definit, adeo ut subinde, si alterutrum plane clareat, tenebras alteri offusas omnino dispellat. Quare, quum serpenti (*c*), qui Hevam decepit, ea tribuantur, quae verae belluae (*d*), imo et veri serpentis (*e*), propria sunt, verum omnino serpentem illum fuisse patet; at, quum contra hic idem serpens loquens inducatur a Moyse (*f*), et ratiocinans (*g*), et poenae ac proinde etiam culpae capax (*h*), dicendus omnino est a diabolo actus motusque fuisse. Quum Iudaei de Christo dixerunt: *Quia hic est vere propheta* (*i*), nomine *propheta* ab illis significatum fuisse Messiam comprobat appositum: *qui venturus est in mundum*, neque enim propheta alius venturus exspectabatur quam Messias.

166. Sed nonnumquam contra fit, ut notioni sive sensui appositorum seu adiunctorum lumen adhibeat res ipsa, cui apposita atque

(*a*) Phil. krit. Comm. ad h. l.
(*b*) Enchirid. §. 21.
(*c*) Genes. III.
(*d*) Ib. 1. 14.
(*e*) Ib. 14.
(*f*) Ib. 1.
(*g*) Ib. 1-5.
(*h*) Ib. 14. 15.
(*i*) Io. VI, 14.

adiuncta sunt. Exempli caussa, verbum חַטָּא, ubi de altari sermo est (a), aliud sonare nequit, quam *expiationem*, ubi de hirco mactando (b), nil nisi *sacrificium piaculare*, ubi de pecore alieno incuria custodis a feris discerpto (c), ipsum *damnum repensum*. Ubi Verbum divinum dicitur *caro factum* (d), ipsa Verbi divini notio docet nos, quid vox *factum* significare possit, quid non.

§. III

Rationes et explicationes.

167. Ratio cuinspiam rei atque ipsa res nonnumquam alterutra alteram aut sese quoque invicem declarant. Mariam virginem Gabrieli reponentem illa (e): *Quomodo fiet istud?* votum servandae virginitatis opposuisse manifestum fit ex ratione, quam subdidit: *quoniam virum non cognosco*; Iosepho quippe iam desponsata fuerat, ideoque horum sensus alius esse nequit, quam sibi propositum fuisse rem cum eo minime habere. De fratribus Iosephi haec scribit Moyses: *Nesciebant autem, quod intelligeret Ioseph, eo quod per* INTERPRETEM *loqueretur ad eos* (f); in quibus nomen מֵלִיץ, quum plures habeat notiones, recte tamen versum est *interpres*, quia hoc redditur ratio, cur fratres Iosephi nescirent eum sermones ipsorum intelligere. Tum id, quod Paulus docet de peccato *originali* (g), tum rationem, qua hanc doctrinam confirmat (h), non satis percipies, nisi utrumque inter se conferas, atque in unum ex altero lucem derives. Rationem quippe illam vix intelligas, nisi ponas, quod prius dictum a Paulo est, mortem esse effectum simul et poenam peccati; prioribus autem verbis: *omnes peccaverunt*, significari peccatum *originale*, eo intelliges plenius, quia Paulus rationem illam subiiciens negat omnes peccasse *in similitudinem praevaricationis Adae*, id est, peccatum *actuale*.

(a) Lev. VIII, 15.
(b) Ib. IX, 15.
(c) Gen. XXXI, 39.
(d) Io. 1, 14.
(e) Luc. I, 34.
(f) Gen. XLII, 23.
(g) Rom. V, 12.
(h) Ib. 13. 14.

168. Nonnumquam vero obscuriora verba, aut loquutiones, sive etiam sententias, explicat scriptor ipse. Eliezer Abrahae verna vocatur זְקַן בֵּיתוֹ *senex domus eius*, idque his verbis continuo declaratur: *qui praeerat omnibus, quae habebat* (*a*). Iechonias rex Iudae *sterilis* dicitur apud Ieremiam (*b*), quamvis liberos habuerit (*c*); at, quid hic valeat vox *sterilis*, mox edicitur: *nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David* (*d*). Quid sit *scandalizari in Christo* apud Marcum (*e*), explicatur verbis *negare Christum* (*f*). Ad haec pertinet parallelismus poeticus atque ἐπεξήγησις, de qua postea (178 seqq.) dicemus.

§. IV

Coniuncta, comparata, opposita.

169. Certam notionem ac certum sensum contextus orationis nobis suppeditat, quum e duobus sive inter se coniunctis, sive comparatis, sive oppositis, alterutrum indubium est ac perspicuum, quo fit, ut etiam alterum clareat. In verbis Iacobi: *Non auferetur sceptrum* DE *Iuda et dux* DE *femore eius* (*g*), quum utrumque membrum *coniunctim* ab eodem verbo dependeat, in utroque eadem praepositio *de* eamdem vim habeat, oportet, ut vel recessum in utroque sonet, vel originem; at in secundo membro originem significat, ergo et in primo. Quum Ezechiel una cum Noe et Daniele, qui inter homines versati sunt, Iobum simul nominet, dicere oportet Iudaeis quoque veteribus Iobum haudquaquam personam fabulosam creditum fuisse (*h*). Loquutio *benedicere Deo* apud Iobum ἀντίφρασις est, atque aliquid Deo iniuriosum sonat, coniungitur enim cum verbo *peccare* (*i*).

170. In verbis Davidis: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad* TERMINOS ORBIS TERRARUM (*l*), certum est *flumen* esse Euphratem, unum scilicet e quatuor limitibus, quibus ditio

(*a*) Gen. XXIV, 2.
(*b*) Ierem. XXII, 30.
(*c*) Ib. 28 et I Par. III, 17.
(*d*) Ier. l. c.
(*e*) Marc. XIV, 27. 29.
(*f*) Ib. 30.
(*g*) Gen. XLIX, 10.
(*h*) Ezech. XIV, 14.
(*i*) Iob. I, 5.
(*l*) Ps. LXXI, 8.

Israelitarum olim a Deo definita fuerat (*a*); quare et *terminus orbis terrarum*, qui cum eo flumine *comparatur*, unum significat ex illis limitibus, et *orbis terrarum* nihil aliud est quam Palaestina, duo vero maria alia esse nequeunt quam erythraeum et mediterraneum, quumque illud a meridie, hoc ab occasu, Euphrates vero ab ortu ditionem illam terminarent, *terminus orbis terrarum* limes aquilonaris Palaestinae sit, oportet, sive Libanus.

171. Quum Christus haec aiebat: *Non potestis Deo servire et mammonae (b)*, mammonam Deo *opponens* satis indicavit, non quodlibet lucrum, id enim sonat vox *mammona*, etiam honestum, sed solum turpe a se damnari atque immodicam divitiarum cupiditatem. Ceterum etiam opposita, quae sunt, non in eodem orationis contextu, sed in diversis scripturarum partibus, sibi invicem lumen afferunt, ut inferius (195. 198) demonstrabimus.

§. V

Quinam loquatur, quocum loquatur, de quo loquatur.

172. Subita fictio ac mutatio personarum (93), quae a prophetis praesertim ac poetis in sermonem ex improviso inducuntur, lectoribus neque admonitis nec opinantibus, adeoque intra unam atque eamdem periodum, in caussa esse solet, cur scripturas legentem lateat quandoque, aut saltem minus clare is perspiciat, quinam ille sit, qui loquitur, aut quem quis compellat, aut de quo verba fiunt; quae quidem ex solido sermonis contextu eruere oportet. Alii quoque scriptores simile quid faciunt subinde; apud Phaedrum haec legimus: *Aper . . . . repressit iram, et: Facilis vindicta est mihi (c)*. Huius porro mutationis ratio duplex est; vel quum alius atque alius in sermone comparet, cui nullus erat locus in illis, quae proxime dicta fuerant, vel quum in uno eodemque orationis contextu ratio grammaticae variat, ut unus atque idem iam ipse loquatur, iam alius cum eo, aut etiam de eo, iam unus sit, iam plures.

(*a*) Gen. XV, 18; Deut. XI, 24; Ios. I, 4.

(*b*) Matth. VI, 24.

(*c*) L. I. fab. 29. v. 10. Vid. et fab. 30. vv. 4-7; Lib. IV. fab. 23. vv. 9-12; L. V. fab. 5. v. 37.

173. Exempla prioris mutationis habes, sive quum alius loquens inducitur: Ps. XC, 13-14; Ier. IV, 7-8. 10-11. 12-13. 18-19. 21-22; VIII, 17-18-19-20; Mich. VI, 7-8; VII, 6-7. 10-11. 14-15. 17, sive quum quis alium priore compellat: Psal. XC, 9; Ier. IV, 6-7; Mich. VII, 13-14, sive denique quum de alio verba fieri incipiunt: Gen. XLIX, 9-10. 17-18; Num. XXIV, 16-17; Ps. LXXI, 2-4; LXXVII, 42-44; LXXX, 16.

174. Ceterum maximi interest, prout Origenes (*a*) et Cyrillus Alexandrinus (93) nos admonuerunt, probe animadvertere, quisnam aut qualis ille sit, cuius verba legimus, ut de auctoritate, quam habent, certiores fieri queamus. Alia quippe ratio est scripturarum ipsarum, quae quidem, quantae eae sunt, θεόπνευστοι creduntur, alia vero rerum atque sermonum, qui in scripturas relati sunt, et qui nonnumquam falsa et mendacia exhibent, atque etiam impia, ut sunt sermones Pharaonis (*b*), Goliathi (*c*), Rabsacis (*d*). Quare absurde faceres, si contenderes connubia fratrum et sororum iungere Hebraeis licuisse, idque confirmare adnitereris verbis, quae Thamar Davidis filia dixit Amnoni fratri (*e*); ea enim haudquaquam verba sunt auctoris θεοπνεύστου, sed puellae indoctae fortasse et perterritae, quae, ut periculum a se averteret, quidquid veniebat in mentem, id loquuta fuit. Reperias tamen, qui sollicitos sese plus aequo praebent, ut horum similia ab auctoribus sacris, nequaquam prolata, sed relata cum rerum veritate componant, puta, illud evangelii: *Quia peccatores Deus non audit* (*f*), quod tamen evangelistae effatum minime est, sed eius, cui Christus visum restituerat. Celebris quoque quaestio est, an in Iacobi familia, quum ea in Aegyptum migravit, censa sint capita septuaginta, ut narrat Moyses (*g*), an potius septuaginta quinque, quot dicuntur in Actis apostolorum (*h*). At, quae leguntur in Actis, ut etiam Canus (*i*) Bedam et Rabbanum praeeuntes sequutus nos monuit, non sunt verba ipsius scriptoris θεοπνεύστου, Lucae, inquam, sed Stephani, qui inter scriptores θεοπνεύστους non computatur; adde, quod is, Hellenista

(*a*) In Io. T. VI sub. fin.
(*b*) Ex. V, 2. etc.
(*c*) I Reg. XVII, 43.
(*d*) IV Reg. XVIII, 22. 27-35.
(*e*) II Reg. XIII, 13.
(*f*) Io. IX, 31.
(*g*) Genes. XLVI, 27; Ex. I, 5; Deut. X, 22.
(*h*) Act. VII, 14.
(*i*) Loc. theol. L. II. c. 18 sub fin.

quum esset, ut prodit ipsum nomen, bibliis graecis usus fuisse dicendus est, in quibus, etsi semel (*a*) septuaginta capita familiae Iacobi numerentur, bis tamen (*b*) numerantur septuaginta quinque.

175. Exempla autem posterioris mutationis frequenter occurrunt prophetarum ac poetarum sacrorum libros versantibus, ut prima persona in secundam, secunda in tertiam, tertia in primam, vel etiam e contrario, vel duae ex his invicem, vel una in aliam haec vero in aliam veluti transformentur, variato interdum etiam numero. Horum exemplorum nonnulla subdimus ex ordine. Mutatur itaque persona

Prima in secundam: Mich. VI, 7-8; Habac. I, 10-12.

Prima in tertiam: Ps. LXXX, 15-16; Is. XLII, 19; Ier. IV, 7-8.

Secunda in primam: Ps. XC, 8-9; Ier. IV, 10-11; Habac. I, 4-6.

Secunda in tertiam: Ps. LVIII, 10-11; Is. I, 26-27; XLVIII, 1 hebr.; Mich. VII, 18.

Tertia in primam: Ps. XLV, 10-11; LXXX, 17 hebr.; Ier. VIII, 19; XXXI, 3.

Tertia in secundam: Ps. XV, 8-10; Is. I, 21-22. 29; Mich. VII, 19 hebr.

Prima in secundam et secunda in primam: Ier III, 22; Mich. VII, 14-15. 17.

Prima in tertiam et tertia in primam: Os. VI, 1; Mich. II, 7-8; Zach. XII, 5-6.

Secunda in tertiam et tertia in secundam: Is. II, 5-6.

Prima in secundam et secunda in tertiam: Ps. XC, 9.

Prima in tertiam et tertia in secundam: Os. VI, 1; X, 11-12.

Secunda in primam et prima in tertiam: Ps. XLV, 11-12; Os. XIV, 4-5; Mich. VI, 5-6.

Secunda in tertiam et tertia in primam: Ps. XC, 11-14.

Tertia in primam et prima in secundam: Ps. LXXX, 6-8; XCIV, 7-9; Os. VI, 3-4.

Tertia in secundam et secunda in primam: Is. XXII, 15-16 hebr.

Prima in tertiam, et tertia in secundam, et secunda in primam: Zach. VI, 15 coll. 9-14.

(*a*) Deut. l. c.

(*b*) Gen. et Ex. ll. cc.

Numerum singularem in pluralem mutatum aut hunc in illum videas in Ps. XXXIX, 7; LV, 15-16.

176. Nonnulla vero diligenter considera. Ac primo cave, ne quam mutationem personarum suspiceris, quum quis vel ipse de se, vel de eo, quo cum sermonem habet, veluti de tertio quopiam, subinde loquitur, sicut factum videas in Ps. XLIX, 14 coll. 13-15; Ps. LXXV, 10 coll. 9. 11; Ps. LXXXVIII, 2; Is. XLV, 14. Haec enim nihil est aliud nisi figura quaedam orationis, quam et apud auctores ceteros reperire est; ita apud Virgilium Iuno de se ipsa loquens (*a*): *Et quisquam numen Iunonis adoret?* Dido autem Teucros alloquens (*b*): *Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem?* Attende praeterea, ubi simul prima persona in secundam et secunda in primam mutantur, praesertim si plures harum mutationum sibi invicem et continuo succedant; intelliges enim id aliud non esse nisi διαλογισμον, sicut est in Mich. VII, 7-10. 11-13. 14. 15-17. 17-20. Quum vero persona tertia fit prima, id saepe nihil est aliud quam prosopopoeia, ut in Ps. XLIX, 7; LXXXI, 2; Is. XIII, 3 coll. 1. Quum denique loco tertiae personae secunda adhibetur, apostrophen habes, puta, in Ps. XVII, 16; LI, 11; Is. I, 5. 22.

177. Ad hoc caput revocanda est ea personae fictio sive prosopopoeia in psalmis praesertim atque in prophetarum libris non infrequens, qua Christus ipse, sive huius hostes aut sequaces, loquentes inducuntur; haec enim figura obiter legentes facile fugit, ut putent vel ipsum psalten aut prophetam de se, vel eius hostes aut sequaces de ipso loqui, ac tamquam historiam accipiant, quae vera est prophetia. Patres id iam nos monuerunt, quos inter Hippolytus ita scribit: *In his igitur (prophetis) Verbum versabatur loquens de se ipso* (*c*). Eadem Iudaeorum sententia est; ex quibus Kimchius ita loquitur de quodam oraculo Isaiae (*d*): *Loquutus est propheta in persona Messiae, ac si Messias dixisset sic: Quia Dominus unxit me* (*e*). Alia huius rei exempla praeter istud habes in Ps. II, 7; XXXIX, 7-9; etc., quae tamquam ab ipso Christo prolata acceperunt scriptores novi testamenti (*f*).

(*a*) Aen. L. I. v. 48.
(*b*) Ib. v. 565.
(*c*) Adv. haeres. Noeti §. 12.
(*d*) Is. LXI, 1.
(*e*) In Is. l. c.
(*f*) Act. XIII, 33; Hebr. I, 5; X, 5-7.

§. VI

Ἐπεξήγησις *et parallelismus poeticus.*

178. Ad contextum scripturarum sermonem pertinet ἐπεξήγησις, latine *appositionem* diceres, qui modus quidam est sublimioris dictionis ac poeticae seu vaticinae plerumque, quo duae vel plures loquutiones aut sententiae in unum simul spectantes aliquam habent inter se similitudinem, sive proportionem, sive etiam contrarietatem; ex quo triplex ἐπεξηγήσεως forma est, ὁμόλογος, ἀνάλογος, et ἀντίθετος. Ipsam autem harum loquutionum aut sententiarum comparationem, quam inter eas instituimus, quamque *parallelismum poeticum* vocant, quia in sublimiore dictione usurpatur, si versetur circa illarum significationem, *parallelismum hermeneuticum* dicemus, sin vero circa earum structuram, *syntacticum*. Lege Robertum Lowth (*a*).

179. Parallelismus hermeneuticus non exigua subsidia interpreti affert. Rem exemplis confirmabimus, atque iis primo, quae suppeditat ἐπεξήγησις ὁμόλογος. In libro Numerorum haec legis אַחֶיךָ מַטֵּה לֵוִי שֵׁבֶט אָבִיךָ *fratres tuos*, tribum seu virgam *Levi*, sceptrum *patris tui* (*b*). Si dubites, quid significet nomen *sceptrum*, animadverte voces *sceptrum patris tui* ὁμολόγους esse vocibus *tribum Levi*; quod si de hoc quoque dubites, certiorem te faciet comparatio utriusque loquutionis cum illa: *fratres tuos*, cuius apposita esse duo haec alia patet, atque cognosces vocem שֵׁבֶט, non secus ac vocem מַטֶּה significare *tribum*. Pari pacto vocabulum רְפָאִים apud Isaiam, quum iungatur vocabulo מֵתִים, quod sonat *mortuos*, intelliges significare *manes* (*c*). Vide sis Ps. XXXII, 13-14; L, 4; CXIII, 1. 7, eaque expende, ut sunt in bibliis hebraicis.

180. Exempla ἐπεξηγήσεως ἀναλόγου haec sunto. Legis in genesi: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius* (*d*), quae duo ad unum atque idem spectare statim animadvertis, deque uno

(*a*) De sacra poesi Hebraeorum Praelect. XIX. Vid. et additum Epimetron *Io. Davidis Michaelis.*

(*b*) Num. XVIII, 2.

(*c*) Is. XXVI, 14.

(*d*) Gen. XLIX, 10.

eodemque dicta esse, et, quamvis diversa reapse significent, quamdam tamen in his unius ad aliud ἀναλογιαν esse manifestam. Quare nomina שֵׁבֶט et מְחֹקֵק, ea, inquam, quae vulgatus interpres latine reddidit *sceptrum* et *ducem*, ita oportet interpretari atque exponere, ut ἀναλογια illa intacta maneat; et siquidem alterutrum horum in sensum translatum accipiamus, utpote quod, haudquaquam rem, quam proprie sonat, sed rei formam significet, et alterum in similem sensum accipiemus; si alterutro indicatur origo ex Iuda ducenda, et altero origo haec indicari dicenda est. In illa psaltae sententia: *Etenim sagittae tuae transeunt, vox tonitrui tui in rota; illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae, commota est, et contremuit terra* (*a*), dubitas utrum nomen חֲצָצִים sonet *sagittas* an *lapillos*, ut id alii verterunt, itemque nomen גַּלְגַּל, quod latine *rotam* versum legimus, quid tandem significet. Sed animadverte sententiam illam quatuor membris constare, quorum tertium primo, quartum secundo respondet, ac duobus posterioribus significari eos effectus, quorum caussae duobus prioribus significantur. At *coruscationes* sive, ut hebraice est, בְּרָקִים, non lapillorum, sed fulminum effectus sunt; utque terra *commoveri* seu potius רָגַז, id est, *trepidare ex metu* dicitur, idque ob tonitrua, ita quoque, quum ea dicatur רָעַשׁ seu *contremiscere ex strepitu et concussione*, conficimus pro nomine גַּלְגַּל optime redditam esse *rotam*, currus videlicet, quo Deus vectus fingitur (*b*). Duplicem itaque habes ἐπεξηγησιν, in utraque autem simul sumpta tertiam insuper haberi facile perspicis, quo duae illae sese mutuo declarant. Vide sis Ps. L, 3. 5; XCVI, 11; CXIII, 2-6. 8; CXXXI, 17; Luc. I, 35.

181. Haec denique exempla accipe ἐπεξηγησεως ἀντιθετου. Illud Christi effatum: *Qui amat animam suam, perdet eam (c)*, inquit Augustinus, *duobus modis intelligi potest . . . . Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item . . . . noli amare ne perdas (d)*; dubium, inquam, est, de quo amore Christus loquatur, de recto an de perverso. Verum, utrum sit, docet antithesis, quae

(*a*) Ps. LXXVI, 18. 19.
(*b*) Vid. ib. 20.
(*c*) Io. XII, 25.
(*d*) In Io. Tract. LI. §. 10.

est inter illam sententiam atque inter aliam hanc, quam continuo Christus subdidit: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Sicut enim verbum *custodire* Christus opposuit verbo *perdere*, ita etiam opposuit verbum *odisse* verbo *amare*; quum itaque *odium* huiusmodi commendetur, *amor* ille vituperari ac pravus esse dicendus est. In Isaiae verbis: *Qui iustificatis impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo (a)*, illud *auferre iustitiam* idem esse ac *condemnare* cuique perspicuum fit ex oppositione utriusque sententiae. Vide sis Luc. I, 79; XVI, 8.

182. *Parallelismus syntacticus,* inquit Ackermann, . . . *constat iam solis duobus membris se immediate consequentibus, ut Ps. CXIV,* 1 - 8, *iam tertio quoque membro impari, ut Hos. VI,* 1 - 2, *iam quatuor membris, quorum primum tertio et secundum quarto respondet, ut Ps. XXXIII,* 13. 14, *iam etiam quinque membris, quorum duo prima et duo ultima sibi parallela sunt, et medium est impar, ut Ies. XXXI,* 4, *vel primum tertio et secundum quarto respondet, et quintum est impar, ut Ps. XIX,* 8 - 10. *Nonnunquam observatur quidpiam singulare, ut Ps. CXIII,* 5 - 6; *Mich. I,* 4 *(b).* Vide et Is. VI, 10; et scito aliquod exemplorum, quae suggerit Ackermann, minus esse opportunum.

133. Parallelismus iste syntacticus eo interpretem iuvat, non quod verborum notiones sensumque enuntiationum ipse aperiat, sed quod ad haec invenienda viam veluti complanat, dum rectam membrorum dispositionem ostendit, et quaenam horum sibi vicissim respondeant. Huius rei exemplum ex Ps. LXXVI superius dedimus (180). Alia haec accipe. Iacobi vaticinium sic habet: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium (c)*, idque vides constare quatuor membris, quorum siquidem primum tertio respondeat quartum autem secundo, magnam lucem vaticinio afferri sentias, praesertim si illud, ut hebraice legitur, expenderis (*d*). Ita quoque, si sagacius scruteris vaticinium Balaami (*e*), et

---

(*a*) Is. V, 23.
(*b*) Archaeolog. bibl. §. 91. n. III.
(*c*) Gen. XLIX, 10.
(*d*) V. Lib. II. quaest. VI. n. 59.
(*e*) Num. XXIV, 17.

verborum notiones in eo diligentius perquiras, reperies in eo ἐπεξήγησιν quatuor membrorum, aliam tamen ea, quae primo apparet legentibus; ac notandus praesertim erit inversus illorum membrorum ordo, primum enim quarto et secundum tertio respondet, quo maxime iuvaberis ad totius vaticinii sensum colligendum (a). Vide sis Deut. XXXII, 41; Ps. IX, 7; XLIV, 6; CXII, 5-6; CXLIX, 8; Is. II, 7 hebr.; XLIV, 5; Ier. XV, 3.

REGULA V

Comparatio ipsarum scripturarum.

184. In interpretatione scripturarum curae nobis esse summopere debet diversas ipsarum partes seu capita inter se comparare et componere, potissimum vero ea omnia, quae aliquod sibi invicem lumen afferre possunt, quod patres praestitere quam diligenter, ut cuique notum est. Illa autem sunt vel *allegata,* vel *parallela*, vel ἐναντιόφανα. De quibus singillatim nobis agendum modo est.

§. I

Allegata.

185. *Allegatio,* qua de nunc quaestionem habemus, est, quum unius scriptoris verba ab aliis relata sunt. Id quacumque ratione fiat, comparatio tamen locorum, in quibus verba illa leguntur, numquam non utilis erit, etsi magis aut minus, ut modo notiones ac sensus omnino clareant, modo vero ex aliqua solum parte illustrentur. Diversas tamen rationes, quibus verba allegantur, considerare necesse est.

186. Ac primo dispiciendum, utrum scriptor ipse aliena verba alleget, an aliquis alius. Si alius, rursus quaerendum, utrum is, cuius auctoritati refragari nefas sit, an secus. Si secus, fieri potest, ut ille minus assequutus sit sententiam scriptoris, cuius verba protulit,

---

(a) V. Lib. II. quaest. VII. n. 26.

atque ideo vel minus recte ea protulerit, vel prave etiam exposuerit; quem tamen unius aut nonnullorum errorem, cave, ne toti Iudaeorum genti communem fuisse existimes. Huiusmodi sunt allegationes quaedam scripturarum, quibus Iudaeos usos fuisse legimus in evangeliis, Matth. XVII, 10; XIX, 7; Io. VII, 41-42. 52; XII, 34, atque illa praesertim, quae scribae Herodi sciscitanti, *ubi Christus nasceretur*, responderunt prolatis Michaeae verbis (*a*), aliter tamen ac in ipso Michaea leguntur (*b*); quod si quidam scripturarum enarratores animadvertissent, pepercissent fortasse casso labori, quo utrumque caput Michaeae et Matthaei simul componere conati sunt.

187. Sin autem scriptor ipse aut alius, cuius auctoritas necessario suspicienda sit, alterius verba allegaverit, quaerendum est, utrum ad aliquid probandum, et quonam argumentationis genere, directae, vel indirectae, aut κατ' ἄνθρωπον, an potius, ut verba haec argumento accommodaret, an denique solummodo eorum meminerit.

188. Si primum fiat, ut aliorum verba ad probandum allegentur, dubitare nequimus horum significationem illam esse, in quam ab eo accipiuntur, qui ea allegat, idque sive directa sit argumentatio sive indirecta; atque illud solum hac in re cavendum est, ne sensum spiritalem pro literali habeamus. Itaque nemini anceps esse potest, an oraculum ab Isaia prolatum (*c*) significet Messiam ex virgine oriturum, quum Matthaeus indicium exhibens, quo Iesum esse Messiam dignosceremus, narret eum ex virgine ortum fuisse atque ita oraculum illud impletum esse (*d*). Sic etiam, quum Christus verba geneseos (*e*) produxerit, ut probaret connubia dissolvi non posse (*f*), manifestum est talem esse illorum verborum sensum, in quem Christus ea accepit. Atque in utroque loco habes, quae allegentur ad rem directe probandam. Indirecta vero est argumentatio Pauli allegantis (*g*) illa deuteronomii: *Non ligabis os bovis terentis (h)*, argumento, ut aiunt, ducto a *minore ad maius*, ut evincat non esse alimenta deneganda iis, qui populo laborant rem divinam curando, quum Deus neque bobus triturantibus siverit ea denegari, ex quo concludes

---

(*a*) Mich. V, 2.
(*b*) Matth. II, 6 coll. 5.
(*c*) Is. VII, 14.
(*d*) Matth. I, 22. 23.
(*e*) Gen. II, 24.
(*f*) Matth. XIX, 3-6.
(*g*) I Cor. IX, 9; I Tim. V, 18.
(*h*) Deut. XXV, 4.

falsum esse, quod quidam occasione huius allegationis putarunt, locum hunc deuteronomii vel spiritalem sententiam continere, vel in eo de sacerdotum alimentis sermonem esse, quamvis ceteroquin illius sensus per se clareat (483). Quod si ex verbis allatis ducatur argumentum κατ' ἄνθρωπον ad aliquem errorem refellendum, quisquis demum sit, qui allegat haec verba, pro comperto est nequaquam ex hoc sequi illorum sensum necessario esse eum, quem praefert allegatio. Dubitatio incessit discipulos Iesu, quomodo is Messias esset, quandoquidem scribae ex vaticinio quodam Malachiae (*a*) colligebant, ac docebant, Eliam ante Messiam adventurum fuisse (*b*); Iesus vero illos dubitantes refutavit dicens, Eliam iam advenisse, Ioannem Baptistam videlicet (*c*), de quo reapse Gabriel haec praedixerat: *Et ipse praecedet ante illum (Christum) in spiritu et virtute Eliae* (*d*). At quinam ex Christi responso inferat Malachiam de Ioanne Baptista, non autem de ipso Elia, esse loquutum? Christus κατ' ἄνθρωπον respondit, et disputavit, nec secus ac si dixisset: Siquidem putatis Eliam ante Messiam venturum esse, scitote iam advenisse, Ioannem, inquam, Eliae multimodis similem. Quin imo falsam scribarum interpretationem Christus iam refellerat, haec enim dixerat: *Elias quidem* VENTURUS *est* (*e*).

189. Si fiat alterum, ut verba alterius proferantur κατ' ἔκβασιν aut κατα κολλησιν, atque alicui rei accommodentur (472), siquidem certi de hoc simus, ex tali allegatione nihil discere praeterea possumus, nisi sensum, in quem verba illa ipse auctor usurpavit, alium esse eo, secundum quem illa allegantur ab alio. Verba quaedam psaltae (*f*) Paulus de se ipse loquens usurpat (*g*), sed patet id ab eo fieri κατα κολλησιν, illaque eum sibi aptare; quare perspicuum etiam est verba haec psalten haudquaquam de Paulo dixisse, ac ridendum fore, qui ex ea allegatione conficere conaretur rem secus esse, ac dicimus. Sin autem dubites, an aliqua verba in sensum, ut vocant, accommodatum usurpentur, disquire, an in illa scripturarum pagina, unde desumpta fuerunt, per se satis perspicua sint; hoc enim semel posito nullo ne-

(*a*) Mal. IV, 5.
(*b*) Matth. XVII, 10.
(*c*) Ib. 12. 13.
(*d*) Luc. I, 17.
(*e*) Matth. XVII, 11.
(*f*) Ps. CXVII, 6.
(*g*) Hebr. XIII, 6.

gotio iudicare poteris de modo allegationis, utrum ea sit mera verborum ad alienum sensum accommodatio, an secus (483-485). Reperies quaedam verba Amosi prophetae (*a*) allegata in libro Tobiae (*b*) et in primo libro Machabaeorum (*c*), ita tamen ut ex sola allegatione non satis eluceat, utrum simplex accommodatio ea sit, an secus. Verum, quum Amos ea verba proferens, ut cuique patet, de excidio regni israelitici loqueretur, consequens est, ab auctore libri primi Machabaeorum κατ᾽ ἔκβασιν illa proferri, respectu, inquam, saevitiae atque impietatis, qua Antiochus in Iudaeorum gentem debacchatus est, ab auctore vero libri Tobiae secundum rerum veritatem adeoque in ipsam prophetae sententiam ea allegari. Nihilominus, etsi verba aliis sententiis accommodentur, utilis tamen erit comparatio, tum quia reapse ea verba sunt, de quibus quaestio est, licet rebus aliis accommodata, tum quia similitudo, quam habent res istae cum iis, de quibus verba illa primo dicta fuerant, aliquid luminis interpreti fortasse praeferet. Quod si tamen verba ita aliis rebus accommodentur, ut neque moneat scriptor ea aliena esse, satius subinde est diversos locos, in quibus ea leguntur, habere pro parallelis, non vero alterum tamquam ex altero allegatum, ut est de verbis Amosi et primi libri Machabaeorum, itemque de quibusdam aliis, quae legimus in libro Zachariae (*d*) et in apocalypsi (*e*).

190. Si denique illud fiat, quod tertio enumeravimus loco, ut verba aliunde desumpta solum commemorando referat scriptor, comparatio aeque ac in aliis instituenda erit, licet non semper futurum sit, ut ex ea discamus primum verborum sensum esse illum, in quem usurpari videntur a scriptore aut alio quovis, qui ea commemorat; quod modo vidimus fieri in verbis Amosi commemoratis ab auctore libri Tobiae, quae quidem, nisi clara per se forent, ex tali allegatione non omnino evincere possemus ab Amoso dicta fuisse de vastitate regni Israelitarum.

(*a*) Am. VIII, 10.
(*b*) Tob. II, 6.
(*c*) I Mach. I, 41.
(*d*) Zach. IV, 3. 11. 14.
(*e*) Apoc. XI, 4.

§. II

Parallela.

191. Quaecumque in scripturis aliquam produnt rationem, quae inter ipsa est, sive similitudinis, sive proportionis, sive oppositionis, secundum quam simul comparari possunt, *parallela* vocamus; ea vero ratio vel in verbis et loquutionibus est, vel in rebus atque argumentis. Hinc duplex comparationis modus, quorum alter *parallelismus verborum,* alter *rerum,* nuncupatur, et quorum posterior minus plerumque ipsam interpretationem attingit quam prior; uterque autem pro triplici illa ratione triplici forma distinguitur, estque vel ὁμολογος, vel ἀναλογος, vel ἀντιθετος. Porro huius comparationis usus in scripturis enarrandis latissime patet, quum, non duae modo pluresve sententiae seu enuntiationes, sed et integra capita, narrationes, sermones, integri denique libri comparari simul eo pacto possint. Tametsi vero neutrum comparatorum difficultate vacet, comparationem nihilo secius instituamus, oportet; fieri quippe poterit, ut ea invicem suas diluant difficultates, aut aliqua alia ratione interpretem iuvent. Ratione itaque fecit Augustinus, quum id agere nos iussit: *Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur* (*a*).

192. Quid vero discrepent *parallela* ab *allegatis* (185), nemo non perspicit. Allegata quippe habemus, ubi, quid quispiam senserit, aut dixerit, alter narrat, parallela vero, quum duo vel plura reperimus scripta, quae aliquid praeferunt, quo simul comparari possunt. Habes exempli caussa in Isaia (*b*) parallela istorum verborum Davidis: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli* (*c*), eademque haec diversa ratione allegata reperies in pluribus libris novi testamenti (*d*). Medium autem locum inter paralle-

---

(*a*) Doctr. chr. L. II. c. 6.
(*b*) Is. XXVIII, 16.
(*c*) Ps. CXVII, 22.
(*d*) Matth. XXI, 42; Marc. XII, 10; Luc. XX, 17; Act. IV, 11; I Pet. II, 7.

la atque allegata tenent eae scripturarum partes longiores, ut sunt narrationes, sermones, psalmi, quae iisdem verbis praeter propter descripta non semel leguntur, exempli gratia, II Reg. XXII, 2-51 et Ps. XVII; I Par. XVI, 8-22 et Ps. CIV, 1-15; I Par. XVI, 23-33 et Ps. XCV; IV Reg. XVIII, 13-XIX et Is. XXXVI-XXXVII; IV Reg. XXIV, 18-XXV, 1-21 et Ierem. LII, 1-27; I Esd. II, 1-67 et II Esd. VII, 6-69; Ps. CVII constans ex Ps. LVI, 8-12 et LIX, 6-14. Plurima vero huiusmodi in evangeliis reperire est. Quae tamen si quis inter parallela numerare voluerit, non repugnabo, ideoque nunc visum est eorum meminisse. Ceterum, quanti facienda sit horum comparatio, pro comperto est. Caveas praeterea, ne parallelismum hunc, quo de nunc agimus, et parallelismum illum poeticum, quo de egimus superius (178), veluti quid unum atque idem habeas. Ille quippe intra unius alteriusve periodi limites continere se debet, hic autem per integra biblia libere vagatur. Sed huius parallelismi exempla pro diversis eius speciebus suggerenda iam sunt.

193. *Parallelismus verborum* ὁμόλογος ille est, quo instituta earumdem vocum seu loquutionum, quae diversis locis habentur, comparatione illarum notio seu sensus definitur. Sic verbum בָּרָא (*a*) collatis simul locis omnibus, ubi comparet eadem forma kal, certo comperimus significare actionem aliquam unius Dei propriam. Quid sit מְרַחֶפֶת in genesi (*b*), proditur in deuteronomio (*c*). Voces מִבֵּין רַגְלָיו in vaticinio Iacobi (*d*) vertendas esse *de inter pedes eius*, non vero *de medio eius*, patet comparantibus Deuter. XXVIII, 57. Vocem *carnem* apud Isaiam (*e*) suspicaberis significare natione seu gente propinquos, itemque in epistola ad Romanos (*f*); at certior fies, si utrumque locum simul componas. Legimus in psalmis: *Anima mea in manibus meis semper* (*g*), quod idem sonare, ac *offerre se vitae discrimini*, disces ex comparatione eiusdem loquutionis, quae est in libro Iudicum (*h*) et in libro primo Regum (*i*). *Aeternitatem* proprie

(*a*) Gen. I, 1.
(*b*) Ib. 3.
(*c*) Deut. XXXII, 11.
(*d*) Genes. XLIX, 10.
(*e*) Is. LVIII, 7.
(*f*) Rom. XI, 14.
(*g*) Ps. CXVIII, 109.
(*h*) Iudic. XII, 3.
(*i*) I Reg. XIX, 5; XXVIII, 21.

dictam significari nomine עוֹלָם in libro secundo Samuelis (*a*), tibi persuadebis, ut credas, si legas psalmum octavum et octogesimum (*b*). *Signa*, quorum mentio est in psalmo tertio et septuagesimo (*c*), esse *festos dies*, te docebunt ea, quae habentur in exodo (*d*) et in Ezechiele (*e*). Hebraicum nomen שְׁאוֹל numquam necesse est, ut *sepulcrum* vertas, necesse tamen saepius est, ut vertas *commune animarum habitaculum*; concludes itaque, hanc, non vero illam, esse nominis illius notionem.

194. *Parallelismus verborum ἀναλογος* haberi potest inter illas sive voces sive loquutiones, quae licet diversae sint, ratio tamen et proportio quaedam est unius ad alteram, qua unum idemque significare credantur. Si dubites, nomen *semen* in vaticinio Nathanis (*f*) significet unum aliquem ex filiis Davidis, an totam eius progeniem, confer locum parallelum (*g*), ubi addita verba: *quod erit de filiis tuis*, primam significationem praeferre suadent. Quid dicere voluerit Iacob his verbis Esaum fratrem alloquens: *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei* (*h*), perspicuum fit, si cum iis compares locos alios, ex quibus discimus, eos, qui Deum vidisse narrantur, mortem sibi timuisse ab huiusmodi visu (*i*). Filii Davidis dicuntur fuisse כֹּהֲנִים (*l*), quae vox plerumque *sacerdotes* significat, quales illi esse nequibant, utpote orti ex tribu Iudae; at in loco parallelo (*m*) dicuntur fuisse רִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *primores ad manum regis*, id est, dignitate primi inter regios ministros, ideoque ita accipienda est eo in loco vox כֹּהֲנִים, quidquid secus placeat Winero (*n*), qui Gesenium (*o*) hac in re sequutus est.

195. *Parallelismus verborum ἀντιθετος* erit, quum duas pluresve voces aut loquutiones, quarum notiones seu significationes constat

(*a*) II Sam. VII, 16.
(*b*) Ps. LXXXVIII, 35-38.
(*c*) Ib. LXXIII, 4. 9,
(*d*) Ex. XXXI, 13.
(*e*) Ezech. XX, 12. 20.
(*f*) II Reg. VII, 12.
(*g*) I Par. XVII, 11.
(*h*) Gen. XXXIII, 10.
(*i*) Ex. XXXIII, 20; Deuter. V, 24; Iudic. VI, 22, 23; XIII, 22.
(*l*) II Sam. VIII, 18.
(*m*) I Par. XVIII, 17.
(*n*) Lex. ad h. v.
(*o*) Geschichte der hebr. Sprache §. 12, 3.

contrarias inter se esse debere, simul comparamus, ut ex ipsa contrarietate notionum aut significationum alterutra, quae latet, aut minus patet, innotescat. *Lucernam* in scripturis τροπικως significare felicitatem demonstrat comparatio loqnutionum contrariarum *splendere lucernam (a) et extingui (b)*. Facile quoque demonstrabis Noem, quum nepotem suum Chanaanem אָרוּר dixit (*c*), quae vox proprie sonat *maledictum*, non tamen illi mala imprecatum esse, sed solummodo mala praenuntiasse, sive eum infelicem futurum, idque hoc evinces, quod, sicut contrariae notionis vocabulum בָּרוּךְ non semper idem valet ac *benedictus*, sed nonnumquam idem ac *felix* (*d*), ita אָרוּר possit significare *infelicem*, quod tamen plura parallela ὁμολογα atque ἀναλογα (*e*) confirmant. *Fornicationem* habitam ab Israelitis cum idolis seu diis aliarum gentium (*f*) idem esse ac horum cultum eo confirmatur, quod Dei cultum sub imagine casti coniugii initi a Deo cum gente israelitica repraesentent scriptores sacri (*g*), imo et in novo testamento ecclesia ut Christi sponsa lectoribus exhibetur (*h*).

196. *Parallelismus rerum* ὁμολογος est, quum duas pluresve scripturarum partes, in quibus eadem de re sermo habetur, simul comparamus, ut, iam non de verbis, sed de ea ipsa re iudicemus. Ex iis, quae Nathan Davidi praedixit (*i*), plura non recte percipies nisi locis parallelis simul comparatis, quorum plurima habes (*l*). Dicitur Deus Davidem impulisse ad censum populi habendum (*m*), ob quem tamen habitum Davidi succensuit (*n*). Sed duo haec facile compones, siquidem alibi, non Deus, sed Satan dicitur Davidem ad id impulisse (*o*); sivit igitur Deus, ut Satan hoc auderet. Verba, quibus Christus eucharistiam confecit (*p*), nulla ratione figurata esse posse aut

---

(*a*) Iob. XXIX, 3.

(*b*) Ib. XVIII, 6; XXI, 17; Prov. XIII, 9; XX, 20; XXIV, 20.

(*c*) Genes. IX, 25.

(*d*) Deut. XXVIII, 3 seqq.

(*e*) Ib. 16-19; Ios. IX, 23; Ps. CIX, 18; Prov. XXVIII, 27; Malach. III, 9 coll. 10.

(*f*) Ex. XXXIV, 16; Lev. XVII, 7; XX, 5; Iudic. VIII, 33; Os. I, 2.

(*g*) Is. LIV, 5; LXII, 5; Ier. II, 2.

(*h*) II Cor. XI, 2; Eph. V, 23-32; Apoc. XIX, 7; XXI, 2.

(*i*) II Reg. VII, 11-16.

(*l*) I Par. XVII, 10-14; Ps. LXXXVIII, 20-38; CXXXI; etc.

(*m*) II Reg. XXIV, 1.

(*n*) Ib. 10-16.

(*o*) I Par. XXI, 1.

(*p*) Matth. XXVI, 26-28.

symbolum aliquod complecti, ideoque neque ipsam eucharistiam merum esse symbolum, docet Christi sermo, quo eam sese confecturum spopondit, seu praenuntiavit, expresse secernens id, quod symbolum est (*a*), a rei veritate (*b*). Si, quae leguntur in Actis (*c*), videntur tibi significare Paulum longiore tempore moratum esse Hierosolymis, quum primo illuc iverat, posteaquam Christo sese adiunxerat, disces breve illud tempus fuisse, si legas, quae in illo eodem libro inferius habentur (*d*), nec longius quindecim diebus, sicut ipse Paulus scribit ad Galatas (*e*). *Ita etiam omnia illa artificia*, inquit Iahn, *quibus recentiores quipiam, qui Rationalistae dici amant, donum linguarum extraordinarium, in ordinarium mutare conati sunt, vana esse apparet, si diversa loca conferuntur*, quae nec pauca sunt, nec nisi perquam aperte loquuntur (*f*). *Ita quoque, si omnia loca, in quibus Iesus de sua persona et dignitate loquitur, conferas, miraberis esse posse, qui divinitatem eius impugnant, et loca quoque apostolorum de hac ipsa agentia prevertere student* (*g*).

197. *Parallelismus rerum* ἀνάλογος habetur inter ea, quae res continent, etsi diversas, proportione tamen aliqua aliave ratione inter se ita coniunctas, ut eorum comparatio alicuius rei notitiam nobis suppeditet. Ceteris vero parallelismi speciebus latius omnino sese porrigit, eiusque usus frequentior est, quum rem seu materiem declaramus, quam quum ipsa verba simpliciter interpretamur, tametsi etiam verborum interpretatio illo opus habeat, quum non raro unius vocis aut loquutionis significationem certo assequi nequeamus, nisi aliis quibusdam rebus praecognitis, quas huiusmodi parallelismus nobis aperit. Dicitur Noe, *cum quingentorum esset annorum*, genuisse *Sem, Cham, et Iapheth* (*h*). Num vero omnes eodem anno? quod improbabile est. Si secus, annus ille quingentesimus fuit ne, quo Noe coepit, an vero quo generare cessavit? Parallelismus aliorum locorum (*i*)

(*a*) Io. VI, 35-47.
(*b*) Ib. 48-59.
(*c*) Act. IX, 28-30.
(*d*) Ib. XXII, 18.
(*e*) Gal. I, 18.
(*f*) Marc. XVI, 17; Act. II, 4-12. 33 coll. I, 4-8; X, 44-46; XIX, 6; I Cor. XIV, 22.
(*g*) Enchirid. §. 27.
(*h*) Genes. V, 31.
(*i*) Ib. XI, 10 coll. VII, 6. 11.

docet tunc generare coepisse, siquidem Sem genitus ab eo est biennio post. Lucas meminit plurium miraculorum, quae a Christo Capharnai facta fuerant (*a*), quae tamen frustra quaeras in Lucae evangelio, horum enim meminit continuo post baptismum et ieiunium Christi (*b*). A quoto ergo Christi aetatis anno repetenda est narratio eorum, quae a Christo iam adulto gesta referuntur in Lucae evangelio? Aetas haec esse profecto nequit postremum dumtaxat Christi biennium; Lucas quippe inferius ea describit, quae biennio illo Christus gessit, idque ita esse colligimus locorum diversorum comparatione instituta. Nam, quinque panes multiplicavit Christus (*c*) anno vitae paenultimo, id est paulo ante paenultimum pascha, ut docet Ioannes (*d*), quod pascha subsequutum est necem Ioannis Baptistae (*e*). Ante narrationem de multiplicatis panibus commemorat Lucas sabbatum *secundum primum* (*f*), quod etiam circa diem festum paschatis, imo post illud, incidisse patet, nam messis iam maturuerat (*g*). Ast huic paschati locus est ante necem Ioannis Baptistae, eam enim postea commemorat Lucas (*h*); sed etiam longe post miracula illa, quae Capharnai facta fuisse dicuntur, ut patet ex serie rerum, quae inter tempus, quo facta fuerant, et inter illud sabbatum *secundum primum* gestae referuntur (*i*). Ergo tria paschata numeranda sunt, sive biennium integrum extremae vitae Christi, post miracula illa. At secundum horum miraculorum Capharnai factum est longe post illud pascha, quod primum omnium memoratum habemus in evangeliis a Ioanne (*l*). Quum igitur, prout aliis argumentis conficitur, quatuor tantum postrema paschata vitae Christi commemorent evangelistae, dicamus oportet seriem gestorum, quae post Christi ieiunium narrat Lucas, initium ducere paulo ante alterum horum paschatum, sive ante postremum vitae Christi biennium.

198. *Parallelismus rerum* ἀντιθετος tunc habetur, quum duo comparamus, quorum unum falsum oppositione alterius deprehendimus;

(*a*) Luc. IV, 23.
(*b*) Id. III, 21-IV, 13.
(*c*) Ib. IX, 12-17.
(*d*) Io. VI, 5-13 coll. 4, et VII, 2, et XII, 1. 12, et XIII, 1.
(*e*) Conf. Luc. IX, 9; Io. V, 35.
(*f*) Luc. VI, 1.
(*g*) Ib.
(*h*) Ib. IX, 9.
(*i*) Conf. Luc. IV, 23. 31. 37. 44; V, 12. 15. 17.
(*l*) Io. IV, 46-54 coll. II, 13. 23 et IV, 35,

quod tamen ad veritatem colligendam saepe sufficit, semper vero viam complanat. Locus est huic parallelismo tum in compositione ἐναντιοφανῶν, de quibus inferius agemus (209 seqq.), tum etiam quum ex iis, quae dicunt scriptores bibliorum, aliquid discere volumus, quod non dicunt. En exempla. Ex tribus Noae filiis (*a*) quinam primogenitus fuit? Sem nequit esse, Noe enim genuit primo, *cum quingentorum esset annorum (b)*, at Sem ortus est biennio post (197). Sed neque Cham, qui dicitur *filius suus minor (c)*. Fuit ergo Iapheth. Deus generis humani flagitia perosus ait: *Eruntque dies illius centum viginti annorum* (*d*). Haec vel aetatem designant, quam homines ex illo victuri erant, vel tempus, in quod Deus poenas ab hominibus illius aevi reposcere differebat; sed hoc alterum accipias necesse est, quum alibi legamus post diluvium homines adhuc ad plura annorum centena vitam protraxisse (*e*). Psalmus CXXXI dictus est de arca foederis translata in locum alium, qui quidem esse nequit urbs Cariathiarim, in quam primo ex Bethsameso arca translata fuerat (*f*), tunc enim nondum natus erat David, cuius meminit psaltes (*g*); sed neque domus Obededomi, in quam David arcam transtulit ex Cariathiarimo (*h*), aut Civitas Davidis, ubi postremo illam collocavit (*i*), nondum enim, quum in haec loca translata est, elegerat *Dominus Sion in habitationem sibi* (*l*), neque ea Davidi promiserat, quae in psalmo commemorantur (*m*). Canit itaque psaltes arcam translatam in templum a Salomone exstructum. Paulus ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, literas dedit, quum Romae vinctus moraretur (*n*); sed Romae vinctus erat, etiam quum ad Timotheum secundo scribebat (*o*), ac proinde putabis hanc quoque epistolam, sicut illas, datam a Paulo esse intra biennium, quo eum Romae mansisse narrat Lucas (*p*). Attamen secus esse facile perspicies, si

---

(*a*) Gen. V, 31.
(*b*) Ib.
(*c*) Ib. IX, 24.
(*d*) Ib. VI, 3.
(*e*) Ib. XI, 10-23.
(*f*) I Reg. VI, 20-VII, 1.
(*g*) Conf. II Reg. V, 4; Act. XIII, 21; I Reg. VII, 2; X, 1.
(*h*) I Par. XIII, 5-13.
(*i*) Ib. XV, 25-XVI, 1.
(*l*) Ps. CXXXI, 13 coll. I Par. XXI, 18-XXII, 1. 2.
(*m*) Ps. CXXXI, 11. 12 coll. II Reg. VII, 12-16.
(*n*) Eph. VI, 20; Philipp. I, 12-17; Coloss. IV, 3. 10. 18; Philem. 1. 9. 10. 13. 23.
(*o*) II Tim. I, 8. 16. 17; II, 9.
(*p*) Act. XXVIII, 30.

nonnulla, quae in hac epistola legimus, compares cum iis, quae quatuor illae priores habent. Conf. II Tim. I, 2 cum Philipp. I, 1, et Col. I, 1, et Philem. 1; II Tim. IV, 6-8 cum Philipp. II, 24 et Philem. 22; II Tim. IV, 9 cum Col. IV, 14 et Philem. 24; II Tim. IV, 11 cum Col. IV, 10 et Philem. 24.

199. Parallelismus seu comparatio integrorum librorum interpreti opem non fert nisi eminus. Etenim verborum parallelismus quod ad integros libros iuvare nos poterit, exempli gratia, ut ex dictionis similitudine aut diversitate eosdem aut diversos librorum auctores, eamdem aut diversam aetatem, arguamus. Parallelismus autem rerum ad historiam illustrandam potissimum conducit, qualis institui potest inter libros Regum et paralipomenon, inter quatuor evangelia, inter Acta apostolorum atque epistolas Pauli; attamen etiam ad libri sive auctorem sive aetatem cognoscendam conducit, ut fit comparando inter se evangelium et epistolas Ioannis, atque etiam inter se epistolas Pauli, puta, datas ad Ephesios et ad Colossenses, itemque ad Titum et secundam ad Timotheum. Attamen haec omnia praenoscere interpreti quoque magno subsidio est.

200. Ut parallelismum, quoties opus erit, instituere queamus, usus regulae primae adiumento erit potissimum, prout affirmavimus (138) duce Augustino, qui iubet *nosse istos libros, ... UT ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant (a).* Enimvero haec publica veluti via est certaque ratio, qua sponte sua nobis ea sese offerre solent, quae ad parallelismum habendum, nec verborum solummodo, sed et rerum, necessaria sunt aut utilia. Sed et alia suppetunt adminicula, usu faciliora ea quidem et magis obvia, sed quae non adeo late patent, ac sese porrigunt, ut illud, quod primum suggessimus. Praecipua vero sunt haec duo, biblia, in quorum margine parallela adnotata sunt, et Concordantiae bibliorum. Quod attinet ad primum, peculiarem mentionem merentur biblia hebraica edita a Io. Henrico Michaelis Halae Magdeburgicae 1720, quae perplurimos locos similes seu parallelos, tum quod ad verba, tum quod ad res, legentibus commonstrant, neque veteris solum, sed etiam novi testamenti; item

---

(a) Doctr. chr. L. II. c. 9.

graeca exemplaria novi testamenti, quae ediderunt Io. Crispinus (*a*), Stephanus Curcellaeus (*b*), Io. Fellus Oxonii 1675 8.°, Io. Gregorius Oxonii 1703 f.°, Io. Millius Oxonii 1707 f.°, Io. Albertus Bengel Tubingae 1734 4.° Quod autem attinet ad Concordantias bibliorum, latinae quidem ubivis prostant, nuperrime vero nova earum editio Insulis procurata est anno 1837 II voll. 8.°, atque etiam Parisiis 1838 I vol. 4.° Graecas veteris testamenti hebraeis vocibus respondentes edidit Conradus Kircherus Francofurti 1607 II voll. 4.°, atque iterum Abraham Trommius Amstelodami 1718 II voll. f.°; novi autem testamenti Henricus Stephanus Parisiis 1594 f.° et Erasmus Schmidius Vitembergae 1638 f.° Hebraicas denique ab Isaaco Nathane congestas edidit Io. Buxtorfius Basileae 1632 f.°, additaque interpretatione latina Marius Calasius Romae 1621 IV voll. f.°, cuius opus paucis immutatis atque emendatum ex parte denuo prodiit cura Gul. Romaine Londini 1747 IV voll. f.°, nuper vero idem hoc opus longe pleniore ac splendidiore forma editum est a Iulio Fürstio Lipsiae 1837-1840 XII section. f.° Concordantiis hebraicis addendum est opus Christiani Noldii, cui titulus est: *Concordantiae particularum ebraeo-chaldaicarum* cum adnotationibus Io. Gottfridi Tympii Ienae 1734 4.° Porro Concordantiae magis usui sunt parallelis verborum quam rerum inveniendis. Imo neque ea omnia suppeditant, sed neque suppeditare possunt, quibus opus est ad ipsum verborum parallelismum omni ex parte absolvendum, ut veram germanamque sententiam arripiamus. Haec enim exstat ex vocum singularum notione et ex loquutionum sensu, quae plerumque definire nequimus, nisi comperta ac perspecta habeamus ipsarum rerum adiuncta; ast adiuncta haec Concordantiae nos minime docent. Cui rei confirmandae plurima faciunt ex iis, quae attulimus. Ut vero recte parallelismus instituatur, quae subdimus, animadvertisse non parum ad id conferet.

201. Nonnumquam diversas parallelismi rationes esse ineundas, ut locus aliquis clarescat, aut omnimodis illustretur. *Filiae* בָּנוֹת, quae Iacobum patrem Iosepho amisso moerentem consolatae esse dicuntur (*c*),

(*a*) V. *Masch* Biblioth. sacr. P. I. c. 2. sect. 2. §. 38.

(*b*) V. ib. §§. 55. 60.

(*c*) Gen. XXXVII, 35.

quaenam sunt? Parallelismus rerum ὁμολογος unicam filiam Iacobo fuisse prodit (*a*). Num filia simul et neptis (*b*), quam unicam reperimus in familia Iacobi, quum in Aegyptum migravit? At neptim nondum ea aetate tunc esse potuisse, qua id officii avo suo praestaret, prodit parallelismus rerum ἀναλογος et ἀντιθετος; fuit quippe filia Aseris (*c*), quem Iosepho ferme aequalem esse oportuit (*d*), at Iosephus tunc annum agebat decimum sextum (*e*). Sed vox illa *nurus* significare nequi', quum numquam id significet. Itaque parallelismus verborum ὁμολογος nodum solvit, integra quippe loquutione בָּנִים וּבָנוֹת, quae illic habetur, liberos omnes simul significari, quotquot demum ii sint, sive mares sive feminae, locus alius geneseos nos docet (*f*). Verbis Ioannis Baptistae: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*g*), eam rem significantibus, cuius parallelum ὁμολογον habes in Isaia (*h*), multum luminis afferes, si priora illa: *Ecce agnus Dei*, explanes instituto parallelismo ἀναλογῳ cum frequentissimis hisce loquutionibus: *feriae Domini (i), sabbatum Domini (l), phase Domini (m), azyma Domini (n), primitiae Domini (o), incensum Domini (p), panes Dei (q), oblationes Domini (r), sacrificia Domini (s), victima Domini (t), holocaustum Domini (u)*, quae patet sonare rem Deo sacram seu devotam; posteriora autem: *ecce, qui tollit peccatum mundi*, idem valere, ac pendere peccatorum poenas, confirmes parallelismo ὁμολογῳ aut ἀναλογῳ inter illa instituto atque inter innumeros paene locos, ubi eadem loquutio, aut quae idem valeat, habetur (*x*), Christus quippe *peccata nostra ipse pertulit in cor-*

(*a*) Ib. XXIX, 31 - XXX, 1-24.
(*b*) Ib. XLVI, 17.
(*c*) Ib.
(*d*) Conf. Ib. XXXI, 38. 41 cum XXX, 25. 31-XXXI, 1-9, et XXIX, 20. 23. 35, et XXX, 9-13.
(*e*) Ib. XXXVII, 2.
(*f*) Ib. XLVI, 15.
(*g*) Io. I, 29.
(*h*) Is. LIII, 7. 11. 12.
(*i*) Lev. XXIII, 2.
(*l*) Ib. 3.
(*m*) Ib. 5.
(*n*) Ib. 6.
(*o*) Ib. 17.
(*p*) Ib. XXI, 6.
(*q*) Ib.
(*r*) Ib. II, 3.
(*s*) Ib. XXIV, 9.
(*t*) Ex. XXIX, 18.
(*u*) Lev. XXIII, 12.
(*x*) Ex. XXVIII, 43; Lev. V, 17; IX, 7; XIX, 17; XX, 20; XXII, 9; XXIV, 15; Num. IX, 13; XIV, 33; XVIII, 22. 32; Thren. V, 7; Ezech. IV, 4-6; XIV, 10; etc.

pore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati sumus (a).

202. Inter eosdem locos, duos vel plures, plures inire quandoque poteris parallelismos specie differentes pro diversa ratione, qua locos illos consideras. Ita inter Christi verba, quibus de eucharistia a se instituenda loquutus est (*b*), atque inter illa, quibus eam instituit (*c*), parallelismum verborum habebis, si inter se compares ipsas illas loquutiones *manducare carnem, bibere sanguinem*, rerum, si locos integros inter se compares, quatenus in iis agitur de eucharistia, et quidem ὁμολογον, in quantum de eadem re utrobique sermo est, ἀναλογον autem, in quantum in uno res haec promittitur, in altero praestatur.

203. Locos, quos conferimus, omni ex parte lustrare atque omnimodis declarare oportet ceteris quoque regulis adhibitis, ut certior quisque fiat illos reapse, quantum opus est, parallelos esse, ne pro talibus habeamus, atque usurpemus, qui tales non sunt; sicut ii faciunt, qui verbis, quibus Iacob morti proximus Iosephum alloquutus est: בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל (*d*), explicanda esse autumant ea, quae Deus praedixit de semine Abrahae (*e*), Isaaci (*f*), et Iacobi (*g*), quae tamen nihil cum verbis illis commune habent nisi radicem verborum בָּרַךְ.

204. Definiendum deinde est, quinam locus ex duobus aut pluribus parallelis clarior sit ceteris, atque ex illo ceterorum illustratio petenda, non autem e contrario, quod tamen peccant nonnulli; puta, ii, qui statuunt, ea, quae de Iephte scripta sunt: *Et fecit ei (filiae), sicut voverat* (*h*), significare filiam Iephtae perpetuae virginitati devotam aut sacris fuisse addictam, et ad hanc sententiam trahere atque accommodare conantur sensum verborum, quibus ipsum Iephtae votum narratur (*i*), quum tamen haec et clarissima sint, et exacta ad regulas artis hermeneuticae nulla ratione ita intelligi queant, illa autem alia rem vix indicent, ac manifestum sit, ea ad priora spectare, atque a priorum sensu eorum interpretationem pendere.

(*a*) I Pet. II, 24.
(*b*) Io. VI, 48-59.
(*c*) Matth. XXVI, 26. 28.
(*d*) Gen. XLVIII, 20.
(*e*) Ib. XXII, 18.
(*f*) Ib. XXVI, 4.
(*g*) Ib. XXVIII, 14.
(*h*) Iudic. XI, 39.
(*i*) Ib. 30. 31.

205. Si unum parallelum non sufficit rei conficiendae, alia conquirantur, ac comparentur. Id factum saepius a nobis hactenus est (193-198. 201).

206. Quum ad illustrandas narrationes rerum gestarum opus erit parallelismo, in subsidium accersendi sunt non historiarum libri solummodo, in quos res istae relatae sunt, sed et alia tum veteris tum novi testamenti capita, in quibus harum earumdem rerum, quantumvis obiter, mentio aliqua habetur. Imo numquam committendum, ut historias, quae in bibliis leguntur, exponere aggrediamur, nisi prius assidua attentaque lectione ipsorum bibliorum compertos habeamus locos omnes, ex quibus aliquid petere sit, quo in huiusmodi parallelismo habendo invemur. Dumque haec praestabimus, verborum quoque parallelismus nobis occurret quam saepissime. Habes exempla huius rei superius inter cetera (196. 201).

207. Etsi, quae unus idemque auctor, multo autem magis, quae unus atque idem liber suppeditat, parallela ceteris praestent, tamen alia, quae exhibent auctores ceteri ceterique scripturarum sacrarum libri, praesertim vero quum plura ea sunt omnique ex parte perspicua, tantumdem ac priora illa conferunt ad veritatem tenendam, dummodo utraque eumdem omnino praeferant modum eamdemque rationem loquendi; quare, ne haec aliis his locis alia fortasse sit ob aliquam illarum caussarum, quae in hominum sermonem mutationes inducere solent (250-257), diligenter est considerandum. Exempli caussa, vocabulo מְחֹקֵק in vaticinio Iacobi (*a*) notionem esse eum, qui populum regit secundum leges, apprime confirmabis inspecto huius eiusdem vocabuli usu apud Isaiam (*b*). At vocabulum סֹפֵר in cantico Debborae (*c*) frustra illustrare conaberis productis exemplis ex libris paralipomenon (*d*) aut Esdrae (*e*), horum quippe auctorum aetate vocabulum illud aliam praeterea notionem acquisierat significans *legis peritum* (*f*).

208. Imperite autem in dubium revocares, an sermo, quo usi sunt scriptores novi testamenti, illustrari queat parallelismo instituto inter hunc interque eum, qui veteris testamenti scriptoribus proprius fuit; pro com-

(*a*) Gen. XLIX, 10.
(*b*) Is. XXXIII, 22.
(*c*) Iudic. V, 14.
(*d*) I Par. XXVII, 32.
(*e*) I Esd. VII, 6; etc.
(*f*) Conf. Eccli. X, 5; XXXVIII, 25; II Machab. VI, 18.

perto enim est illos ab his verba et loquutiones esse mutuatos. Propter eamdem autem rationem contrarium etiam fit, ut quaedam in vetere foedere ex his, quae leguntur in novo foedere, lumen acquirant. Huius rei exempla superius relata habes (193. 195. 201). Vocum tamen et loquutionum quarumdam sensum in novo testamento deprehendas esse subinde alium eo, qui illis iisdem vocibus ac loquutionibus subiectus constanter est in vetere, quaedam autem e contrario a scriptoribus novi testamenti numquam accepta esse in eum sensum, in quem testamenti veteris scriptores ea quandoque accepere.

§. III

Ἐναντιοφανα.

209. Dum scripturarum partes alias cum aliis comparamus, quaedam nobis occurrere contraria prorsus ac reapse inter se pugnantia superius (174) monuimus, de quibus componendis nulla ratio est, quae nos angere debeat, quum alterutra ex illis nequaquam ab hominibus divino spiritu instinctis prolata, sed relata solummodo sint. Secus autem est, quum de iis agitur, quae, quamvis prolata ab illiusmodi hominibus, ἐναντιοφανα tamen sunt, atque pugnare inter se videntur, quorum sensum ignorabis, nisi prius eorum pugnam composueris. Cui compositioni habendae necessaria est notitia caussarum, ex quibus ἐναντιοφανεια illa emanat, ac modi, quo apparens illa pugna summoveri possit.

210. Ἐναντιοφανεια haec vel a librariorum mendo repetenda est, quod in biblia irrepserit, vel ab hac caussa, quod alterutrum locum non recte intelligamus. Ut noscas, utrum fiat, satis plerumque sunt hae regulae, quas suggerimus, quae etiam utrique malo remedium suppeditant.

211. Itaque, quum in aliquid huiusmodi incurrimus, primum quaeremus, an alterutro in loco mendum habeatur, sique ita esse deprehenderimus, iam securi concludemus nullam inter ea esse veram ac proprie dictam ἀντιλογιαν, idque etiamsi ratio ac modus minime suppetat, quo mendum tollamus; tum, uter sit locus, in quo mendum est, ulterius disquiremus. Hac in re adiumento nobis praecipue erunt praeter hanc etiam regulae VII et VIII. Legis in libro secundo paralipomenon Ioachinum regnum auspicatum esse, quum annum ageret octa-

vum (*a*), in quarto autem libro Regum, quum ageret annum duodevicesimum (*b*); alterutro in loco mendum haberi iam apparet, in utro autem sit, prodet parallelismus initus cum iis, quae de Ioachino leguntur tum in illo ipso capite paralipomenon, tum in libro quarto Regum (*c*), tum denique apud Ieremiam (*d*). Numerus equorum, quos habuit Salomon, longe alius est in libris Regum (*e*) quam in paralipomenis (*f*), neque codices neque interpretes quidquam suggerunt, ex quo noscas, utro in loco mendum sit; at mendum haberi in alterutro patet, atque id satis est, cur vere pugnantia haec esse negemus.

212. Sin autem mendum nullum est, ἐναντιοφανειαν non alia ex caussa repetemus, nisi quod alterutrius loci sensum non simus assequuti; quem si neque regulis hisce adhibitis assequi continget, meminerimus scriptores bibliorum res, quas narrant, paucis plerumque perstringere, et, prout ceteri omnes, plura consulto reticere (97), utpote quae ipsorum aetate omnibus nota essent, quibus tamen ignoratis quaedam in bibliis obscura fieri necesse sit, quo semel posito ἀλογως prorsus contenderes, ea cum aliis scripturarum partibus pugnare. Iuvabit tamen ea, quae subdimus, memoria retinere.

213. Quandoque ἐναντιοφανεια non aliunde dependet, quam quod verba formaeque dicendi, quae unum atque idem significant, diversa significare creduntur, unum vero atque idem, quae diversa. Cui malo remedium levi negotio adhibetur, si ipsas illas dicendi formas verbaque ipsa attentius legamus, comparemusque, ubi opus fuerit, cum argumento cumque contextu orationis. Zacharias praedicit Ioannem filium prophetam futurum (*g*), Ioannes vero prophetam se esse infitiatur (*h*); at Ioannes nomine *propheta* Messiam significabat. Huc spectant universe ea, quae de Christo Deo et homine dicuntur, et quae, quum eadem sonare videntur, diversa tamen de re dicta sunt. E contrario nulla pugna est inter haec Pauli verba: *Per peccatum .... in* OMNES *homines mors pertransiit (i)*, et inter illa: *Unius deli-*

(*a*) II Par. XXXVI, 9.
(*b*) IV Reg. XXIV, 8.
(*c*) Ib. 9.
(*d*) Ier. XXII, 28-30.
(*e*) III Reg. IV, 26.
(*f*) II Par. IX, 25.
(*g*) Luc. I, 76.
(*h*) Io. I, 21.
(*i*) Rom. V, 12.

cto multi *mortui sunt* (*a*); nam *multi* et *omnes* idem sonant, prout alias quoque fit (*b*).

214. *Si loca, in quibus doctrina exponitur,* inquit Iahn, *aut attingitur, invicem pugnare videntur, animadvertendum est, quibus in locis doctrina diligenter et adcurate proponatur, et ad haec exigenda sunt reliqua loca, in quibus tantum obiter et in transitu commemoratur, non integra explicatur, sed aliquid praetermittitur, aut etiam adiicitur alibi dictis, aut alio respectu proponitur .... Saepe pugna disparet, si modo uterque locus diligentius examinatus et explicatus fuerit (c).* Exempla quaedam modo prolata (213) hoc ipsum confirmant. Ita quoque Paulus loquens de iustificatione Abrahae (*d*) videtur adversari Iacobo eadem de re loquenti (*e*); at omnis pugna disparebit, si legas ea, quae Paulus illo ipso in loco (*f*) atque etiam aliis (*g*) fuse disserit de iustificatione.

215. *Occurrente pugna locorum propheticorum inter se vel cum locis alterius generis, observanda veniunt sequentia. I Calamitates cuiusvis generis plerumque sub conditione .... annunciabantur, uti prophetae nonnunquam ipsi disertis verbis profitentur, ut Ies. VII,* 9; *Ier. XXXVIII,* 17-23; *etc; id antiqui Hebraei probe noverunt, ut ex Ier. XXVI,* 17-19 *liquet .... II Si de eodem obiecto vel subiecto contraria praedicta sunt, ad diversas aetates spectant; ut si Hebraeis alicubi calamitates, alibi autem laetiora annunciantur, ... aut si de Messia iam magnifica iam humilia praedicuntur .... III Quaepiam effata prophetarum non sunt praedictiones rerum futurarum, sed mandata de iis, quae agenda essent, ... ut illa ieiunia, ... quae Zacharias nomine Iehovae c. VII,* 2-5; *VIII,* 19 *abolenda et in laeta festa convertenda esse dicit, sed nihilominus conservata fuerunt (h). IV Quaepiam vaticinia meras complectuntur imagines rerum futurarum, quae premendae non sunt, sed id solum, quod significatur, tenendum est, ... ut ultima novem*

(*a*) Ib. 15.
(*b*) II Cor. V, 15 coll. Hebr. IX, 28.
(*c*) *Iahn* Enchirid. §. 51.
(*d*) Rom. IV, 2-5.
(*e*) Iac. II, 21-24.
(*f*) Rom. III. IV.
(*g*) Gal. III. IV. V.
(*h*) Act. XXVII, 9.

capita Ezechielis (a). Praesto itaque est, unde repetas ἐναντιοφανείαν, quam vaticinia quaedam vel inter se habent vel cum rerum eventu.

216. *In historia pleraeque huius generis difficultates nascuntur ex diversis earundem rerum, locorum, et personarum nominibus, ex variis definitionibus temporum, ex ordine rerum gestarum, ex attributis et adiunctis adiectis vel omissis*, quod alias iam monueramus (97). Ex hoc capite repetenda est discrepantia, quae interest sive inter Christi maiores, quos recensent Matthaeus (*b*) et Lucas (*c*), sive inter annorum numerum, quibus Israelitas in Aegypto moratos esse tradunt Moyses (*d*) et Paulus (*e*). Cavendum tamen est, *ne ipsi pugnas locorum fingamus, historias, quae sunt in diversis locis eaedem, distinguendo, vel, quae sunt diversae, confundendo; uti, quod narrat Lucas c. XXIV, 2-7, a mulieribus in sepulcro Christi conspectos fuisse duos angelos, nempe postquam Maria Magdalena in urbem redierat, ut refert Ioannes c. XX, 1-2, non est confundendum cum eo, quod narrat Ioannes c. XX, 11-16, Mariae Magdalenae post reditum ex urbe duos angelos et ipsum quoque Christum redivivum apparuisse (f).*

REGULA VI

Cognitio ornamentorum dictionis.

217. Scriptoribus bibliorum, prophetis potissimum atque poetis, loquutio translata frequenti in usu est, rarior emphasis, non tamen insolens. Utriusque autem naturam et vim interpres bibliorum perspectam habeat, oportet, ut germanas notiones ac sensus colligere possit. Quare haec quoque edisseremus, ac data occasione alia quoque perstringemus dictionis bibliorum ornamenta.

(*a*) *Iahn* Enchirid. §. 52.
(*b*) Matth. I, 1-17.
(*c*) Luc. III, 23-38.
(*d*) Ex. XII, 40.
(*e*) Gal. III, 17 coll. 16.
(*f*) *Iahn* Enchirid. §. 53.

§. 1

Tropi.

218. Prisci sermonis inopia novis ideis designandis verba iam usu recepta transferre cogebat, quorum notio aliquam cum illis similitudinem aut nexum prae se ferret. Non pauca horum verborum ita immutata prodit ετυμων perquisitio in linguis praesertim orientalibus, quorum tamen ea, quae vel necessitate seu defectu verborum propriorum translata sunt, vel primam significationem exuerunt prorsus, aut, etiamsi saepius occurrant, non exhibent nisi semel aut iterum, haudquaquam pro tropis habentur, nisi forte libeat eos dicere tropos, non rhetoricos, sed grammaticos seu etymologicos; huiusmodi est verbum עָגַב, cui olim notio fuit *admirari*, verbum אָנַף olim *spirare*, verbum זָרַר olim *spargere*, quae notiones iam obsoleverunt, quantum ex bibliis colligere est, itemque verbum דּוּן olim *humilem esse*, in quam significationem semel in bibliis accipitur (*a*). Ad haec revocantur plures voces ac loquendi formae, quae ex rebus humanis translatae ad divina nominanda atque édicenda iam proprie haec significant, puta, *pater*, *filius*, *spiritus*, *generare*, *spirare*; nam, ut Thomas scribit, *Deus in hac vita . . . . cognoscitur a nobis ex creaturis*; . . . . *sic igitur potest nominari a nobis ex creaturis*, ideoque necesse est, ut *nomina deficiant a modo ipsius (b)*.

219. Verba vero translata, quae talia non sunt, sicut שֵׁבֶט, מַטֶּה, יָד, רֹאשׁ, sicut et translatae loquutiones, quas inter etiam allegorias integras numeramus, ea sunt, quibus de nunc agimus, prout de parabolis quoque, apologis, et imaginibus, quae tropis affines habentur. In quibus dignoscendis atque enodandis interpretis partes non alias esse volumus, quam in ceteris omnibus, callere, inquam, recteque adhibere regulas ac praecepta artis hermeneuticae, usu enim compertum est ad id saepe ea sufficere. Ita, exempli gratia, contextus orationis (160) satis erit, ut intelligas hos tropos, quos subdimus. Nam, qui sint apud

(*a*) Gen. VI, 3.

(*b*) 1. q. 13. a. 1. c. et ad 2.

Lucam *filii huius saeculi*, patet oppositis (169) *filiis lucis* (*a*); qui vero sint *filii lucis*, docet parallelismus verborum ὁμολογος (193) institutus cum verbis Christi apud Ioannem (*b*). Adposita (165) חִזְקִי *fortitudo mea* et מְפַלְּטִי *evadere me faciens* caussam produnt, cur psaltes vocet Deum סַלְעִי *petram meam* et מְצוּדָתִי *verticem montis inacessum*, quo tutus sum; cur vero eum vocet צוּרִי *rupem meam*, ex addita explicatione (168): אֶחֱסֶה-בּוֹ *confugiam ad eum*, facile comperimus (*c*). Quum tamen ars hermeneutica peculiaria quaedam circa tropos praecipiat, haec quoque tradamus necesse est. Ceterum de bibliorum tropis fuse disserit Augustinus, iis tamen admixtis, quae spectant ad typos (*d*).

220. Ut recte ac plene tropos interpretemur, translationis fundamentum omnimodis perspectum habeamus oportet. Est autem illud vel aliqua rerum similitudo, quam Orientales etiam in rebus longe diversis norunt deprehendere, vel nexus alius, qualis est inter antecedens et consequens, inter caussam et effectum, inter continens et contentum, inter *abstractum*, ut vocant, et *concretum*, inter genus et formam, interque cetera huiusmodi, quum horum unum ponitur pro altero. Priori fundamento innititur translatio, qua fulmina *ignis ex ore Domini* vocantur, et tonitrua *vox Domini* (*e*), Deus vero *rupes* (*f*), quaque felicitatem nomen *lucerna* (*g*), gloriam et potentiam nomen *cornu* (*h*) designat; plurimarum quoque loquutionum translatio, quales sunt: *Si*... *arripuerit iudicium manus mea* (*i*), *Inebriabo sagittas meas sanguine* (*l*), *Gladius meus devorabit carnes* (*m*), *Divitias, quas devoravit (impius), evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus, caput aspidum suget etc.* (*n*), aliaeque sexcentae. Translationum autem, quibus alterum fundamentum subest, exemplo sunt *peccatum* pro sacrificio piaculari (*o*), *David* pro Christo (*p*), *Carmelus*

(*a*) Luc. XVI, 8.
(*b*) Io. XII, 36 coll. 35. 31-34.
(*c*) Ps. XVIII, 2. 3.
(*d*) Doctr. chr. L. III. cc. 5 seqq.
(*e*) II Reg. XXII, 9. 14.
(*f*) Deut. XXXII, 4. 18 hebr.
(*g*) II Reg. XXI, 17; Iob. XVIII, 6.
(*h*) I Reg. II, 1. 10; II Reg. XXII, 3.
(*i*) Deut. XXXII, 41.
(*l*) Ib. 42.
(*m*) Ib.
(*n*) Iob. XX, 15. 16.
(*o*) Ps. XL, 7 hebr.; II Cor. V, 21.
(*p*) Ezech. XXXIV, 23.

pro fertili solo atque uberi (*a*), *expectatio* et *desiderium* pro re expectata (*b*) et desiderata (*c*), *gentes* pro ceteris gentibus (*d*).

221. Raro fiet, ut fundamentum translationis lateat interpretem sagacem atque attentum. Si tamen id fiat, atque ideo, quia rem, unde dictio transfertur, aut huius rei naturam non satis compertam habeas, notitiam hanc adipisci primo curabis. Si nescias, cur regia domus Iudae ab Ieremia vocetur *Galaad*, et *cacumen Libani*, et *Basan* (*e*), scito hos fuisse montes nobilissimos regionis Israelitarum, ideoque ex his potius quam ex aliis metaphora petenda erat. Si rem eiusque naturam perspectam quidem habeas, attamen tropi fundamentum in ea non reperias, aliquam harum rationum inibis, quas subdimus.

222. Notionem verbi translati resolve in genus et formam, et disquire, an in alterutro fundamentum illud appareat. Itaque, si nondum assequutus es, quodnam fundamentum sit illius metaphorae, qua domus regum Iudaeorum vocatur *caput*, id est, *cacumen Libani* (*f*), remove ex harum vocum notione formam, qua hunc, non alium montem, significant, remanebit genus, mons, inquam, sublimis; si adhuc haeres, id quoque resolve in notionem generis seu montis et formae seu sublimitatis, quo nemo iam non intelliget in hac altera idea haberi fundamentum, quod quaerimus. Ita quoque in Isaia haec legis dicta de Christo: וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָֹה *Et* ODORARI *eum in timore Domini (g)*; remota verbi *odorari* forma, hoc est, notione odoris, manet genus, notio videlicet sensationis delectabilis; hanc quoque resolve in notiones sensationis et delectationis, et perspicies verba illa idem valere ac *delectari in timore Domini.*

223. Si hac ratione non proficis, vide num una cum tropo ellipsis habeatur, sique habetur, supple, quod deest; secus ipsum tropum converte in similitudinem, aut etiam utrumque fac. Si neque id te iuvat, rem in medio relinque, nec frustra coneris id, quod minus intelligis, enucleare. Illud Isaiae: *Erit desertum in Charmel (h)*, fa-

---

(*a*) Is. XXXII, 15.
(*b*) Ps. LXX, 5.
(*c*) Agg. II, 8.
(*d*) Gen. X, 5; Ps. II, 1. 8; Act. XIII, 46.
(*e*) Ier. XXII, 6. 20.
(*f*) Ib.
(*g*) Is. XI, 3.
(*h*) Id. XXXII, 15.

cile novimus esse tropum ellipsi admixta, atque *in Charmel* idem sonare ac *in ubertatem Charmeli.* Ita etiam, cur Deus *rupes* vocetur, intelliges, ubi suppleveris tropum ἐλλειπῃ addens *in quam confugimus.* Utrumque hunc tropum possumus etiam convertere in similitudinem: *Desertum erit sicut Charmel, Deus est sicut rupes refugii.* Sic etiam verba Habacuci: *Cornua in manibus eius (a)*, melius intelliges ita transformata: *In manibus eius veluti cornua*; aliunde enim didicisti nomine *cornu* apud scriptores hebraeos τροπικως significari robur et potentiam. Quid sit *baculum panis (b)*, assequeris, si dicas esse *panem tamquam baculum*, quo nempe suffulcimur.

224. Porro in tropis explanandis tria praecipue cavebimus. Primum ne tropos fingamus, ubi nulli sunt; quod ii aevo nostro pessime peccant, qui historias primorum hominum in μυθους, vaticinia autem et prodigiorum narrationes in loquutiones figuratas transmutant. Tum e contrario cavendum, ne in sensum proprium accipiamus, quae translata sunt, quod peccant Iudaei, dum ea explicant, quae de terrestri Messiae regno scriptores bibliorum τροπικως dicunt, atque ii peccare facile possent, quibus vel loquendi ratio scriptoribus illis usitata vel antiquitas iudaica minus perspecta est, quique latius, quam par est, protrahunt praeceptum illud veterum quorumdam (*c*): *Significationem propriam tenendam esse, nisi necessitas vel evidens caussa tropicam praeferre persuaserit.* Item peccant, qui obliviscuntur tropos subinde peti ex historia ipsa (77) aut ex rebus, quae vere gestae sunt, aut contigerunt, a prophetis vero praeterea etiam ex typis, uti quum de Christo loquuntur sub imagine Davidis (88), aut de ecclesia sub imagine Hierosolymorum (*d*) ac montis Sionis (*e*), ex quo fit, ut imaginem urgendo ea sermoni admisceant, quae figurae unice conveniunt, non autem figurato, uti quum Ieremias ecclesiam futuram praedicens sub imagine Hierosolymorum meminit *turris Hanameelis, portae anguli*, et *collis Garebi (f)*; qui translationis modus etiam apud scriptores ceteros adeoque in communi sermone usurpatur, uti quum

---

(*a*) Hab. III, 4.

(*b*) Ezech. IV, 16; V, 16.

(*c*) Ap. *Iahn* Enchirid. §. 35.

(*d*) Ierem. XXXI, 38-40.

(*e*) Mich. IV, 1.

(*f*) L. c. Vide notas *Dahleri* Ieremie traduit in h. l.

Neronem vocamus eum, qui populis crudeliter imperat, *Roscium in scena*, qui aliqua in arte praecellit, eumque, qui saepius opus aliquod struit, ac destruit, dicimus *telam texere Penelopes*. Alterutrum autem ex praedictis peccatis admittat, necesse est, qui non attendit, ut verbum aliquod quandoque utrumque sensum simul habeat, proprium et translatum, puta, quum dicimus: *Video vultum animumque tuum, qua sint verecundia*; nam *videre vultum, animi verecundia*, proprie dicta sunt, *videre animum, verecundia vultus*, translata. Denique, quum dictionem translatam esse indubium est, cavere oportet, ne ex ea pleniorem aut latiorem significatum extundamus, quam habeat, quum proprie usurpatur; verum id vix continget ei, qui translationis fundamentum probe noverit.

225. Habere praeterea ob oculos nonnulla necesse est in tropis bibliorum explicandis. Etenim, sicut unaquaeque gens immutationes quasdam verborum sibi proprias sectatur, ita et gentes, quae in Oriente sunt, quibus et aliquid amplius hac in re audere mos est, quam ceterae audeant; cuius rei specimina non pauca hactenus dedimus. Attamen, ut animadvertit Iahn, *in legibus, simplicibus rerum gestarum narrationibus, atque in adcuratiore doctrinae expositione non solent usurpari tropi insoliti et audaciores, sed solum tales, qui communi usu satis triti sunt, quare, quod mox . . . de tropis orientalium nonnunquam audacioribus dictum est, trahendum non est ad verba institutionis eucharistiae, Matth. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19. 20; I Cor. XI, 24. 25, in quibus . . . tropus . . . . . insolens et audacior esset, qualis hac occasione eo minus expectandus est, quo magis Judaei ex Exod. XXIV, 8 assueti erant* sanguinem foederis *proprie intelligere, uti etiam Hebr. IX, 20 cernitur . . . . Ast tropus tritior in his verbis locum omnino habet in voce ποτήριον* calix, *qui Luc. XXII, 20 venit pro contento (a)*. Denique monitu opus non est, ut animadvertamus vocem eamdem varie transferri; sic nomen אור *lux* modo in propriam notionem accipitur, modo autem immutatum, ut persaepe vel laetitiam significet, vel vitae pro-

(a) *Iahn* l. c. §. 37. III.

speritatem secundasque res, sed et lumen menti affusum claramque rerum informationem (*a*).

226. Quod vero attinet ad tropos etymologicos (218), quamvis locus hic illis non sit, eos tamen nosse proderit, quia subinde ex illis claret, quaenam olim translationum ratio ac modus in usu fuerit, quo cognito facilius tropi rhetorici illustrantur. Nosces exempli gratia, cur *ira* אַף in scripturis tamquam spiritus nasi exhibeatur (*b*), atque etiam tamquam fumus e naso erumpens (*c*), si animadverteris *irae* significatum in radice אָנַף ortum esse ex primitiva nunc tamen obsoleta notione *spiritus*, quae inerat huic eidem radici. Cavendum tamen est, ne putemus ex translatione etymologica singularem aliquam vim aut significationem vocibus advenire, eamque urgeamus, quemadmodum faceres, si verbo עָגַב *amorem admirabundum* (218) notionem inesse contenderes, aut circa vim praepositionis מִן velles tricari, quod orta putetur ex radice מָנַן, quae sonat *divisionem* aut *partitionem*.

227. In allegoriis, parabolis, apologis, atque imaginibus explicandis, in quibus dictio translata est, ea servare oportebit, quae de troporum interpretatione in universum praecepimus. Quid quatuor illa inter se discrepent, a rhetoribus edocemur. Unum addo, imagines a tribus reliquis id differre, quod illud, de quo sermo est, proprio sensu significent, quae autem de illo dicuntur translata sint; at in aliis tribus omnia sensu translato significantur. Confer, exempli caussa, allegoriam Ps. LXXIX, 9-17, parabolam II Reg. XII, 1-4, apologum Iudic. IX, 8-15, imaginem Ezech. XVI, 1-63. In horum autem omnium enarratione, ut admonet Iahn, *in primis caput praecipuum et summa rei, quae significatur, investiganda, ... ex reliquis vero tropici huius generis sermonis adiunctis solum illa, quae ad caput rei significatae manifestam habent relationem, adposite explicanda sunt; reliquorum autem adiunctorum, ... quorum nulla ad summam rei relatio adparet, significatio est nulla, ideoque minime quaerenda, ne explicatio ultra limites et scopum extendatur. Permulta enim huiusmodi tropicis sermonibus admixta sunt, non ad rem signifi-*

(*a*) Ps. CXIX, 105.

(*b*) Ex. XV, 8; II Reg. XXII, 16; Iob. IV, 9; Ps. XVII, 16.

(*c*) Deut. XXIX, 20; II Reg. XXII, 9; Is. LXV, 5.

catam, sed ad perfectionem imaginis spectantia, fere ut in tabulis seu picturis symbolicis, in quibus ipsa dumtaxat integra figura est symbolum rei, et significat id, quod pictor indicare voluit, nequaquam autem omnia singularia, quae ad integritatem et perfectionem figurae necessaria erant (*a*). Haec si tibi scripturas legenti subvenerint, difficultates plurimae explanabuntur, puta in iis, quae Ezechiel vaticinatus est de templo instaurando (*b*), et quibus a Ioanne caelestis Ierusalem (*c*) describitur. Animadverte haec omnia frequentissima esse apud poetas sacros et prophetas, nec modo in rebus gestis edicendis aut in laudationibus, obiurgationibus, admonitionibus, horumque similibus, usurpari, sed etiam in rerum futurarum praedictionibus, ut sunt Is. V, 1-6; XI, 1; Ezech. XVII, 3-10; XXIII, 2-49; Ps. CIX, 1-7.

§. 11

Emphases et alia quaedam dictionis ornamenta.

228. Emphasis Tullio est *ad plus intelligendum, quam dixeris, significatio* (*d*). *Eius*, ut scribit Quintilianus, *duae sunt species; altera, quae plus significat, quam dicit, altera, quae etiam id, quod non dicit* (*e*).

229. Priorem emphasis formam habes in his: *Ego Dominus*, quibus verbis plures leges sanciuntur in Levitico (*f*); *Ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus* (*g*), quae peculiarem curam, quam Deus in populo tuendo erat adhibiturus, debitumque populi erga Deum obsequium significant; *Numquid non vir tu es?* (*h*), quibus David Abnerum virum fortem fuisse pronuntiavit; *Esto vir* (*i*), quibus idem David Salomonem filium ad virtutem excitabat; *Haec est dies, quam fecit Dominus* (*l*), nobilis videlicet dies ob singularia beneficia a Deo collata.

230. Hanc ipsam emphasim continent illae, quas hodierni grammatici vocare solent *constructiones praegnantes*, quasque esse definiunt

(*a*) *Iahn* Enchirid. §. 40.
(*b*) Ezech. XL-XLIII.
(*c*) Apoc. XXI, 10-27.
(*d*) De Oratore L. III. §. 53.
(*e*) Institutt. L. VIII. c. 3. §. 83.
(*f*) Lev. XVIII-XXIII.
(*g*) Ier. VII, 23 et alias.
(*h*) I Reg. XXVI, 15.
(*i*) III Reg. II, 2.
(*l*) Ps. CXVII, 24.

constructionem verbi, quum duo inter obiecta alterum praeterea verbum subaudiri debet, ad quod referri obiectum potest (a). Exemplo haec sunt: *A cornibus unicornium exaudi me (b)*, id est, *ut liberes me*; *Conticescent in infernum (c), descendentes* videlicet in infernum. In his ellipsin facile agnosces (163. 233).

231. Minime confundenda est prior haec emphasis forma cum hyperbola et energia, quae nihil amplius significant, quam dicunt, sed solum id, quod singnificant, alia a communi ratione dicunt; quod quidem facile cavebit, qui emphasis definitionem probe intelligit. Hyperbola rem ipsam exaggerat, ac proinde, contra ac fit in emphasi, plus dicit, quam significat; ut sunt illa: *Magna est enim velut mare contritio tua (d), Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio (e)*. Energia, quae *illustris explanatio* vocatur a Tullio (*f*), rem vividioribus dicendi formis exprimens eam evidentiorem facit; ita Moyses de Israelitis Deo rebellibus delendis *(g)*: *Dixi*: *Ubinam sunt?*

232. Alteram vero emphasis formam illae loquutiones tibi ostendunt, vel qua Iosephi dispensator illius fratres ob scyphum furto sublatum increpavit, quamque ita legimus in codicibus hebraicis *(h)*: *Nonne illum, quo bibit dominus meus?* vel qua Iethro cladem Aegyptiis divinitus illatam demiratus aiebat: *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos, eo quod superbe egerint contra illos (i)*.

233. Sedulo distingue posteriorem hanc emphasis formam a breviloquentia et reticentia. In omnibus quidem hisce tribus, uti etiam in constructionibus praegnantibus (230), dictio ἐλλειπής est, discrepant tamen inter se hoc ipso, quod non omnis ellipsis sit emphasis, aut breviloquentia, aut reticentia. Nam ellipses sane frequentes reperies in bibliis, in quibus emphasis nulla est, cuiusmodi sunt ellipses pronominis sive demonstrativi, sive suffixi, sive relativi, item verbi substantivi, praepositionum, particulae interrogantis, nec non quorumdam verborum, quorum omissio in communi loquendi ratione obtinuit (163). Breviloquentia, non plus, quam

(*a*) *Gesenius* Lehrgeb. §. 222 *b*.
(*b*) Ps. XXII, 22 hebr.
(*c*) Ps. XXXI, 18 hebr.
(*d*) Thren. II, 13.
(*e*) Cant. VIII, 6.
(*f*) L. c.
(*g*) Deut. XXXII, 26.
(*h*) Genes XLIV, 5.
(*i*) Exod. XVIII, 11.

dicimus, significatur, sed, quod significatur, totum, paucis tamen nec sine quadam vi sermonis, edicimus. Tale est illud Zachariae: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? In planum (a),* id est, *solo aequaberis.* In reticentia illud quoque significamus, quod non dicimus, sed, quod in emphasi non fit, sermo veluti abrumpitur, tacita sententiae parte praecipua, eaque non tam iis, quae dicuntur, quam quae non dicuntur, significatur. Ita Deus de Adamo: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum (b)*; ita David *(c)*: *Anima mea turbata est valde; sed tu, Domine, usquequo?* Porro reticentia in communem loquendi modum transiit, ubi iurandi formulae usurpabantur; vide I Par. IV, 10; Ps. XCIV, 11; Is. LXII, 8; Marc. VIII, 12. Subtiliora fortasse haec atque exquisitiora, sed quae nos monitos esse oportet, nec ex scripturis ampliorem aut angustiorem, quam habent, sensum extundamus.

234. Ceterum emphases, ubi latent, sensu ipso plerumque deprehenduntur potius quam alio quovis indicio. Si tamen earum indicia quaeris, tibi ea suggerent materies ipsa ipsumque scribentis aut loquentis consilium, potissimum autem ea mentis atque animi comparatio, qua esse apparet is, qui scribit, aut loquitur, eaque affectuum vehementia, qua ducitur; his enim omnibus si minus respondeat simplex ipse verborum sonus, sed frigere potius atque ineptum quid sapere videatur, emphasin in verbis latere ne dubites. Experimentum dabunt, quae supra attulimus.

REGULA VII

Comparatio bibliorum cum suis translationibus.

235. Sacrarum scripturarum ἀρχέτυπα, quos *textus* vocare iam solemus, eosdem ac ceteri omnes libri casus experta, mendis, quae sensim in ea librariorum vitio irreperent, vacare non potuerunt. Haec tamen tot ac talia non sunt, quae in suspicionem adducant germanam ipso-

---

(a) Zach. IV, 7.
(b) Genes. III, 22.
(c) Ps. VI, 4.

rum textuum integritatem, idque eo minus, quo ars critica rationes perplurimas ac tutissimas suggerit, quibus menda illa maxima ex parte sustollantur. Sed neque ex hisce mendis illud vere consequitur, quod quidam putarunt, ipsis textibus interpretationes esse praeferendas, veluti si non etiam istae librorum omnium vicibus obnoxiae forent; quin imo praeter menda, quibus iam textus maculabatur, quum eae factae sunt, habent quoque, quae interpretes admiserunt, et quae ipsae tempore contraxere. Post editas hasce interpretationes textus ipsi novis adhuc iisque permultis etsi levibus maculis foedari perrexerunt. Ex quo comperimus, quam utilis sit regula ista, qua et textus et interpretationes inter se comparamus.

236. Duplici autem ratione illa utimur, quarum prima est, qua ad textuum verba ac sententias aliquam interpretationem exigimus, atque emendamus, aut illam declaramus. Rationem hanc summopere commendarunt Hieronymus et Augustinus, quorum verba iam retulimus (123). Lege hac de re, quae in aliis quoque libris habent tum Hieronymus (*a*) tum Augustinus (*b*). Locus autem huic regulae hac ratione adhibendae tunc erit, vel quum obscurior interpretatio ope textuum indigebit, qua clarescat, vel quum momentis ex arte critica petitis certiores facti fuerimus discrepantiam, quae forte erit inter textum et interpretationem, huic, non autem illi, vertendam vitio esse.

237. Quum autem e contrario textus ipse obscurior erit, aut argumenta non levia certiores nos facient mendum in illum irrepsisse, quo remedium malo adhibeamus, praesto nobis est altera ratio usurpandi hanc regulam, qua sensum textus ad sensum interpretationum exigentes illum emendemus, si modo interpretationes istae consonent inter se, atque concordent; secus ope artium criticae et hermeneuticae inquirendum erit, quaenam discrepantium interpretationum ceteris praestet, atque secundum hanc tum ceterae tum ipse textus explanandus.

238. Ceterum, utravis ratione regulam hanc usurpes, necessaria tibi est illarum artium peritia, si non plena, saltem non mediocris, cum acri simul ac temperante iudicio consociata, quod *si defuerit*, Augu-

(*a*) Ad Sunniam et Fretellam ep. CVI al. XCVIII. §. 2; Commentt. in Abdiam 20. 21; in ep. ad Galat. III, 10.

(*b*) De civ. Dei L. XV. c. 13.

stini utar verbis, *non potest his praeceptis dari (a)*. Quod attinet ad artem hermeneuticam, satis fortasse sunt ad recte hac regula utendum regulae ceterae, quas describimus; quod autem ad criticam, huic tradendae nequaquam locus hic est, nonnulla tamen ex eius penu deprompta regula octava suggeret, atque, unde cetera petas, indicabit.

239. Neque tunc solum, quum praestanda sunt duo illa, quae memoravimus (236. 237), sed alias quoque imo numquam non utilis erit haec comparatio, semper enim textus germani interpretationibus, nec raro praeclara interpretatio ipsi textui lumen aliquod affert; quin et illud in interpretationibus hisce praeclare habet, quod veluti testes sint notionum ac sensuum, qui ea aetate, qua editae sunt, ipsis verbis ac loquutionibus bibliorum inesse credebantur (*b*). Eas porro interpretationes tantummodo hoc loco complectimur, quae vetustae sunt, sive eae sint, quas *immediatas* vocant, id est, quibus ipse textus expressus est, uti sunt interpretatio vulgata maxima ex parte, graecae omnes, chaldaicae, syriaca *peschito* nuncupata, et ceterae, sive *mediatas*, ex aliis videlicet interpretationibus deductas, puta, veterem latinam veteris testamenti, syriacas hexaplarem et philoxenianam, magnam arabicarum partem, copticam, aliasque; neque enim interpretationes recentiores, utpote quae exprimunt textus, quales hodie supersunt, quidquam momenti habere possunt, nisi forte illud ipsum, quod habent commentarii recentiorum scriptorum, qui ipsi quoque nova quaedam interpretamenta verborum et loquutionum subinde depromunt. Quaenam autem sint interpretationes illae vetustae, quarum habenda ratio est, multi sunt, qui te docere possunt, quorum paucos nominabo, Io. Bernardum de Rossi (*c*), Io. Iahn sive Fourerium Ackermann (*d*), Io. Leonardum Hug (*e*). Ne quis vero suspicetur ea, quae praecipimus, minus congruere iis, quae de auctoritate interpretationis vulgatae sentire oportet, legat is Io. Bernardum de Rossi *(f)* et Iosephum Brunati (*g*), ceterosque scriptores perplurimos, quorum auctoritates ab iis allegantur. Sed iam huius regulae usum exemplis illustremus.

(*a*) Doctr. christ. L. II. c. 9.

(*b*) V. *De Rossi* Sinopsi della ermeneutica sacra §. XXX.

(*c*) Introduzione alla sacra scrittura §§. L-LXXVIII.

(*d*) Introd. in libros V. F. P. I. §§. 32-67.

(*e*) Einleit. in das N. T. I Th. §§. 61-145.

(*f*) L. c. §§. LXXIV-LXXVIII.

(*g*) Dissertazioni bibl. diss. III in spiegazione e difesa del decreto del conc. di Trento su la volgata. Milano 1838.

240. Legis apud interpretem vulgatum ad *viginti tria* hominum millia iussu Moysis caesa fuisse ob cultum exhibitum aureo vitulo (*a*), quod tamen vix credibile tibi fiet, si spectes Moysis lenitatem (*b*) et rationem, qua clades perfecta est (*c*). Consule itaque codicem hebraicum, in quo, nullo exemplari discrepante et suffragantibus ceteris omnibus interpretibus, leges *tria millia*. In paralipomenis inter posteros Selae numerantur, *qui stare fecit solem*, *virique mendacii, et securus, et incendens (d)*, in quorum verborum sensu quaerendo errabis, aut haerebis saltem, nisi inspecto hebraico exemplari didiceris haec esse propria certorum virorum nomina, ut etiam est nomen *regina* et nomen, quo huius filium interpres vocat *virum decorum* (*e*); propria quippe horum nomina latine reddidit interpres. Quid sint in libro sapientiae *vitulamina (f)*, quid *mors defluens* apud Siracidem (*g*), vix intelliges graecis exemplaribus non consultis. Saulus in Actis dicitur, quum primo Hierosolyma venerat ad apostolos, loquutus esse *Gentibus (h)*, at primus, qui de Christo ad Gentes loquutus est, fuit Petrus (*i*), qui tamen nondum id fecerat (*l*); quam quaestionem solvet graecum ἀρχέτυπον, a quo abest vox illa *Gentibus*.

241. E contrario ipsum ἀρχέτυπον ad vetustas interpretationes exactum emendare quandoque aut exponere opus erit. Ita in Ps. XV, 10 legendum חֲסִידְךָ *sanctum tuum*, non autem חֲסִידֶיךָ *sanctos tuos*, ut habent vulgatiores codices, itemque in Ps. XXII, 17 vocem כָּאֲרִי vertendam esse *fòderunt*, non autem *sicut leo*, nullus dubites, interpretibus omnibus tibi suffragantibus, excepto, quod attinet ad posteriorem horum locorum, interprete chaldaeo, qui tamen forte non omnino repugnat.

(*a*) Ex. XXXII, 28.
(*b*) Num. XII, 3.
(*c*) Ex. XXXII, 27. 28.
(*d*) I Paral. IV, 22.
(*e*) Ib. VII, 18.
(*f*) Sap. IV, 3.
(*g*) Eccli LI, 13.
(*h*) Act. IX, 29.
(*i*) Ib. XV, 7.
(*l*) Conf. ib. X, 9-17. 28. 29. 34. 35. 45; XI, 1-18.

REGULA VIII

Comparatio codicum diversorum et delectus variarum lectionum.

242. Scriptoris sententiam assequi is frustra conaretur, qui non prius, eius verba quaenam sint, probe perspectum habeat. Quaenam porro sint verba vel auctorum ipsorum, vel interpretum, qui biblia in alias linguas verterunt, non raro dubitatur, quandoquidem codices, qui vel ἀρχέτυπα vel interpretationes continent, et patres, dum scripturarum auctoritatem allegant, singulos ferme quod ad aliqua discrepare inter se deprehendimus (113). Itaque, etsi nullae ex his, quas vocant, lectionum varietatibus christianam aliquam doctrinam aut recte vivendi praeceptum vel leviter attentent, earum vero innumerae vix ullius momenti aut omnino nihili faciendae sint, multae tamen sunt, quae haerere nos cogunt, quominus auctoris sententiam, quaenam fuerit, definiamus.

243. Huic incommodo remedium illud est, ad quod adhibendum studiosi sacrarum literarum navam operam satis felici exitu hac aetate conferre solent, idque ipsum est, quod iamdiu suggesserat Augustinus, ita scribens: *Codicibus emendandis primitus debet invigilare sollertia eorum, qui scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant* (*a*); alio loco: *Nonnullas obscuriores sententias plurium codicum saepe manifestavit inspectio* (*b*), ita ut vel alteram lectionem respuendam esse intelligamus, vel ad alterius sensum exigendam atque explanandam.

244. Ars autem critica ea est, qua duce regulam istam adhibeamus. Cuius quidem artis quaenam in scripturis tractandis sint officia potissima, paucis te docebit Io. Bernardus de Rossi (*c*). Quaenam vero artis huius fundamenta sint, et quibus praeceptis ea contineatur, *periculosae plenum opus aleae* est paucis edicere; auctores habes non paucos, a quibus illa ediscas, quorum aliquot ex praestantioribus nominabo, Georg. Laurentium Bauerum (*d*), Ioan. Bernardum de Ros-

(*a*) Doctr. chr. L. II. c. 14. §. 21.

(*b*) Ib. c. 12. §. 17.

(*c*) Sinopsi della ermeneutica sacra §. XXV.

(*d*) *Salomonis Glassii* Philologia sacra his temporibus accommodata T. II. sect. poster. Critica sacra. Lipsiae 1795 IV voll. 8.°

si (*a*), Io. Albertum Bengelium (*b*), Io. Iacobum Wetstenium (*c*), Io. Davidem Michaelis (*d*), Christianum Fridericum Matthaei (*e*), Io. Iacobum Griesbach (*f*), Io. Martinum Augustinum Scholz (*g*), de quo tamen legenda sunt ea, quae scripsit Io. Petrus Secchi (*h*), et Io. Leonardum Hug (*i*).

245. Adminicula opesque lautissimas in huius regulae usum suppeditant, quod attinet ad ἀρχετυπα hebraica, Beniamini Kennicotti *Vetus testamentum hebraicum cum variis lectionibus (l)*, et Io. Bernardi de Rossi *Variae lectiones veteris testamenti* (244) et *Scholia critica in veteris testamenti libros (m)*; quod ad greca ἀρχετυπα novi testamenti, huius exemplaria edita cum variis lectionibus a Io. Millio (*n*), a Io. Iacobo Wetstenio (*o*), a Christiano Friderico Matthaei, a Io. Iacobo Griesbachio, a Io. Martino Augustino Scholz (244); quod ad graecas interpretationes et libros deuterocanonicos veteris testamenti, Roberti Holmes et Iacobi Parsons *Vetus testamentum graecum cum variis lectionibus* (*p*); quod ad interpretationes latinas, Petri Sabatier *Latinae versiones antiquae seu vetus itala* (*q*); quod ad exemplar samariticum pentateuchi, et interpretationes chaldaicam, syriacam, arabicam, aliasque, volumen sextum bibliorum londinensium (*r*). Quoniam autem in huius canonis usu etiam bibliorum, quae typis edi-

---

(*a*) Variae lectiones V. T. vol. I Prolegomena. Parmae 1784 II voll. 4;° Compendio di critica sacra. ib. 1811 8;° Introduzione alla sacra scrittura. ib. 1817 8°; Sinopsi della ermeneutica sacra. ib. 1819 8.°

(*b*) Apparat. crit. ad N. T. Tubingae 1763 4.°

(*c*) Prolegomm. ad N. T. cum append. *Ioh. Sal. Semler.* Halae Magdeburgicae 1764 8.°

(*d*) Einleit. in das N. T. I Th. 6 Kapit. *seu* Introduction au N. T. trad. de l' allem. par. *J. J. Chenevière* T. I. pp. 366-457. Paris 1822 IV voll. 8.°

(*e*) N. T. graece vol. I. pp. 676 seqq. Wittenbergae etc. 1803-1807 III voll. 8.°

(*f*) N. T. graece vol. I Prolegg. Halae Saxonum et Londini 1796-1806 II voll. 8°, et Berolini 1827 II voll. 8.°

(*g*) N. T. graece vol. I Prolegomm. Lipsiae 1830-1836 II voll. 4.°

(*h*) Esame della recente ediz. del N. T. gr. etc. Roma 1838-1839.

(*i*) Einleit. in die Schriften des N. T. I Th. §§. 22-60. 146-151.

(*l*) Oxonii 1776-1780 II voll. f.°

(*m*) Parmae 1798 4.°

(*n*) Oxonii 1707 f.°

(*o*) Amstelaedami 1751 - 1752 II voll. f.°

(*p*) Oxonii 1798-1827 V voll. f.°

(*q*) Remis 1743-1749 VI voll. f.°

(*r*) Biblia polyglotta. Londini 1657 VI voll. f.°

ta sunt, ratio est habenda, plenam eorum omnium, quacumque lingua ex vetustioribus ea sint, notitiam tibi suggeret, post Iacobum Lelong et Christianum Fridericum Boernerum, Andreas Gottlieb Masch (*a*).

246. Quam gravibus difficultatibus huius regulae usus obnoxius sit, quamque de facili in errorem abripi eum contingat, qui ἀκριτως in variarum lectionum selectione sese gerit, cuique satis compertum est. Cautione itaque est opus; quae quidem qualis ac quanta esse debeat, leges apud illos ipsos auctores, quos nominavimus (244), eamqne adhibeas necesse est vel in ipsis eorumdem horum auctorum libris legendis. Ceterae quoque regulae artis hermeneuticae, quas damus, in subsidium sunt vocandae. Unum insuper monemus, rationem hac in re sedulo habendam esse operum, quae veteres patres nobis reliquerunt, in quibus passim plurima ex scripturis deprompta reperiuntur. Quum enim vix aliquot bibliorum codices supersint ante sextum saeculum conscripti, nullus autem ante extremum quartum, manifestum fit patrum illorum scripta codicibus bibliorum esse vetustiora. Quare ad vetustatem diversarum in bibliis lectionum diiudicandam certius nobis argumentum scripta patrum quam codices illi suppeditant. Vetustas porro lectionum momentum habet praegrande, etsi non usque aut omnino ineluctabile, ad earum γνησιοτητα dignoscendam. Qua quidem in re versandum profecto memoria est, quod de sententiis seu capitibus scripturarum apud patres inventis superius monuimus (113), non tamen idem suspicari oportet de iis, quae vel plures patres vel unus pluries iisdem prorsus verbis ex scripturis allegant; sed neque de illis patrum operibus, quibus scripturas enarrant, quod quum facerent, bibliorum volumen ob oculos habuisse atque ex eo exscripsisse non est cur dubitemus. Sed iam exemplis ea, quae dicta sunt, illustremus.

247. Quatuor urbes Levitarum in regione Rubenitarum sitae, quae memorantur in libro Iosuae (*b*), absunt a pluribus codicibus hebraicis, masora enim illas praeterit; eas tamen nominant interpretes fere omnes. Utris igitur credendum? Summa omnium urbium Levitarum, quae in Iosue dicuntur fuisse quadraginta octo (*c*), interpretibus credere nos

---

(*a*) Bibliotheca sacra. Halae 1778-1790.
(*b*) Ios. XXI, 36.
(*c*) Ib. 39.

cogit. At num ideo corruptum dicemus hebraicum *ἀρχέτυπον*? Nullo pacto, siquidem codices hebraici ferme centum et octoginta illas quatuor urbes habent, quorum codicum non pauci vetustissimi sunt, plures vero optimae notae. In psalmo XV secundum interpretationes graecam et vulgatam legimus: *Dixi Domino*: *Deus meus est tu (a)*, in hebraicis autem voluminibus: *Dixisti* אָמַרְתְּ *Domino*, nullo fese sensu; at viginti quinque codices hebraici favent interpreti vulgato, atque suspectam faciunt scripturam reliquorum codicum hebraicorum, habent enim אָמַרְתִּי. Verba psalmi CIX: *genui te (b)*, in codicibus hebraicis sunt: *iuventutis tuae* יַלְדֻתֶךָ; attamen ferme centum ex his inserta litera י habent יַלְדֻתֶיךָ, quod, si solas literas consonas attendas, idem valet ac *genui te*. Proavus Christi a Matthaeo vocatur *Mathan* (*c*) a Luca *Mathat* (*d*); quae nominum similitudo in caussa fuit, cur Augustino videretur non esse *Mathan* et *Mathat* nisi unus atque idem homo (*e*), idque confirmant Gregorius Nazianzenus *(f)*, Epiphanius (*g*), Iosephus auctor Hypomnestici (*h*), et codices ferme viginti, qui omnes in Luca habent *Mathan*. In vaticinio Iacobi codex vaticanus habet *ὑπὲρ οἶνου* (*i*), at vetustiores patres omnes graeci quidem habent *ἀπὸ οἴνου*, ut codex alexandrinus, omnes autem latini *a vino*; quare dubitari nequit praeferendam esse scripturam codicis alexandrini. In psalmo XXIII, ubi legimus: *animam suam* (*l*), hebraei codices habent נפשו, at in eorum margine adscriptum est: נפשי ק׳, id est, *lege animam meam*, multique codices habent reapse נַפְשִׁי pro נַפְשׁוֹ, ac maxima codicum pars exhibet literam שׁ cum chirek manente litera ו; verum masora, quae silet de illo keri, et codices non pauci, in quibus est נַפְשׁוֹ cum cholem, suffragantur interpretibus, qui omnes ad unum vocem hanc verterunt: *animam suam*, quod et orationis contextus exigit.

(*a*) Ps. XV, 2.
(*b*) Ib. CIX, 3.
(*c*) Matth. I, 15.
(*d*) Luc. III, 23.
(*e*) In Deut. q. 46.
(*f*) De genealog. Christi carm. XXXVIII.
(*g*) Haer. LI. §. 11.
(*h*) Hypomnest. c. 1 apud *Fabricium* Cod. pseudepigr. V. T.
(*i*) Genes XLIX, 12.
(*l*) Ps. XXIII, 4.

REGULA IX

Ratio loquendi.

248. Augustinus haec praecipit: *Facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum scripturarum, in ea, quae obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum est (a).* Alio loco, quod *locutio divinarum scripturarum secundum cuiusque linguae proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quaedam propria genera locutionum, quae, cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda (b)*; quae Augustini verba in Gratiani Decretum recepta sunt (c). Et re quidem vera, inquit Iahn, *scriptores sacri, non minus ac profani, lingua hominum suae aetatis scribebant, et ab hominibus coaevis intelligi volebant, quare non poterant non observare leges loquendi eo tempore vigentes, et vocibus eas notiones nectere debebant, quas usus illius aetatis et gentis probaverat. Id valet etiam de notionibus tropicis et de allegoriis, saltem eatenus, ut, si tropi forte novi erant et usu nondum triti, ex natura rerum, a quibus ducebantur, et analogia sine difficultate intelligi possent. Hinc partes interpretis sunt illum notionum cum verbis nexum et mutuum earum in oratione respectum usu illius aetatis et gentis probatum eruere (d).*

249. Maximi referre, ut regula ista uti, dextere tamen, norimus, in confesso apud omnes est; illud porro addimus, maius huic rei momentum eo accessisse, quo interpretes recentiores peius hac ipsa regula abutuntur, utpote qui *usum loquendi*, ut vocant, esse statuant PRIMUM *et* SUMMUM . . . . *hermeneuticae principium, a quo* OMNES *regulae interpretandi pendent (e)*; quod quam falso pronuntient, paulo infra examinabimus. Quaerendum igitur primum est, quibusnam rerum adiunctis loquendi usus definiatur. Qua in re vix aut omnino nil me-

(a) Doctr. christ. L. II. c. 9.
(b) De vera relig. c. 50.
(c) Dist. XXXVIII. c. Locutio.
(d) Enchir. §. 7.
(e) *Iahn* ib.

lius praestare possumus, quam si ea poferamus, quae ex Io. Augusto Ernestio (*a*) in suum Enchiridion derivavit Io. Iahn (*b*). Cur vero ea transcriberem ex hoc Iahni libello, qui Rationalistarum placitis male infectus iure ac merito in indicem librorum damnatorum est relatus, illud me movit, quod, quum infra refellenda mihi sit sententia illa, quam Iahn communem habet cum Rationalistis, de usu huius regulae ex ratione loquendi petitae ad biblia explicanda, opportunum videbatur et aequitati consonum ea, quae vere ac recte de usu illo dici queunt, ab eodem ipso Iahno mutuari.

§. I

Regula exponitur, atque illustratur.

250. Primo itaque usus loquendi determinatur *tempore; aliter enim verba quaepiam hoc, aliter insequenti tempore usurpantur. Sic . . . . . in libro ecclesiastis plures occurrunt novae vocum notiones, ut* חֵפֶץ *pro* RE *vel* NEGOTIO *Eccl. III,* 17; *V,* 7; *VIII,* 6, יִתְרוֹן *pro* LUCRO *et* EMOLUMENTO Eccl. I, 3; II, 13; III, 9; etc. . . . . *Inde in libris hebraicis, qui per XII secula scripti fuerunt, praegrandis nasceretur difficultas, nisi lingua ex rationibus aliunde notis perpaucis et levibus mutationibus obnoxia fuisset (c). Proderit tamen observasse, recentiores libros hebraicos propius ad dialectum aramaeam accedere*; qua de re expende ea, quae scripsit Gesenius (*d*). *Libri quidem novi foederis non longo temporis spatio conscripti sunt, observandum tamen est linguam graecam huius aetatis, etiam ex ea parte, qua in novo foedere pura est, iam non fuisse prorsus eandem, quam antiquiores graeci authores scribebant, sed plures habuisse novas voces, notiones, et phrases, partim peregrinas, partim philosophicas, et partim ex antiquioribus verbis compositas vel deri-*

(*a*) Institutio interpretis N. T. P. I. sect. 2. c. 1.

(*b*) Enchirid. §. 8.

(*c*) Conf. *Iahn* Introd. in LL. V. F. P. I. §. 75 et P. II. §. 12.

(*d*) Geschichte der hebräischen Sprache und Schrift §. 10.

vatas, ut παντοτε, ὑποποδιον, μεγιςτανες *...... etc.; persicas* ἀγγαρευειν, γαζα, μαγος, παραδεισος *etc.; latinas* κεντουριων, κοδραντης *...... etc.; aegyptiacas* σινδων, νομος *pro districtu regionis, etc.*, si tamen haec aegyptiaca sunt. Sic etiam nomen פֵּאָה, cui prima notio est *rei extremum*, seriore aetate, per se et absque alio vocabulo adiuncto, significabat *extremitatem faciei*, qua capilli et barba oriuntur (*a*), ac denique in lingua hierosolymitana *(b)* פאה נכרית vocata est *coma ficta (parrucca)*.

251. Determinatur secundo usus loquendi *regione et loco; non solum enim diversae sunt in diversis regionibus linguae, sed eadem quoque lingua pro diversitate regionum et locorum iam magis iam minus variat, et in diversas quoque abit dialectos, quae, non tantum in quibusdam minutiis literarum et flexionum, sed etiam in nonnullis vocibus, vocum notionibus, et loquendi formulis, discrepant*. Quod attinet ad dialectos linguae hebraicae, consulatur Gesenius (*c*), qui, an illae unquam fuerint, dubitat. *Dialecti linguae graecae alioquin notae sunt, sed omnes discrepant a graecitate bibliorum iudaizante, quae prorsus est singularis .... Commemorandi hoc loco quoque sunt cilicismi Pauli, quos iam Hieronynus ad Algasiam qu.* 10 *notavit.*

252. Tertio determinatur usus loquendi *religione, secta, et disciplina, cui nunquam desunt peculiares voces, vocum notiones, et phrases. Sic* מִנְחָה *generatim* DONUM, *in religione mosaica* FERTUM; חַטָּאת *generatim* PECCATUM, *at in ritualibus legibus Mosis* TRANSGRESSIO LEGIS VETANTIS EX IGNORANTIA AUT INADVERTENTIA *commissa, et etiam* SACRIFICIUM PRO TALI DELICTO .... *Notissimum est* עָשָׂה FACERE, *sed, ubi de cultu Dei sermo est,* SACRIFICARE, *ut Lev. IX,* 16*; Num. XXVIII,* 24 .... *Plures* Pharisaeorum *sectae prorsus peculiares iurandi formulae attinguntur Matth. XXIII,* 16-22. Inde quoque nonnullae voces et loquutiones translatae sunt; exempli gratia *sabbatum* pro hebdomade, *sacrificium Deo spiritus con-*

(*a*) Ier. IX, 26; XXV, 23; XLIX, 32.

(*b*) Schabbath c. 6. §. 5. V. infer. L. II. quaest. VII. n.° 9.

(*c*) Op. cit. §. 15.

tribulatus נִשְׁבָּרָה *fractus*, id est, poenitens *(a)*, quae illustrabis, si ea conferas cum Ex. XII, 46.

253. Quarto usus loquendi determinatur *reipublicae civilis et ecclesiasticae forma, e qua, non solum diversa munerum et praefectorum nomina, sed non paucae quoque phrases et tropi desumuntur. Sic antiquissima procerum Hebraeorum nomina* נְשִׂיאִים, רָאשֵׁי אָבוֹת, שֹׁטְרִים, רָאשֵׁי שְׁבָטִים, *et sub regibus* הַמַּזְכִּיר, נָגִיד - הַבַּיִת *etc.*; *ac in novo foedere* ἀρχιερεῖς, πρεσβύτεροι, γραμματεῖς; *a quibus omnibus longe distant nomina praefectorum chaldaeorum et persarum atque magistratuum romanorum, quae occurrunt in libris veteris foederis recentioribus et in novo foedere .... Ita porro nomina* הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל *vel* הַכֹּהֵן. כֹּהֲנִים, *etc.*; *unde phrasis* מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים *Exod. XIX*, 6, *id est*, regnum deo sacrum, *ut mox explicatur per adiectum* גּוֹי קָדוֹשׁ gens sancta, *id est, Deo consecrata, cui geminum est* βασίλειον ἱεράτευμα *I Petri II*, 9.

254. Quinto determinatur usus loquendi *vita communi, ex qua explicandae sunt hyperbolae communi sermone tritae et effata, quae universim enunciant, quod cum restrictione de eo, quod perfrequens est, intelligere oportet. Usurpantur autem passim etiam in libris voces, notiones, et phrases*, nec non tropicae loquutiones, *ex communi vita desumptae, ut ... II Sam. III*, 8 כֶּלֶב canis *pro homine abiecto, et 1 Sam. XXIV*, 15, *II Sam. IX*, 8, *XVI*, 9 כֶּלֶב מֵת canis mortuus *pro homine abiecto inpotente (b) .... Ex hoc fonte etiam fluxit consueta Orientalibus compellatio honoris* זָקֵן senex, *quia aetate provecti in vita communi non exiguum honoris gradum obtinebant.* Hinc quoque appellationes *patris, fratris, filii*, etiam inter illos usurpatae, quibus nulla propinquitas esset.

255. Sexto determinatur usus loquendi *moribus*, *ritibus*, *consuetudinibus, et reliquis rebus historicis, quas nomine antiquita-*

(*a*) Ps. L, 19.

(*b*) Conf. *Iahn* Bibl. Archäol. I Th. I B. §. 60. p. 294-297 *vel.* lat. Arch. bibl. §. 51. p. 99-101.

tum complectimur. Hinc verba, quae gestus venerabundos sonant, quod attinet ad cultum religiosum, ambigua nonnumquam sunt, quum Orientalium mos sit gestibus illis non minus homines quam Deum venerari. *Messiae*, id est, *uncti*, appellatione, eum significari, qui simul et rex et sacerdos futurus esset, intelliges ex hoc, quod nemo alius apud Israelitas ungeretur praeter reges et sacerdotes. In oraculo Isaiae (*a*) verbum femininum קָרָאת *vocabit* neminem impediet, qui norit nomina filiis a matribus imponi plerumque consuevisse.

256. Septimo, *his Ernestii observationibus addendum est usum loquendi etiam aliquatenus determinari scriptore; nam, etsi author lingua aetatis suae utitur, eam tamen nonnihil variat, prout plus minusve excultus, et eruditus, atque singulari forte ingenio et indole praeditus est . . . . Qui scribunt stilo eleganti, sublimi, acuto, sententioso, ut plerique prophetae et poetae hebraei, voces non raro et notiones usurpant rariores, quas stilus planus non fert.* Recole ea, quae alibi praecepimus circa scriptorem ipsum consideranda (140 seqq.).

257. Octavo, huc quoque spectat distinctio inter rationem loquendi, quae in historia, legibus, atque doctrina, usurpatur, atque inter eam, quae poetarum ac prophetarum propria est. De hac altera accipe ea, quae summatim scripsit Gesenius: *Dictio haec poetica, cui externa quoque nota est, non ex syllabarum quantitate, sed ex rhythmica periodorum dimensione earumque parallelismo, habet praeterea, quod ad dicendi modos attinet, quod ad formas significationesque verborum, quod ad grammaticas constructiones etc., varias proprietatum species, in quas non semper consideratio neque satis intenta est. Plures harum proprietatum in ceteris dialectis, atque in syriaca praesertim, commune quid sunt; cui rei illud belle congruit, quod etiam in recentiore argenteae aetatis sermone aramaicis veluti coloribus infecto tale aliquid singulare deprehendatur. Prophetis, quantum ad rhythmum et ad loquendi rationem, medius locus est poesim inter prorsamque orationem; attamen, qui aurea aetate fuerunt,*

(*a*) Is. VII, 14

poetis ferme assident, seriores tantummodo, puta, Ieremias et Ezechiel, ad orationem prorsam accedunt (a). Huius rei exempla, si cupis, pauca haec accipe ex iis, quae protulit ipse Gesenius. Quod ad vocabula poeseos propria, habes אֱנוֹשׁ *homo* pro אָדָם, אָתָה *venire* pro בּוֹא, חִוָּה *indicavit* pro הִגִּיד, מִלָּה *verbum* pro דָּבָר, etc. Quod ad vocabulorum notiones, habes adiectiva tamquam substantiva adhibita ad uuum aliquid certum ac determinatum significaudnm, ut sunt אָבִיר *fortis*, id est, Deus, אַבִּיר *fortis*, id est, taurus, item nomina propria virorum pro populis, qui ex viris illis orti snut, nt sunt *Iacob* pro Israelitis, *Esau* pro Idumaeis, itemque *Ioseph* pro regno Israelis. Quod ad formas vocabulorum, habetur אֱלוֹהַּ pro אֱלֹהִים *Deus*, הָוָה pro הָיָה *fuit*, עֲמָמִים pro עַמִּים *populi*, שָׁנוֹת pro שָׁנִים *anni*, יָמוֹת pro יָמִים *dies*, יַהֲלֹךְ pro יֵלֵךְ *ibit*, etc. Quod ad formas grammaticas et syntaxim, reperies literas paragogicas ה et ו adiunctas nominibus statu absoluto, י additum nominibns statu constructo, suffixa מוֹ pro הֶם et ־ָם, ־ֵיהוּ et וֹהִי pro ־ָיו, ־ֵכִי pro ־ֵךְ, pluralia terminata ־ִין et ־ֵי pro ־ִים; item coniugationes pihel et hiphil significatione intransitiva, participia pro verbo finito saepius nsurpata, frequentiores auomalias numeri et generis, ellipses, etc.

258. Quid autem facto opus sit, nt ratio haec loquendi sacrorum scriptorum propria nobis plene innotescat, facile est pervidere. Conandnm quippe est, ut linguarum, quibus illi loquebantur, et scribebant, notitiam habeamus, non qualemcumque, sed plenissimam, illasque tales prorsus, quoad facere possumns, teneamns, quales erant, quum adhuc vigerent, iisque homines loquerentur. At, quales tunc fuerint, testes necessarii sunt, qui nos doceant. Etenim, ut scribit Iahn, *usus loquendi . . . . facto historico innititur ; quaeritur enim, quas vocibus notiones et quem phrasibus sensum iungere soliti sint illi, qui hac lingua vernacula utebantur (b).* Testes autem eiusmodi alii directi sunt alii vero indirecti. Testes directi solum ii sunt, *qui linguam hanc vernaculam loquebantur, aut eam saltem ab his penitus didicerant*, quoniam hi solummodo *notionum*

(a) Op. cit. §. 9, 2.

(b) Enchir. §. 13.

cum verbis et sensus cum phrasibus nexum certo cognitum .... habebant; quare nulli iam de usu hoc loquendi testes directi supersunt praeter eos, *qui de linguis mortuis sunt antiqui interpretes, scholiastae, glossographi, aliique auctores, qui illo aevo, quo lingua erat vernacula, verba et phrases interpretati sunt, aut vim earum exposuerunt. Testibus huius generis, qui dicuntur directi, nititur hermeneutica specialis novi foederis.* Testes autem indirecti sunt *illi, qui, non quidem ipsam hanc linguam, dialectum tamen ipsi affinem loquebantur vernaculam, aut ab his plene didicerant, vel saltem aetate a vita linguae non longiori temporis intervallo remota vivebant, qua de usu loquendi plura adhucdum nota erant. His testibus utitur hermeneutica specialis veteris foederis.* Ex his facile intelliges, utrum veteres bibliorum interpretes, quos constat ipsa ἀρχετυπα vertisse, inter testes directos an inter indirectos recipiendi sint. His quoque perspicimus, qua ratione etiam inter vetustiores patres esse possint, quos de usu loquendi, qui sacrorum scriptorum fuit, testes habeamus sive directos sive indirectos. *Sunt autem de usu loquendi librorum utriusque foederis et alii testes directi, ipsi scilicet scriptores sacri, qui passim vim verborum suorum .... exponunt (a)* tot ferme modis, quot proximae hae regulae sunt, quas ad scripturas explicandas ex scripturis ipsis eruimus; ideoque non utile tantum ac necessarium, sed nulli secundum est consilium, quod ad hanc loquendi rationem, quae auctorum sacrorum est, penitus tenendam Augustinus suggessit (138. 248), ut in scripturas sacras legendas sedulo incumbamus (*b*). Sed et illi hac in re magno nobis subsidio erunt, tum qui scripturas, quod ad linguam attinet, praeclarius enarrarunt, alias iam commemorati (122), tum qui ipsas scripturarum linguas grammaticis operibus aut lexicis plenius illustrarunt, ut sunt Guil. Gesenii Grammatica hebraica (*c*) et *Thesaurus philologicus criticus linguae hebraeae et chaldaeae veteris testamenti (d)*, Georg. Henrici Augusti Ewaldi Grammatica hebraica (*e*), Christiani Noldii

(*a*) Ib.

(*b*) Doctr. chr. L. II. c. 9.

(*c*) Ausführliches grammatisch-kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache. Leipzig 1817 8.°

(*d*) III voll. 5 fascicul. Lipsiae 1829-1842 4° nondum absolutus.

(*e*) Kritische Grammatik der hebr. Sprache. Leipzig 1827 8.°

Concordantiae alias (200) a nobis commemoratae, Georg. Benedicti Wineri Grammatica novi testamenti (*a*), Christiani Abrahami Wahlii *Clavis novi testamenti philologica (b)*, Io. Friderici Schleusneri *Lexicon novi testamenti (c)*, et alia, quae superius (128) suggessimus; quibus tamen omnibus uti quidem caute ac iuvari poterimus, non autem opertis oculis quascumque eorum auctorum sententias amplecti.

259. Sed quaedam quod ad huius regulae usum moneamus, oportet. Ac primum quidem hanc loquendi rationem attendamus, necesse est, quum alias ex regulis proximis adhibemus, praesertim IV, V, VI, VII, et VIII. Maxime vero haec attentio conducet, ut ellipses (163) dignoscere et supplere possimus, tropos (218), emphases (228), aliaque huiusmodi, recte intelligere atque interpretari; etenim, inquit Iahn, *agnitio et interpretatio troporum ab usu loquendi tropico, qui cuilibet nationi, instituto, aetati etc., proprius est, pendet; . . . nationes enim diversae pro sua sentiendi ratione nonnunquam fundamentum translationis agnoverunt*, *quod nobis a veritate alienum esse videtur (d)*.

260. Sedulo autem memineris eius, quod ex iis, quae diximus (250-257), iam apparet, loquendi rationem subinde variam videri atque diversam, idque non propter adiuncta solummodo temporum, rerum, ac personarum, contingere, sed nonnumquam ab ipso argumento ipsoque orationis contextu illud flagitari, ut notiones ac sensus secus accipiamus, quam ratio loquendi videtur postulare; quod quidem si non ideo contingit, quia scriptor a communi ratione loquendi declinaverit, dicere profecto oportet aliam quoque obtinuisse rationem loquendi ea, quae in bibliis veluti communis ac vulgata comparet. Plurale nomen אֲדֹנִים statu constructo et cum pronominibus suffixis constanter aliquem singularem significat, at in versiculo secundo capitis undevicesimi geneseos, sic flagitante orationis contextu, plures designat. Singulare autem nomen אָדוֹן cum pronomine suffixo numquam adhibent scriptores bibliorum nisi ad hominem significan-

(*a*) Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms. Leipzig 1822 et 1825 8.°

(*b*) Lipsiae 1822 8.°

(*c*) Ed 4ª. Lipsiae 1819.

(*d*) Enchirid. §§. 36. 38.

dum ; at in versiculo primo psalmi CX ipsa materia docet alium quam simplicem hominem eo vocabulo appellari. Parentes solummodo gignere dicuntur, idque etiam in versiculo decimo quinto capitis XLVI geneseos, neque enim, ut quidam putant, huic verbi istius notioni adversantur ea, quae praecedunt ; at in versiculo octavo capitis I Matthaei de abavo verbum illud dicitur (*a*).

261. Quibus praedictis atque praecognitis hanc legem statuimus: In bibliis, nisi argumentum aut orationis contextus obstet, eam verborum notionem eumque loquutionum sensum esse accipiendum, quem loquendi mos, qualem temporum, rerum, ac personarum adiuncta fuisse docent, accipere suadet. Voces מִבֵּין רַגְלָיו *de inter pedes eius* longe aliud sonare, quam מֵרַגְלָיו *de pedibus eius*, ratio loquendi demonstrat, eique adversatur dicere legislatorem, qui penes aliquam gentem est, inter gentis huius pedes esse ; quare illa geneseos : לֹא יָסוּר . . . . מְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו (*b*), significare nequeunt, ducem seu legislatorem non recessurum *de pedibus* Iudae, sed significant, non defecturum ducem oriundum *de inter pedes* Iudae, id est, qui sit ex stirpe Iudae, praepositione illa מִן *de* originem indicante, non autem terminum, a quo recedendum sit. Iam vero aeque repugnat rationi loquendi uni eidemque praepositioni intra unum eumdemque sermonis contextum inque duobus unius eiusdemque periodi membris ab uno eodemque verbo dependentibus diversas inesse significationes; ergo, si in illis verbis geneseos praepositio *de* indicat originem, originem quoque indicet necesse est in aliis, quae proxime praecedunt, atque ab eodem verbo dependent, id est, *sceptrum* de *Iuda*. Christ. Gottlob Storr (*c*), ut refert Rosenmüllerus senior (*d*), agens de genealogia Christi a Matthaeo descripta contendit, *genealogiam hanc in familia Iesu repertam, et a propinquo Iesu ἀπιστῳ quodam usque ad Iesum continuatam, a Matthaeo praemissam esse evangelio* ; . . . *nam auctori genealogiae ἀπιστῳ Iesus non erat* ὁ Χριστος *v.* 17, *sed* ὁ λεγομενος Χριστος *v.* 16. Attamen notum Storrio fuisse arbitror

(*a*) I Paral. III, 11. 12 coll. II Paral. XXV, 25 et XXVI, 1.

(*b*) Gen. XLIX, 10.

(*c*) Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Ioannis. p. 236.

(*d*) Schol. in Matth. I, 1.

morem hunc esse loquendi scriptoribus novi testamenti ac praesertim Matthaeo, qnum alicuius, non modo agnomen, sed vel ipsnm nomen edicunt, idque sive de personis loquantur sive de rebus; ideoque, haec loqnendi ratio communissima quum sit, eam potius sequi debemus, quam alteram, quae foret secundum Storrii sententiam, et cuius vix unum exemplum scriptores bibliorum suppeditant (*a*).

§. II

An ratio loquendi suprema sit interpretationis regula.

262. Nunc autem disputemus, quonam loco habenda sit quorumdam ex recentioribus interpretibus sententia decernentium, *usum loquendi primorum lectorum et ipsius authoris primum et summum esse hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent (b).* Si haec, ut sonant, accipiantur, quid inde incommodi consequens fiat in explanandis scripturis sanctis, sensu ipso atque experimento comperimus. Etenim grammaticis, non vero ecclesiae, supremum ius ex illo stabit divina oracula interpretandi. Hoc fonte derivata illa interpretamentorum colluvies, quae recentes Protestantium commentarios, nescio, an impietatis magis aut ἀκρισίας labe inficere solet. Hinc depravata prophetarum oracula et in alium sensum eo, quo res futuras portendebant, male detorta. Hinc seriori aetati vetustissimae bibliorum partes assignatae, vel quod aramaïcam loquendi rationem redoleant, ut contigit historiae Ruthae, in qua tamen, quae aramaica esse feruntur, ea archaica verius dixeris cum Rosenmüllero (*c*), vel quod illarum dictio vix quidquam discrepet a dictione aliarum, quae pluribus post saeculis scriptae sunt, ut pentateucho ipsi contigit (*d*), tametsi consonantia haec talis haudquaquam sit, qualem dicunt, neque tamen, cur minorem eam esse oportuerit, caussam ullam divinaveris ex illis, ob quas linguae solent immutari. Qnum vero, si caussa indicta principium illud damnare-

(*a*) II Thess. II, 4.

(*b*) *Iahn* Enchirid. §. 7.

(*c*) Prooem. in Ruth. §. II.

(*d*) *Gesen.* Gesch. der hebr. Sprache §. 8.

mus, timendum esset, ne forte perfugium aliquod exquirere videremur linguarum inscitiae, quam nobis exprobrant Protestantes, quod tandem quid aliud foret, quam adversariis manus victas dare? cautius maturiusque res tota agenda est.

263. Principium istud, si per se ipsum illud spectemus et ex ea parte, quatenus in quorumvis librorum interpretatione locus illi est, rem obiter considerantibus verissimum esse videri posset. Quid enim aliud est, dum libros interpretamur, rationem loquendi sequi, nisi verba et loquutiones in eam significationem accipere, qua de inter eos conveniebat, quibus librorum illorum lingua propria fuit? Num vero aliter voces ac loquutiones sunt accipiendae? Itaque, ut rem penitus introspiciamus, animadvertendum primo est, quaestionem hanc minime pertinere ad eas sive voces sive loquutiones, quae passim obviae sunt, quaeque vel ex certa atque omnino comperta ratione loquendi vel ex aliis adiunctis quibuscumque definitum habent sensum citra omnem dubitationem; quaevis enim de rudiore popello anicula nullis regulis hermeneuticis adhibitis apprime intelligit, quid sit *vivere*, *edere*, *ambulare*, *domos exstruere*, *pecunias solvere*, neque profecto de his aut similibus grandem adeo legem ferre opus est, qualem principium illud praefert. Quaeritur itaque de illis vocibus et loquutionibus, de quarum notione ac sensu quamcumque demum ob caussam aliquo modo dubitare est, num in earum interpretatione principium illud obtineat. Hic vero claritatis gratia quaedam distinguere necesse est.

264. Alia quippe est illa ars hermeneutica, quae circa voces loquutionesque seorsum acceptas versatur, alia vero, quae circa eas simul iunctas, seu circa totam ipsam orationem, ac circa integros libros; quod si utramque velis non esse nisi unam, illud sane negare nequeas, interpretationem vocum et loquutionum esse solummodo partem quamdam huius artis, quae pars necessaria plane est, non tamen sufficit, ad orationem totam aut libros integros explanandos aut etiam intelligendos. Quare principium illud ita, ut fit, enuntiatum, veluti si arti hermeneuticae universae statutum esset, falsum esse dicendum est, quum regulae plures, quae in integris sermonibus aut libris explicandis usurpantur, praeterquam natura ipsa sua nequeant ex ratione loquendi pendere, adeo etiam nihil ex ea pendent re ipsa, ut nonnumquam e contrario praeponderent, efficiantque, ut quaedam secus sint intelligenda,

ac loqnendi ratio postulet, idqne ipsis fatentibus illius sententiae patronis (*a*), nec modo in libris, qui vetnstioribus lingnis hodieqne obsoletis conscripti fuerunt, sed vel in ipsis, qui vigentibns hodie ac vulgaribus linguis conscribuntur. Num enim ex ratione loqnendi pendere dixeris ingenium atque indolem aliaqne scriptoris adinncta? num consilium, qno ducebatur, ant occasionem, qna ille scribebat? nnm ipsam materiem, quam pertractat? num notitiam rerum gestarum aut unius alteriusve scientiae, quibus ignoratis non raro neqne ea, quae scripta snnt, intelligere quis potest, quantumvis calleat linguae sermonem, qna scriptor nsus est? At nonne saepe accidit, ut horum qnodlibet in caussa sit, cnr in lingnas novae dicendi formae inducantur? Num, etiamsi id fiat, dices omnia haec ex loqnendi ratione pendere? Qnem denique lateat, qnam commune scribentinm peccatnm sit ἀκυρολογια impropriumqne dicendi genus? quae vero huins generis suut, ea si quis secundum communem loqnendi modnm intelligat, manifestnm est eum mirifice deceptum iri neque scriptoris mentem esse assequuturum.

265. Quod si qnaeras, qnid de illo principio sentiendum sit, siquidem ex ea solum parte illud inspiciamns, quatenus ars hermeneutica versatnr circa voces singulas singulasqne loquutiones exponendas, eas seorsnm ab integro sermone ac per se ipsas spectando, respondeo, si de aliis vocibus ac loquntionibus agatnr, qnam de omnino obviis atque usn tritis, de quibus quid sentire oporteat, iam diximus (263), nnmquam interpretem ea ratione voces seu loqnntiones spectare vel earum sensum definire debere. Ipse Iahn acer principii illius adsertor haec praecipit: *Contextus orationis . . . . ubique, etsi notio vocum et sensus propositionum ex usu loquendi notus et clarus esse videatur, sedulo conferendus est; persaepe enim notio aut sensus pro ratione contextus diversus est, aut saltem aliqua ratione variat* (*b*). Quare neqne ex hoc capite potest principium illud veluti snmmum haberi aut tale, ex qno reliqna omnia pendeant.

266. Sed de ipsa bibliornm interpretatione iam dicamns; plura enim adhuc snnt, quae evincnnt, in ea nnllo modo principinm illud tamquam summum haberi posse. Siquidem in primis christiano inter-

---

(*a*) *Iahn* Enchirid. §§. 8, VII. 21. 25 (*b*) Ib. §. 21.

preti, ubi de doctrina mysteriorum deque moribus agitur, summa artis hermeneuticae regula est ecclesiae auctoritas. Huic quippe a Spiritu sancto divina oracula concredita sunt, tributumque ius ea interpretandi, non vero singulis Christianis opinione quam saepissime, utpote hominibus, inter se discrepantibus. At enim quid, si ecclesia scripturas interpretetur secus, ac *certa* atque *indubia* loquendi ratio postulat? Atqui istud ipsum non magis fieri posse, quam ut ecclesia aliquid pronuntiet absonum a christianis doctrinis, praefracte contendo. Quid enim est aliud ea ratione scripturas interpretari, nisi eis sensum affingere, quem neque habent, neque habere possunt? Omnesque ad unum Protestantes audacter provocare minime vereor, ut unum scripturarum verbum proferant, quod ecclesia contra, ac ferret *certa* atque *indubia* loquendi ratio, fuerit interpretata. Caveant porro ne, si id exsequi conentur, ipsimet illud peccent in his, quae dicimus, intelligendis, non bene assequuti nostram loquendi rationem, seu quid sonent verba haec: *Interpretatio ab ecclesia habita.* Quod si cavebunt, parcent profecto usitatis naeniis miseras aures obtundere, quibus quasdam nonnullorum interpretum aut etiam patrum commentationes nobis oggerere non desistunt. Sed et illud memoriae nostrae penitus insideat, oportet, illius rationis loquendi, quae scriptoribus bibliorum fuit, neminem veriorem iudicem esse posse, quam ecclesiam, utpote cui auctor ipse scripturarum sacrarum iudicium de harum sensu demandaverit, suaque ope praesto semper sit, ne in eo ferendo a veritate vel minimum aberret. Quamobrem, si quando ecclesia scripturas interpretari aliter, ac ferat ipsa loquendi ratio, cuiquam videatur, certo constabit aliam, quam is existimet, vim vocum esse ac loquutionum, obtinebitque illud Augustini: *Non hoc habebat divina scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia (a).*

267. Docent praeterea vel ipsi adversarii nostri rationem loquendi, quae scriptoribus bibliorum propria fuit, diversis ac disparatis rerum, locorum, temporum, ac personarum adiunctis definiri (*b*), uni eidemque aetati, imo uni eidemque scriptori pro diverso ipsius

(*a*) De Genesi ad liter. L. I. c. 19. §. 38.

(*b*) *Iahn* op. cit. §. 8.

consilio diversaque animi ac mentis dispositione, non semper eamdem fuisse (*a*). Ut itaque nobis de loquendi ratione illorum scriptorum propria certo constet, haec quoque omnia comperta sint, oportet. Quonam igitur pacto affirmare possumus haec omnia, quae procul dubio artis hermeneuticae in scripturarum interpretatione adminicula sunt et subsidia, ex ratione loquendi pendere, quum e contrario ex his potius, quaenam fuerit loquendi ratio, coniectare oporteat?

268. Porro, quum aiunt principium illud summum esse in interpretatione scripturarum, ponunt, interpreti ipsi rationem loquendi plenissime esse perspectam. Verum perspectam rationem loquendi plene is habet, non qui solummodo, quid linguae proprium sit, novit, sed qui praeterea, quid illius nequaquam sit proprium, certo decernere potest. Ecquis autem ita plene vetustiores linguas calleat, orientalium praesertim populorum, ut *certo* valeat diiudicare, quidnam illarum proprium *minime* fuerit? Nonne vel in hodiernis linguis, quae vigent, quibusque homines loquuntur, etiam ii, qui longiora studia illis impenderunt, quamquam cultissimo earum sermone utantur, non raro tamen, si perconteris, an aliquid minus ipsorum linguae sit proprium, certo respondere, saltem stantes in uno pede, non audent? Ecquis igitur illud audeat, quum quid simile de vetere aliqua lingua rogatur? potissimum si ita, ut hebraea aut chaldaea, a nostris linguis ea abhorreat? si aeque pauca eius monumenta supersint, quae totas linguae opes nequeant continere? Quod quam vere dicamus, argumento sunt vel ipsae notiones vocum ipsique loquutionum sensus, qui in dies vel illustrantur, vel etiam adinveniuntur ab interpretibus, et quorum, etsi multos minus probabiles aut non omnino indubios, non paucos tamen peropportunos perque appositos videri fatendum est.

269. At enim, inquies, defectui monumentorum hebraicorum abunde provisum est usu dialectorum, ut vocant, affinium ac linguae hebraicae cognatarum; quae enim his est loquendi ratio, eam prodit, quae olim hebraicae fuit. *Nam dialecti cognatae, aeque ac hebraica, iam antiquissimis seculis erant expolitae; quae autem*

(*a*) Ib. n.° VII.

ad tantum perfectionis gradum evectae sunt linguae, ipsa hac sua perfectione fixae sunt, ut mutationes, nisi leves et naturam seu interiora nequaquam attingentes, subire nequeant. Ita Iahn (*a*). Non equidem negaverim magnam ex huiusmodi dialectis utilitatem bibliorum interpretem esse percepturum, quin hanc ipsam diserte iam defendi (125). Verum, an eousque haec pertingat, quo nonnulli eam trudere nituntur, negandum arbitror. Vel enim de dialectis adhuc vigentibus sermo est, vel de dialectorum monumentis, quae supersunt.

. 270. Si primum, velim consideres aramaicam dialectum iamdiu interiisse, neque enim nonnullorum in Asia oppidulorum, ubi aliquid ex ea hodie viget, habenda ratio est (*b*), ac solam arabicam nunc vigere. Hanc vero quibus momentis pervincas talem nunc esse, qualis fuit obtinente adhuc in Iudaea sermone hebraico? Arabes huius aetatis haudquaquam profecto loquuntur linguam corani. An vero hanc saltem corani linguam eamdem credas atque illam, qua olim, puta, quum soluta est captivitas babylonica, Arabes loquebantur? Ast, animadvertas, velim, siquidem lingua corani ita immutata est duodecim hisce postremis saeculis, quae ab editione corani effluxerunt, num duodecim saeculis prioribus, quot ferme fluxerant a soluta captivitate babylonica ad coranum editum, nulli omnino, imo non magnae immutationi, obnoxiam eam fuisse putabimus? Ipse Iahn, qui de hisce dialectis negat esse *verendum, . . . ne multum mutatae fuerint, et longe alia nobis offerant, quam quae olim locum habuerunt (c)*, docet tamen, ut paulo antea vidimus, illarum solum linguarum proprium esse, ut immutatae permaneant, quae *ipsa . . . sua perfectione fixae sunt (d).* At quis Iahno dederit, quove iure ipse sibi sumeret, aetate Cyri linguam arabicam *ipsa sua perfectione fixam* iam fuisse, quum neque unum monumentum supersit (*e*), quo eam vel in usu iam fuisse probari certo queat? quamvis non sit, cur de hoc postremo dubitemus. Parum porro in hac quaestione conficere est ex poematibus aliquot arabicis, quae, etsi corano vetu-

---

(*a*) Introd. in LL. V. F. P. I. §. 75.

(*b*) V. *Gesen.* Geschichte der hebr. Sprache §. 4, 3.

(*c*) L. c.

(*d*) L. c.

(*e*) V. *Gesen.* l. c.

stiora sint, eadem tamen ac illud lingua conscripta sunt, quandoquidem exigua omnino est illorum prae corano vetustas (a). Iam vero quis neget linguam ipsam corani atque illorum poematum iam discrepare quam maxime ab hebraica, qualem eam nobis biblia exhibent, neque modo quod ad formas grammaticas, quae praecipua discrepantia est linguarum affinium, verum quod ad notiones vocum et sensus loquutionum, verbo, quod ad ipsam loquendi rationem? Hanc autem in ipsis bibliorum partibus recentioribus non parum a vetustioribus discrepantem nosmet deprehendimus, quamvis immutandae Hebraeorum linguae neque tot exstiterint caussae, quot arabicae immutandae exstiterunt, neque tantum temporis spatium fuerit, quum post scriptam a Moyse genesim vix undecim saeculis hebraica lingua adhuc viguerit. Quo igitur iure, quicumque Arabibus sunt modi loquendi, eos Hebraeis veteribus affingamus?

271. Quod si de dialectorum monumentis loquaris, non magis proficies. Dialecti quippe arabicae monumenta sexto ecclesiae saeculo priora non habes; neque enim, ut in ea considerationem intendamus, merentur quaedam veluti frustula dialecti huius, si quae sunt, lapidibus aut metallis insculpta, a quibus nemo magnam opem exspectabit ad vetustam Arabum linguam ediscendam. Dialecti quidem aramaicae praeter pauca illa, quae in bibliis servata sunt (124), quaeque huic quaestioni definiendae nullo modo satis esse possunt, pleniora alia monumenta habemus, atque arabicis totidem ferme saeculis vetustiora, quot hebraica dialecto posteriora sunt; ceteris quippe aetate praecellere fertur paraphrasis Onkelosi, quam qui citius quam ceteri editam autumant, sub aevum Christi id factum fuisse affirmant. Seriora itaque ea sunt, quam ut testimonio esse possint, talem scriptorum hebraeorum aetate fuisse dialectum aramaicam, qualem nobis monumenta ista exhibent, idque facto ipso comprobatur. Ea enim, ut aetate inter se, ita quoque dictione plusculum discrepant, ipsamque Onkelosi paraphrasim chaldaicis bibliorum partibus inferiorem esse linguae puritate perspicimus; id, inquam, confirmat aramaicam linguam, postquam hebraicae in ipsa Iudaea successit, haudquaquam

---

(a) *Gesen.* ib.

fixam atque immutatam perstitisse. Obiter autem hic monemus, ex quibusdam libris sive syriacis sive arabicis, qui serioribus ecclesiae saeculis conscripti fuerunt, et in quibus loquendi ratio praeter propter eadem est atque in aliis vetustioribus, nullum depromi posse argumentum, quo probemus linguas hasce immutatas adhuc ea aetate mansisse; illorum enim auctores veteri lingua utebantur, sicut nos latina utimur (*a*).

272. Non itaque ad tenendam rationem loquendi, quae sacrorum scriptorum propria fuit, opem tantam exspectare est a dialectis hebraicae affinibus, quantam nobis, ab arabica praesertim, sperare suasit schola hollandica duce Alberto Schultensio initio saeculi superioris (*b*). Quod quum affirmamus, non ideo negligi volumus harmonicum, ut vocant, linguarum semiticarum studium, quod ad bibliorum interpretationem nemo sanus conferre negabit quam plurimum ex ea parte, quatenus aliarum dialectorum cum hebraica comparatio magnum huic lumen adhibet, sed solum contendimus comparationem hanc casso saepe labore eousque protrahi ac protrudi, quo ab aliqua aetate assolet; idque nobiscum qui sentiant, in dies augentur, ut iam a furore illo interpretes non modica ex parte resipuisse gratulari sit (*c*).

CAPUT VII

De usu harum regularum in universum.

273. Expositis praeceptis artis hermeneuticae, quae in interpretatione scripturarum sunt observanda, monemus in primis earum studiosos, eo securius regulis hisce ipsos usuros esse, quo graviore auctoritate eae commendantur. Neque enim, ut quidam fortasse autumant, recentiorum interpretum excogitationibus eas debemus, sed patribus, qui, ut illis usi sunt, ita et nos uti docuerunt, ac praeceperunt, at-

(*a*) Vide *Gesen.* op. cit. §. 8. not. 21.
(*b*) *Id.* ib. §. 38.
(*c*) *Id.* ib. §§. 36-39.

que Augustino praesertim, cuius documenta disputationi huic nostrae passim inserta, quod affirmamus, abunde confirmant.

274. Quamquam autem hermeneutica ars in scripturarum ἀρχετύπων interpretatione praecipue versetur, pro comperto tamen est eam ad ipsas quoque interpretationes sese extendere, quoties de his iudicium est ferendum. Quare traditas regulas, non minus interpretationibus examinandis, quam ἀρχετύποις in aliam linguam vertendis aut explanandis, tenere debes, et quidquid de hoc altero disseruimus, et de priore illo dictum putare. Quod quidem exemplis illustrare supervacaneum esse ducimus; non tamen ab re erit, si cuique denuntiemus, ne sibi hanc provinciam arroget, ut interpretationes examinet, qui non prius ἀρχέτυπα ipsa plene cognita habuerit.

275. Quin et saepius continget, ut unaquaeque harum regularum unius ex ceteris aut etiam plurium subsidio indigeat, idque non una de caussa unave ratione, ut non pauca ex illis, quae protulimus, satis demonstrant. Etenim, quod exempli gratia proponam, an aliqua verba, quae deesse putantur, veluti germana sint recipienda, non satis intelliges quandoque, si solum codices consulas, sed et interpretationes, orationis contextum, et parallela expendas, oportebit. Quatuor urbes Rubenitarum Levitis datas legis in interpretatione vulgata libri Iosuae (*a*), non autem in bibliis hebraicis; num illae his inserendae? Si diversos horum codices consulas, multi illas habent, plures tamen non habent. Consule itaque interpretes reliquos; fere omnes urbes illas enumerant. At nondum satis est; locus enim parallelus est in libris paralipomenon (*b*), quem necessario inspicere debes, qui illas exhibet. Neque tamen id sufficit, summam quippe urbium Levitarum tum universam (*c*), tum quae filiis Merari datae sunt, quas inter quatuor illae recensentur (*d*), scriptor in narrationis serie edicit; quaerendum itaque, an demptis vel additis quatuor istis urbibus summa utraque constet, quod ita fieri deprehendes, si addideris. At nonne error aliquis in alterutram irrepere potuit, aut etiam in utramque? Verum in illo capite Iosuae expressum verbis habes numerum urbium, quas singulae

(*a*) Ios. XXI, 36.
(*b*) I Par. VI, 78. 79.
(*c*) Ios. XXI, 39.
(*d*) Ib. 7. 34-38.

tribus Levitis tradiderunt, itemque quas singulae Levitarum familiae sortitae sunt, habes denique harum omnium nomina ; itaque vel nomina haec numera, vel summam summarum collige, et omnia constare intelliges, si quatuor illas urbes addideris. Morosius iam dubitabis. Nihilominus confer inter se summas tum singulas tum universam in primo libro paralipomenon, et, ubi videris omnia consonare, nihil haereas, quominus quatuor illas urbes in exemplaria libri Iosuae recipias. Ita etiam, ut ex loco aliquo parallelo argumentum ducas, certior antea fieri debes, an locus vere parallelus sit; quod forte non fiet, nisi prius sedulo argumentum atque orationis contextum expenderis. Plura sunt, quae suadent pro voce עִקְּבוֹת in versiculo quinquagesimo secundo psalmi LXXXIX reddere cum Davide Kimchio *cessationes, moras, dilationes*. At loco aliquo parallelo opus est, cuius comparatione notio illa probetur. Unicum habemus in versiculo vicesimo psalmi LXXVII, in quo, an ita verti possit vox illa, non continuo apparet. Si tamen sagacius et psalmi argumentum et solidam contextamque orationem rimeris, vix quidquam dubii supererit, quominus eam ita vertas. Ita quoque continget, ut ambigua aliqua sententia ex ratione loquendi definienda sit; haec autem loquendi ratio utra duarum sit, forte non disces nisi ex parallelismo aut ex historia. Legimus in libro primo paralipomenon Deum haec de Salomone dixisse: *Ipse aedificabit mihi domum (a)*; cuius loquutionis duplex est usus, significat enim vel *domum exstruere*, vel, *ut filii alicui sint, curare.* Historiae utrumque congruit, Salomon enim et templum fabricavit, et unus fuit e Christi maioribus. Quum vero in loco parallelo ea verba sic habeant: *Ipse aedificabit domum* NOMINI MEO *(b)*, quae nequeunt profecto nisi de templi aedificatione esse prolata, sic quoque prolata esse verba haec in libro paralipomenon credenda sunt.

276. In universum autem ita sese invicem hae regulae iuvant, ut vel una alterius usum difficultatibus expediat, certumque suppeditet, vel ea, quae alia suggerit, confirmet, si dubia adhuc sint, aut magis magisque illustret, vel denique aliam fallacem subinde prodat, erroremque

---

(a) I Par. XVII, 12.

(b) II Reg. VII, 13.

ex illa admissum emendet. Sicut autem saepe fit, ut unius atque alterius regulae usus ad id, quod quaerimus, minus sufficiat, ita nonnumquam unica regula prae pluribus contrarium suggerentibus valebit. Singula haec singulis exemplis declaremus. Parallelismus non raro est, qui rationem aliquam loquendi nos docet; exempli gratia, verba רֵאשִׁית אוֹן הַפְּ׳ *primitias virilitatis alicuius* significare *filium primo genitum* colligimus collatis inter se locis omnibus, in quibus verba haec usurpantur. Propositum sive consilium, quo testimonium aliquod ipsarum scripturarum allegatur, confirmat id, quod arguimus vel ex ipsa hac allegatione, vel ex locis testimonio allegato parallelis, vel ex serie et contextu sermonis, unde illud depromptum est; ita, quae Davidi nomine *misericordia* a Deo promissa ac certo praestanda dicuntur (*a*), tum ex contextu orationis, tum ex locis parallelis, tum ex ratione, qua Paulus Isaiae testimonium de illa *misericordia* allegat (*b*), conficimus ea esse *regnum Christi aeternum*; at, si adhuc subdubites, animadverte Paulum testimonio illo usum esse, ut probaret Christum post mortem revixisse, quod minime praestitisset, si verba Isaiae non sonarent id, quod dicimus (*c*). Integra libri alicuius lectio notitiam scriptoris praebebit, aliquam saltem, ac talem, quae falsum credere suadeat id, quod de scriptore hoc eius propria loquendi ratio nos docere videtur; ut fit in libris paralipomenon, quorum scriptor qua aetate vixerit, si ex ratione loquendi definire volueris, ideoque putaveris vigente adhuc lingua hebraica id factum esse, falli te ipsius libri lectio demonstrabit, reperies enim duodecim generationes a scriptore illo recenseri post solutam babylonicam captivitatem (*d*), ac proinde ducentis saltem annis post illam ipsum vixisse. Allegatum ab aliquo novi foederis scriptore testimonium ex vetere desumptum, manifesto liquet, in eum sensum accipiendum esse, in quem certo constat a scriptore illo acceptum fuisse, quidquid sentire suadeant regulae ceterae, idemque dicas de interpretationibus ab ecclesia habitis; neque enim umquam fiet, ut mutuo sese collidant, aut inter se colluctentur interpretationes eorum, quorum auctoritatem hac in re suspicere ac

(*a*) II Reg. VII, 15; Ps. LXXXVIII, 2-5; Is. LV, 3.
(*b*) Act. XIII, 34.
(*c*) Vid. L. II. q. IX. n. 79.
(*d*) I Par. III, 19-24.

venerari debemus. Sed et alias necesse est, ut unam regulam prae pluribus contrarium suggerentibus sequamur, sicut fit fortasse in historia rerum sex diebus creatarum; quamvis enim et narrationis contextus ac series, et loquendi ratio, et comparatio aliorum, quae in scripturis legimus (*a*), id exigere videantur, ut credamus rem totam sex diebus proprie dictis factam esse, si tamen vel unica scientia rerum physicarum certis argumentis suaderet, ut dies illos, non tamquam dies proprie dictos, id est, tamquam totidem νυχθήμερα, acciperemus, sed tamquam plurium annorum seriem, non esset, cur sic accipere reformidaremus. At num ideo falsum scripturae nos docuisse putabuntur? Nullo modo. Ut enim de re quadam huic simili loquitur Augustinus, quod in scripturis reperisse nos, falso tamen, existimabamus, *non hoc habebat divina scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia (b).*

277. Nunc vero pauca quaedam edicamus, quae in usu harum regularum cavenda sunt. Si in quorumvis librorum explanatione nihil interpreti sanctius aut antiquius sit oportet, quam ut veram ac germanam scriptoris sententiam assequatur, atque aliis aperiat, etsi sententia haec rerum veritati minus consonet, id interpreti praeceptum potissimum est de explicatione scripturarum sacrarum, in quibus sententia auctoris nequit omnino aliquid a veritate absonum complecti. Huic autem rei obest quam maxime, si interpretationi nostrae tenacius, quam par est, adhaereamus, quantumvis illam ope harum regularum communiverimus. Augustinum et Thomam id nos commonentes iam audivimus (134. 135). Itaque satis sit modesto interpreti rationum suarum momenta depromere, quotquot hae regulae suggerent, eaque omni ex parte illustrare; quod ubi praestiterit, abstineat rem ulterius urgere, sententiam mutare paratus, quoties potior ratio id suaserit.

278. Cavendum etiam summopere, ne regulas rei, de qua quaerimus, inopportunas, neve, quae opportunae sunt, minus opportune adhibeamus, nisi tamen libeat difficultates, ubi iam sunt, augere, aut etiam creare, ubi nulla est. Hunc scopulum offendisse, quod audacius fortasse dixerim, mihi interpretes illi videntur, qui adeo acriter, ut

(*a*) Ex. XX, 11; XXXI, 17.

(*b*) De Genes. ad lit. L. I. c. 19. §. 38.

nunc fit, digladiantur de significatione, quam vox לָמוֹ habet apud Isaiam, ubi Christi necem is vaticinatur (a). Omnes quidem consentiunt vocem illam ad eum, qui dicitur *vir dolorum (b)*, referendam esse; sed ex hoc ipso, quo de inter omnes convenit, prorsus contraria inferuntur. Quidam enim, quum appellatio illa *vir dolorum* singularem virum sonet, aiunt, vocem לָמוֹ singulari numero esse et significare *ei*; et re vera singulari numero eam semel interpres syrus vertit (c). Alii vero vocem hanc esse numero plurali contendunt, ideoque *virum dolorum* nomen esse collectivum integram gentem israeliticam designans. Si tamen, quod sentio, licet aperire, dicam negandum esse illud ipsum, quod omnes accipiunt, vocem, inquam, לָמוֹ ad *virum dolorum* pertinere, interpretes autem illos, nisi mea me fallit opinio, id peccasse, quod, interpretationis modum, qui magis obvius est, seponentes, minus obvium tenuerunt. Neglecto enim proximo orationis contextu (160), qui vel obiter inspectus rem totam expedivisset, remotiorem sunt rimati; hinc necesse ipsis fuit vel vaticinii sensum pervertere, vel vocem לָמוֹ καταχρηστικῶς accipere, ac loquendi rationem, nisi minus rectam, minus profecto usitatam sectari, quum tamen id, a quo recta sententiae illius interpretatio dependet, nil nisi ellipsis quaedam sit de genere earum, quae passim occurrunt, et dictioni poeticae ac vaticinae maxime propriae sunt. Hinc quoque difficultates auctae seu potius inductae in vaticinium illud; hinc minus obvius sensus ex eo elicitus, aut saltem longe inferior altero, qui indidem elici potuisset. Et re quidem vera, quidquid sit de Ewaldi (d) atque aliorum quorumdam grammaticorum sententia, deque exemplis, quibus illam confirmant, hoc est, pronomen suffixum מו ideoque et vocem לָמוֹ singulari numero interdum esse, haec procul dubio in confesso penes omnes sunt; suffixum pronomen מוֹ originem ducere ex pronomine primitivo הֵם, olim fortasse הֵמוֹן, הֵמוֹ, quod numquam non plurale est; communiorem, imo communissimam, loquendi rationem eam esse, qua pronomen מוֹ plures significat; denique, quod inde

(a) Is. LIII, 8.
(b) Ib. 3.
(c) Ps. LV. 7.

(d) Kritische Gramm. der hebr. Sprache §. 198, 1.

consequitur, illud ut singulare adhiberi minime posse nisi per abusionem et κατάχρησιν; haec inquam omnia ipse Ewaldus diserte nos docet (*a*). Quid igitur est, quod vel cogat nos talem κατάχρησιν admittere, vel obstet, quominus vocem לָמוֹ plurali numero esse dicamus? Quia, inquiunt, vox ista refertur ad *virum dolorum*. Verum eccur tam procul quaeras, ac veluti de longinquo arcessas, ad quod vocem illam referas, quandoquidem id habes tam prope, ut est *populus*, cuius proxime ante verba נֶגַע לָמוֹ mentio est? Subdubitas, qui id fieri possit? Mitte itaque remotum sermonis contextum, et proximum considera, mitte minus obviam neque omnino indubiam loquendi rationem, et, quae certa est maximeque communis, sectare, mitte non necessariam κατάχρησιν, et ellipsin apud Isaiam praesertim (*b*) frequentissimam supple, quae sese in ea sententia satis manifeste prodit, atque ita lege: כִּי נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים מִפֶּשַׁע עַמִּי (בְּ)נֶגַע (אֲשֶׁר) לָמוֹ *Quoniam abscissus est de terra viventium propter scelus populi mei per plagam, quae ipsis*, id est, quae populo debita ac propria erat; ita videlicet, ut נֶגַע לָמוֹ dictum sit pro נִגְעָם, sicut in versiculo quinto psalmi LVIII dictum est חֲמַת־לָמוֹ pro חֲמָתָם. Quaenam, sodes, in his difficultas apparet? Quid minus obvium? Quid non omnino consonum linguae hebraicae eiusque usui ac dictioni poeticae, inque ea non frequentissimum? Utique Christus, non modo propter hominum scelera, sed ea insuper poena, quae ei nullo modo, sed unis hominibus debita ac propria esset, morte, inquam, *abscissus est de terra viventium*. Confer cum his II Sam. VII, 14 ac simul Is. LIII, 6.

279. Tertium, quod caveamus, est, ne, dum unam sequimur interpretationis regulam, argumentaque huius ope deprompta pertinacius urgemus, alias fortasse infringamus. Is enim latens veluti scopulus ille est, ad quem eo saepius, quo facilius, interpretationes nostrae allidi solent. Pessime vero scopulum hunc offendunt recentiores illi interpretes, qui regulis mere criticis plus aequo fidentes nullam aut vix aliquam rationem habent regularum aliarum, quas auctoritas suffulcit. Quin

(*a*) L. c. *et* §. 99, 1.

(*b*) V. *Noldium* Concordant. particular. ebraeo-chald. ad v. אֲשֶׁר n.° 24. p. 103. Ienae 1734.

iis hoc amplius accidit, ut, dum ea ratione κριτικωτατων nomen affectant, ab una vel pluribus regularum criticarum aberrasse deprehendantur. Haec vero studiosos iuvenes monuisse sufficiat, quin exemplis ea confirmemus, ne forte, ut qui noctuas Athenas aut in silvam ligna ferre velimus, iure redarguamur.

280. Ut vero huic tractationi de regulis artis hermeneuticae tandem finem imponamus, regula ultima haec esto. Si forte eveniat, ut nulla praedictarum regularum parem opem suppeditet ad sensum literalem aliquorum verborum aut loquutionum certe eruendum, res in medio linquenda est, neque patiamur male ominata nos veluti prurigine impelli ad capitis nostri commenta venditanda, ne forte dum sapientes videri volumus, quod multis persaepe accidit, desipere potius videamur, iisque assidere, qui, ut olim Hieronymus conquerebatur, *ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, et non vitiosissimum, docendi genus, depravare sententias et ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem (a). Melius est autem*, inquit Augustinus, *vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere (b)*. Attamen, etsi labores nostri in aliqua scripturarum parte explananda incassum ceciderint, non ideo animus despondendus. Ipsi enim testes sumus, ut bene multa, quae olim qui explicare tentassent, ii nodum gordium sibi solvendum proponi aut creticum labyrinthum permeandum putarent, tandem, scientiarum, artium, atque linguarum studiis nova in dies incrementa capientibus, iam ad liquidum explorata sint omni ex parte. Quare et de illis, quae in sacris voluminibus supersunt illustranda, sperare est fore, ut omnia aut pleraque saltem claruisse et ipsa olim liceat gratulari.

281. Huius rei specimina, praeter alia ab aliis exhibita, duo exhibere iuvat, quae nuperrime exstiterunt, alterum ex vetere alterum ex novo testamento. Apud Ezechielem hoc legimus vaticinium de Tyri ruina: *Haec dicit Dominus: Cum dedero te urbem desolatam sicut civitates, quae non habitantur, et adduxero super te* תְּהוֹם *abyssum*, hoc est, *oceanum, et operuerint te aquae multae*, ...

(a) Ad Paulin. ep. LIII al. CIII. §.7. (b) Doctr. chr. L. III. c. 9.

in nihilum redigam te, et quaesita non invenieris ultra in sempiternum (a). Quum propria horum verborum significatio interpretes lateret, ad significationem translatam omnes confugerunt. Huc accedebat, quod situs, forma, parvitasque eius, qui hactenus Tyri locus creditus fuerat, nullo modo responderet iis, quae de huius urbis amplitudine, opulentia, potentiaque, atque imperio praesertim maritimo, scriptores bibliorum imo et alii quamplurimi ex vetustioribus memoriae prodiderunt. Hae tamen tenebrae depulsae sunt anno MDCCCXXXVIII cura et diligentia Iulii De Bertou, qui literis datis ad Maximilianum Ryllo unum e meis sodalibus retulit, sibi locum illum adiacensque aequor perlustranti visam fuisse molem ingentem sub aquis una eademque latitudine ad plura stadia porrectam, quae, non naturae, sed artis opus esse manifesto appareret, proderetque veterem urbem maxima sui parte fluctibus opertam, sicut Ezechiel vaticinatus fuerat, illic latere. Verba illa Christi, quae leguntur in evangelio Matthaei: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari .... Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur (b),* quantam difficultatem facessant interpretibus aeque ac theologis, pervulgata res est. Sed dudum quidam e meis sodalibus me docuit, non qua ratione difficultas plane dilueretur, sed nec ullam re ipsa hic exstare difficultatem. Verba enim illa *excepta causa fornicationis, ... nisi ob fornicationem,* nec significant, nec significare possunt flagitium ab alterutro legitimorum coniugum patratum cum extraneo, hoc enim non foret πορνεια *fornicatio,* sed μοιχεια *adulterium*, qua voce tale flagitium Christus constanter designavit in illis sermonibus, sed significant illud, quod inter se patrant ii, qui coniugio non legitimo sunt copulati, hoc enim πορνεια, id est, *fornicatio*, proprie vocatur. Hinc Christi sententia alia non est, nisi coniugium viri et mulieris dissolvi numquam licere, nisi si, ut theologi loquuntur, *fornicarium* sit, qui concubinatus dicitur, quemque dissolvi, non licet modo, sed et oportet.

(a) Ezech. XXVI, 19. 21.

(b) Matth. V, 32; XIX, 9.

CAPUT VIII

De sensu spiritali in universum.

282. Quaestio gravis est, ad quam aggredimur, de spiritali sensu scripturarum. Agitur enim de eo sensu, quem non minus quam literalem Spiritus sanctus auctor scripturis subesse voluit, quem hic unus liber habet, utpote quid suum proprium nec cum ullo alio commune, quem denique postremis aetatibus primus omnium Lutherus (66), tum alii ex Protestantibus, vulgo autem recentiores, qui Rationalistae vocantur, plane respuunt, atque in scripturis se agnoscere infitiantur. Haec, inquam, quo loco eam quaestionem habere oporteat, satis manifestant.

283. Porro, quid sit *sensus spiritalis* sive mysticus et quanam ab origine repetendus, plene discere est ex doctrina patrum, sicut apparebit ex illis, quae de hoc sensu edisseremus. Nominis tamen huius duplex est in eorum scriptis usurpatio; altera, qua sensum illum significat ipsarum scripturarum proprium, quem supra (2) iam definivimus, et quo de nunc agimus, altera vero ad eas sententias designandas, quae quidem scripturis ipsis minime subsunt, eorum tamen, quae in scripturis dicuntur, aut narrantur, consectaria quaedam sunt et consequentia (9), de quibus etiam agendum inferius (454 seqq.) erit. Hanc autem usurpationis discrepantiam, quae in patrum libris deprehenditur, caussari est, cur quaestioni huic, quae ceteroquin satis foret expedita, si rectam sensus spiritalis informationem in animo constanter haberemus, illud accideret incommodum, ut neglectis aut perturbatis rerum notionibus, quae inter se distinguenda essent, confunderentur, idque saepe etiam ab iis, qui rerum theologicarum peritissimi audiunt, quos si perconteris, quid sit sensus spiritalis, nihil stabile ac certum, sed omnia vaga atque errantia respondeant, eosque mireris, sive dum loquuntur, sive dum disputant, sensum spiritalem aut mysticum eum vocare, qui alius plane est, puta, consectaria illa, quae diximus, aut ipsum sensum literalem mysteria resque huiusmodi sublimiores referentem, atque etiam translatum. Sunt imo, qui editis libris sive de theologia sive de sacris scripturis definitionem quidem sensus spirita-

lis habent sane accuratam, sed mox, veluti eam essent obliti, iam illud idem peccent, ut *spiritalem* habeant, et vocent sensum aliquem, qui nullo modo spiritalis est (18).

284. Id itaque nobis curae esse debet, ut indicata prius origine ac patefacto veluti fonte sensus spiritalis, rerumque notionibus nominibusque clare inter se et accurate distinctis, quaestionem hanc per quam dilucide habeamus, vitatisque ambagibus, quibus eam nonnulli, nescio qua ducti religione, referciunt, atque implicant, rem totam, quo simplicius fieri potest, exponamus, planioremque reddamus. Quod etiam tuto nos praestituros confidimus, si duce Thoma viam illam iverimus, quam ipse patres secutus nobis aperuit, summam eorum, quibus de tractaturi sumus, paucis hisce verbis egregie perstringens: *Auctor sacrae scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel literalis; illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur, et eum supponit (a).* Lege etiam attente ea (363), quae idem Thomas disputat in Quodlibetis *(b)*.

285. His Thomae verbis illud docemur, quod alio loco demonstrabimus (360 seqq.), spiritalem sensum scripturis subesse ideo posse, quia per ea, quae in illis narrata sunt aut commemorata, alia praeterea Deo auctore significabantur, ita ut, si nil tale unquam habuisset divina οἰκονομία, per quod alia significarentur, aut, quamvis aliquid huiusmodi habuisset, nihil tamen de hoc scriptores bibliorum literis mandassent, nullum spiritalem sensum haberent scripturae. Ex quo et illud manifeste consequitur, quod in hac quaestione menti nostrae obversari iugiter debet, sensum hunc spiritalem, non tam scripturarum

---

(a) 1. q. 1. a. 10. c. (b) Quodl. VII. q. 6. a. 14. 15. 16.

ipsarum proprium esse, quam earum rerum, quas scripturae complectuntur, scripturis tamen eum subesse, quia Spiritus sanctus sacro codici res illas consignans consignare etiam voluit, quem iis rebus indiderat, significatum, quemque ex scripturis colligeremus aeque ac sensum literalem. Verbo, quod scripturae alterum hunc sensum, spiritalem, inquam, possint continere, hoc habent ab ipsa typorum significatione, quod vero illum reipsa contineant, id non aliunde est, nisi ex consilio et voluntate Spiritus sancti. Quanam de caussa, exempli gratia, historia Isaaci et Ismaelis a Moyse in genesi descripta habere potest, ac, teste Paulo (*a*), sensum reapse habet spiritalem, in quem si accipiatur, vetus ac novum testamentum portendit? Ideo nimirum habere illud potest, quia haec illi duo portendebant, quod nisi factum fuisset, nec sensus huiusmodi in ea historia lateret; habet autem, quia duo testamenta Spiritus sanctus historia ista ἀλληγορικῶς exprimere voluit. His vero praecognitis facile quisque intelligit sensum spiritalem speciem esse sensus συμβολικοῦ, ac posse dupliciter spectari, ut scripturis ipsis subest, utque iis rebus, quae in scripturis commemorantur, ideoque, tametsi unus idemque sensus sit, perspicuitatis tamen gratia dividi cogitatione posse ac veluti duos sensus haberi, quorum priorem opportune dixeris sensum spiritalem *verborum*, posteriorem *rerum*, posteriorem autem prioris originem esse ac veluti fontem. De utroque porro peculiaris disciplina sit, oportet.

CAPUT IX

De sensu spiritali rerum sive de typologia.

286. Ea omnia, ex quibus spiritalis verborum sive scripturarum ipsarum sensus emanat, *typos* communi nomine vocamus cum Paulo (*b*); ipse autem typorum significatus, quin et tota haec disciplina, *typologia* nomen a recentioribus scriptoribus inditum habet. Sunt itaque

(*a*) Gal. IV, 24.

(*b*) Rom. V, 14; I Cor. X, 6. 11.

typi eae sive personae, sive res, sive actiones, iique eventus, eaque gesta, quae peculiari quodam Dei consilio atque instituto ad id conformabantur, ac dirigebantur, ut vel futura quaedam praesignificarent ad ipsam divini foederis οἰκονομίαν, praesertim vero ad Christum eiusque ecclesiam, pertinentia, vel sublimiora quaedam, spiritalia videlicet, caelestia, atque divina, rudioribus quibusdam veluti lineamentis exprimerent, atque referrent, vel normae denique ac regulae essent, ad quam mores nostros exigeremus, ac fingeremus. Quidquid simul ex patrum scriptis colligimus, quod typos aliquo modo attingat, ad triplex illud genus facile est revocare; ipsos igitur typos partiemur in *propheticos, anagogicos,* et *tropologicos,* quae nomina, etsi non eadem constanter notione, ab ipsis patribus fuerunt usurpata, ac singillatim de unoquoque genere, quae scitu magis necessaria sunt, paucis disseremus, nonnulla postremo dicturi, quae in tota hac typologiae tractatione animadvertere oportet.

ARTICULUS I

De typis propheticis.

287. Genus typorum, qui *prophetici* vocantur, aliis generibus latius patet, tota enim veteris foederis οἰκονομία foederis novi praenuntia fuit seu quaedam veluti adumbratio. Quare plurima propheticorum typorum specimina ex vetere foedere peti possunt; sive personae sint, uti Adam (*a*), Melchisedech (*b*), Isaac et Ismael (*c*), Moyses (*d*); sive res, uti arca Noae (*e*), lex vetus (*f*), victimae et caeremoniae (*g*), dies festi (*h*), nubes, quae Israelitas ducebat (*i*), manna et petra, ex qua potum hi hauserunt (*l*); sive eventa et gesta, uti eiectio Agaris et Ismaelis (*m*), transmissio maris erythraei (*n*). Lege Petri Danielis Huetii Demonstrationem evangelicam (*o*).

(*a*) Rom. V, 14.
(*b*) Hebr. VII, 3 seqq.
(*c*) Gal. IV, 22-24 seqq.
(*d*) I Cor. X, 2 coll. 11.
(*e*) I Pet. III, 20. 21.
(*f*) Hebr. X, 1.
(*g*) Ib. IX, 9 seqq.
(*h*) Coloss. II, 16. 17.
(*i*) I Cor. X, 1.
(*l*) Ib. 3. 4.
(*m*) Gal. IV, 30. 31.
(*n*) I Cor. X, 1.
(*o*) Demonstr. evangel. propp. VII et IX. cap. 170.

288. Patet typos hosce, quum signa essent ac symbola rerum futurarum, habendos esse tamquam praenuntiationes, non secus ac sunt ipsae prophetiae, a quibus id unum differunt, quod istae verbis, illae vero ea ratione, qua diximus, ederentur (*a*). Distinguendi tamen omnino sunt, ut Thomas distinxit (*b*), typi prophetici a vaticiniis *symbolicis*, quibus prophetae subinde futura praedicebant, et quorum triplicem modum exhibent scripturae. Horum unus erat, quum Deus menti prophetae imaginem aliquam primo repraesentabat monstruosam plerumque atque αἰνιγματώδη, tum huius significatum aperiebat, ac postremo propheta rem totam aliis narrabat, ut factum videre est apud Ieremiam (*c*), Ezechielem (*d*), Amosum (*e*), Zachariam (*f*). Alter, quum Deus prophetam ipsum aliquid agere iubebat subdens rei gestae declarationem, quam propheta alios doceret; talia reperimus in Isaia (*g*), in Ieremia (*h*), et in Ezechiele (*i*). Denique, quum propheta ipse ea, quae ipsi Deus prius aperuerat, pronuntiabat addita simul aliqua re aut actione *symbolica* illustrationis atque ornatus gratia, uti sunt prophetiae Ahiae (*l*), Elisei (*m*), et Agabi (*n*). Quid ab his differant typi prophetici, per se patet. Neque enim in aliquo horum typorum locus ullus prophetis est. Sed neque merae imagines hi sunt prophetae menti obversantes, ut primus modus est vaticiniorum symbolicorum; neque actiones ceteroquin ἄσκοποι nec alio spectantes, quam ut oculis quoque rudi quadam veluti imagine ea repraesentent, quae audientium auribus ingerit propheta, ut fit duobus modis posterioribus. Expende ea, quae paulo post de symbolis dicemus (297).

(*a*) V. *Chrysost.* De poenit. hom. VI. §. 4, *Hilarium* in Ps. LV. §. 1, et *Huetium* op. cit. prop. VII. §§. 2. 3.
(*b*) Quodlibet. VII. a. 15. ad 1; a. 16. c.
(*c*) Ierem. I, 11-14; XXIV, 1-8.
(*d*) Ezech. XXXVII, 1-11.
(*e*) Am. VII, 7-8; VIII, 1-2.
(*f*) Zach. I, 8-21; IV, 2-6.
(*g*) Is. XX, 2-4.
(*h*) Ier. XIII, 1-9; XIX, 1-11; XXVII, 2-4 coll. XXVIII, 10; XXXII, 6-15.
(*i*) Ezech. IV, 1-8. 9-13; V, 1-5; XII, 3-10.
(*l*) III Reg. XI, 29-32.
(*m*) IV Reg. XIII, 15-19.
(*n*) Act. XXI, 11.

ARTICULUS II

De typis anagogicis.

289. Nomen ἀναγωγὴν recentiores plerumque indere solent spitali illi sensui, qui est de aeterna hominum beatitate (4). Verum non tam arctis limitibus patres huius vocis usum definiverunt. Quum enim quivis sensus spiritalis legentium mentem animumque subvehat ad altiora iis, quae voces ipsae in obvium sensum acceptae significant, commune spiritali sensui nomen ἀναγωγὴ pro vocis notione factum a patribus interdum est. Subinde tamen ac magis proprie significationem illam spiritalem hoc nomine illi vocavere, quae res natura sua terrenis ac corporeis sublimiores attingeret, caelestia potissimum ac divina. Lege inter plures scriptorem librorum de Caelesti hierarchia (*a*), Origenem (*b*), Chrysostomum (*c*), Hieronymum (*d*). Ideo, quibus typis peculiaris est spiritalis ista significatio, ii propria quoque appellatione typi *anagogici* dicuntur.

290. Horum nonnullos eorumque interpretationem reperies in libro Sapientiae, ut sunt templum Salomonis (*e*) et manna, cuius aliquot in libro ipso leguntur significationes (*f*), plures quoque in epistolis Pauli, ut sunt urbs Ierusalem (*g*), tabernaculum eiusque partes atque instrumentum (*h*), sacerdotium Melchisedechi (*i*), sacerdotium Aaronis (*l*). Ceterum typi anagogici ceteris pauciores sunt, praesertim quod maximam partem inter typos propheticos adnumerari queant, et a patribus reapse fuerint utrique simul adnumerati quam frequentissime.

(*a*) Cc. 1. 2. etc.

(*b*) De principiis L. IV. §. 21 edit. *Delarue*, et in Matth. XIII, 52.

(*c*) In Ps. XLVI. §. 1.

(*d*) Ad Evangelum ep. LXXIII al. CXXVI. §. 9, et in Amos IV, 4. 5.

(*e*) Sap. IX, 8.

(*f*) Ib. XVI, 21-26.

(*g*) Gal. IV, 25. 26.

(*h*) Hebr. IX.

(*i*) Ib. VI, 20-VII.

(*l*) Ib. VIII, 1-5 seqq.

ARTICULUS III

De typis tropologicis.

291. Tertium genus typos *tropologicos* seu *morales* complectitur, quorum spiritalis significatio *tropologia* vocatur, nomine nimirum a patribus usurpato deductoque ex graeco vocabulo τροπος, quod inter alia *morem* ac *consuetudinem* sonat. Huiusmodi typum gessit manna, teste scriptore Sapientiae (*a*), gessere item, teste Paulo, ea, quae Israelitis in deserto contigerunt (*b*); praeterea vix aut nihil invenias, cuius tamquam typi tropologici diserte meminerint scriptores sacri, etsi late prorsus hoc typorum genus patuisse coniicere sit tum ex iis, quae loquitur Paulus de factis atque eventis populi israelitici iter agentis per desertum (*c*), quorum rationem, non est, cur putemus non aliorum etiam fuisse, quae in vetere testamento leguntur, tum ex eo, quod, quum tota prioris foederis οἰκονομια posterioris, quod nobiscum Deus pepigit, quaedam fuerit veluti deformatio, putandum est morum quoque, quos sectaremur, rationem in illa habitam fuisse.

292. Non tamen ideo rem quamlibet a scriptoribus sacris in exemplum assumptam aut propositam, quamquam τυπος ab iis dicatur, in eorum, quibus de agimus, typorum numerum esse referendam arbitramur, sed illas tantummodo, quibus typi formam a Deo inditam esse vel ex ipsorum scriptorum verbis vel aliunde argumentum petere possumus. Neque enim, quaecumque res exemplo potest esse, ea typus est, tametsi typus quilibet tropologicus in exemplum sit. Et re quidem vera ex eo, quod Paulus sese ipse (*d*) vel Thessalonicenses (*e*) in exemplum proponat, sive ex eo, quod idem Paulus Timotheum (*f*) aut Titum (*g*), Petrus vero episcopos quoslibet (*h*) ceteris exemplo esse iubeat, ecquis concludat, et Paulum, et Thessalonicenses, et Timotheum, et Titum, et episcopos, typos tropologicos esse? Quandoquidem, licet Deus voluerit,

(*a*) Sap. XVI, 27-29.
(*b*) I Cor. X, 5-11.
(*c*) Ib.
(*d*) Philipp. III, 17; II Thess. III, 9.
(*e*) I Thess. I, 7.
(*f*) I Tim. IV, 12.
(*g*) Tit. II, 7.
(*h*) I Pet. V, 3.

ut omnes hi virtutum exempla praeberent, non alio tamen pacto id voluit nisi eo, quo vult hominum quemlibet, illos vero praesertim, qui potestate atque auctoritate praeeminent, esse ceteris in exemplum, quod quidem ipsi per se praestare possunt; minime autem id voluisse credendus est peculiari illa et sublimiore ratione, qua ipse Deus personas, res, eventa, ita conformabat, atque regebat, ut spiritalis significatio illis subesset, quae typorum moralium propria est.

293. Ita etiam Christus discipulorum pedes abluens aut crucem baiulans exemplum nobis praebuit, quod imitaremur, at non idcirco Christum aut haec ab ipso gesta typos tropologicos fuisse affirmabimus, siquidem nomen istud in eam notionem accipiamus, quae ipsi subest in hac disputatione. Propria actionum illarum significatio exemplum per se prodebat; eccur igitur necesse sit aliam insuper significationem, spiritalem, inquam, venari, quae tamen nil nisi exemplum adeoque illud ipsum aeque exhiberet? Si spiritalis haec significatio actionibus illis subesset, ita ut typi reapse habendae illae forent, spiritalis quoque sensus subesset verbis evangelii, quibus eae narrantur (447); at quemnam huiusmodi sensum deprehendas in narrationibus illis praeter literalem? nonne literalis ipse earum sensus prodit exemplum a Christo praebitum? nonne clara omnia ac manifesta in illis sunt? nonne ipse Christus apertis verbis id edixit (*a*)? *Exemplum enim dedi vobis*, inquiens, *ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Quid vero quod typi, cuiuscumque demum generis fuerint, inferiores dignitate habeantur rebus, quas significant, ut patres omnes atque interpretes Paulum sequuti (*b*) ac ratione ipsa plenissime suffragante constanter docuerunt? Eodem pacto tibi facile persuadebis, ut nullum typum accipias in eo, quod Christus *extra portam passus est (c)*, quamvis inde exemplum Paulus deducat (*d*).

294. Quod autem de scriptoribus sacris dicimus, id dictum quoque, ut par est, putabis de patribus deque interpretibus scripturarum, qui si rem aliquam aut personam ex vetere aut novo testamento producant, et in exemplum proponant, atque ex iis, quae de ea in bibliis

---

(*a*) Io. XIII, 15.
(*b*) Hebr. VIII, 5; IX, 23. 24; X, 1.
(*c*) Hebr. XIII, 12.
(*d*) Ib. 13.

referuntur, sensum aliquem moralem colligant, non continuo rem illam aut personam typum tropologicum fuisse pronuntiabimus, quum tales interpretationes institui possint etiam de aliis rebus, quae in bibliis minime leguntur, puta, de gestis sanctorum aut clarorum virorum, qui profecto haudquaquam typi fuerunt. Quod si cui lubeat fortasse ea, ex quibus patres atque interpretes sententias ac documenta depromunt ad mores pertinentia, typos nuncupare secundum eam notionem, qua, quidquid exemplo esse potest, Graeci τυπον vocant, quod et a Petro et a Paulo factum vidimus (292), non obsistam, dummodo stet discrepantia inter hos atque illos typos tropologicos, de quibus est ista quaestio, et quibus ex peculiari Dei consilio atque institutione spiritalis inerat significatio.

ARTICULUS IV

Nonnulla indicantur in disputatione de typis animadvertenda.

295. Typis alia quoque nomina sunt in epistolis Pauli. Appellantur quippe *allegoriae (a)*, *parabolae (b)*, *umbrae (c)*, *exemplaria,* id est, ὑποδείγματα *(d)* seu ἀντίτυπα (*e*), etsi hoc ultimum a Petro usurpetur ad significandam rem per typum designatam (*f*), de qua voce ea expende, caute tamen, quae congestis plurium scriptorum loquutionibus disputavit Caspar Suicerus *(g)*. Non itaque improbandum est, si qui figuram ipsam *typum* nominant, rem vero praefiguratam *antitypum*. Nomen autem *allegoria,* potius quam typos ipsos, ipsam horum significationem aut significationis modum indicare dicendum est (7), quod etiam ex ratione, qua Paulus illud adhibet, discere possumus; non enim res ipsas *allegoriam* vocat, sed ait ea fuisse ἀλληγορούμενα *per allegoriam dicta,* id est, secundum sensum spiritalem, quo aliud praesignificabant. Ceterum de aliis nominibus huc fortasse pertinentibus, quae apud patres reperiuntur, inferius dicemus (346-351).

(*a*) Gal. IV, 24.
(*b*) Hebr. IX. 9; XI, 19.
(*c*) Coloss. II, 17; Hebr. VIII, 5; X, 1.
(*d*) Hebr. VIII, 5; IX, 23.
(*e*) Ib. IX, 24.
(*f*) I Pet. III, 20. 21.
(*g*) Thesaur. eccl. e patribus graecis ordine alphab.

296. Hic tamen locus est, quo animadvertamus typos quoslibet a patribus *symbola* interdum fuisse nominatos, neque inepte, typus enim quivis symbolum est. Non tamen cuivis symbolo typi nomen concinne inderemus. Quare, quum Deus, non modo typis, sed aliis etiam symbolis usus sit, quumque typi, non vero quaevis alia symbola, de earum rerum genere sint, non secus ac sunt oracula et vaticinia, quae aliquid habent naturae vim atque ordinem excedens, quasque proinde comminisci non oportet, ubi aliquid tale reapse accipere necesse non est, indicia quaedam suggeremus ac regulam, quibus ut mihi quidem videtur, securius typos a symbolis ceteris, quae Deus usurpavit, aut usurpari iussit, discernamus.

297. Itaque pro typis habenda necessario non sunt symbola rerum praeteritarum, quae μνημοσυνα proprie habentur, ac vocantur, ut sunt iris (*a*), festum paschatis apud Hebraeos ex ea parte, quatenus monumentum erat repulsae ab illis servitutis (*b*), eucharistiae confectio, quam *memoriale mortis Domini* vocat ecclesia (*c*). Neque ea, quae Deus verbis subinde adiungebat ad rem aliquam vel confirmandam vel plenius illustrandam, quam tamen clare iam aperteque edisseruerat, puta, portenta, quae foedus inter Deum et Abraham initum sunt comitata (*d*), nubes, quae templum a Salomone constructum operuit (*e*), quae symbola πειθανα apte diceres. Neque ea, quae μεταστατικα commode appellarentur, quibus, inquam, ad aliquid significandum ita Deus utebatur, ut verbis adiectis videretur quidem loqui de symbolo, sensum tamen verborum aliorsum pertinere facile quisque intellexisset, ut fuit serpens (79), quem loco diaboli Deus alloquutus est (*f*), ficus iubente Christo arefacta (*g*). Neque demum symbola δεικτικα, quae aliquid portendebant, quod fieret, aut contingeret simul, ac ipsa adhibebantur, ut mactatio victimarum pro peccato et pro delicto, quae indicabat poenas a lege statutas condonari (*h*). His ea adde, quae superius diximus de prophetiis symbolicis (288).

(*a*) Genes. IX, 13-17.
(*b*) Ex. XII, 14. 26. 27.
(*c*) Luc. XXII, 19; I Cor. XI, 23-26.
(*d*) Genes. XV, 8-18.
(*e*) III Reg. VIII, 10 coll. 12. 16.
(*f*) Gen. III, 14-15.
(*g*) Matth. XXI, 19.
(*h*) Vid. *Iahn* Archaeolog. §. 384; *Ackermann* Archaeolog. §. 371.

298. E contrario pro typis habenda esse symbola illa putamus, quae, ut nullum habent ex praedictis, si praeterea vel ipsorum naturam species, vel rerum, quas significabant, facile intelligas a Deo uno ita conformari potuisse, regi, atque ordinari ad aliquid significandum, ut inter ipsa atque inter rem significatam aliqua similitudo vel analogia intercedere deprehenderetur. Huiusmodi sunt homines aut eventus quidam rerum humanarum ut rerum aliarum symbola a Deo adhibiti; sed plurimae quoque res gestaque plurima, ex quibus memorasse sufficiat unum agnum, qui symbolum erat tum egressus ex Aegypto tum Christi olim immolandi, utrumque ex divino proposito atque instituto, sed prioris quidem nil nisi merum symbolum, utpote rei praeteritae, quodque ipsi Israelitae per se excogitare ac marte suo instituere potuissent, posterioris vero etiam typus, utpote rei futurae nec dum hominibus plane compertae, quam directe atque ἀμέσως praemonstrabat, nulla praedictione interiecta, ad quam illustrandam usurparetur.

299. In universum autem, ut typos a meris symbolis secernamus, regula haec esto ex natura sensus spiritalis scripturarum (285) petita. Quoniam in symbolis nihil aliud deprehendere est, nisi unius alicuius rei significationem, hinc, quum novimus aliquid, quod in scripturis legitur, symbolum esse, neque tamen sensus ipse obvius ac literalis verborum, quibus illud commemoratur, quidquam tale refert, pro certo tenebimus, non merum symbolum id esse, sed typum. Dicendum quippe tunc erit sensui literali verborum alium quoque sensum subesse, nempe spiritalem; at spiritalis sensus in verba, non ex meris symbolis, quibus, ut docet Thomas (*a*), sensus iste non subest, sed ex typis, quibus de ea dicta sunt, dumtaxat derivatur (2.286). Exemplo haec esse possunt. Matthaeus tamquam de Christo reduce ex Aegypto dicta interpretatur (*b*) verba, quae Oseas protulit de Israelitarum gente ex eadem ipsa Aegypto reducta (*c*); itaque reductio haec illius reditus symbolum fuit. Verum fuit ne quoque typus? Ipsa rei natura secundum ea, quae modo animadvertimus (298), satis id docet; hoc idem tamen discemus, si regulam hanc adhibeamus. Expensis enim verbis

(*a*) Quodlib. VII. a. 15. ad 1; a. 16. c.
(*b*) Matth. II, 15.
(*c*) Os. XI, 1.

illis, ut in ipso Oseae libro sunt cum reliqno sermone contexta, perspicies sensnm obvium ac literalem nihil praeferre, qnod Christum attingat; latebit itaque in illis sensus spiritalis, adeoque id, quod sensus literalis prodit, reductio, inqnam, Israelitarum ex Aegypto, haudquaquam merum symbolum est, id enim literalis sensns proderet utique, sed typus Christi ex ea regione redeuntis. Eodem pacto Christi typos, non autem nuda symbola, fuisse cognosces agnnm paschalem (*a*), psaltem (*b*), Salomonem (*c*), aliaque, de quibns quae in scripturis veteris foederis ita dicuntur, nt in sensnm literalem accepta ad Christnm minime pertineant, ea tamen ut dicta de Christo acceperunt, atque interpretati sunt, scriptores novi testamenti. Ne vero typos, qui tales non sunt, forte fingamus spiritalem sensum comminiscendo, ubi nullus est, quid sedulo servandum sit in usu huius regulae, discere est ex iis, quae dicemus (448) de universali quadam mysticae interpretationis lege, cui regula haec subiecta est.

300. Cavendum quoqne est, ne pro typis habeamus ea, ex quibns similitudines traducuntur. Quare nemo ex Iudae apostoli verbis: *Vae illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt (d)*, autumet confici recte posse, Cainum, Balaamnm, et Corem, typos fuisse; sicut neque, eo quod Deus Abrahamo dixerit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in littore maris (e)*, quisquam nobis stellas atque arenam obtrudet veluti typum popnli christiani. Quamobrem, quum in novo testamento aliquid comparari videmus cum aliqua re ad vetus pertinente addita voce *sicut* aut simili, ex hoc uno inferre nequimns rem hanc typum fuisse. Serpentem aenenm (*f*) et Ionam (*g*) ut typos esse habendos, ex solis Christi verbis non satis constat, quamvis typos reapse fuisse tum arctissima, quam habent cum rebus Christi, similitudo, tum ratio, qua totum vetus foedus foederis novi typus fuit, tum sententia communis patrum atque interpretum, nullo modo in dubitationem revocare sinunt.

(*a*) Io. XIX, 36 coll. Num. IX, 12.
(*b*) Act. IV, 11 coll. Ps. CXVII, 22.
(*c*) Hebr. I, 5 coll II Reg. VII, 14.
(*d*) Iud. 11.
(*e*) Genes. XXII, 17.
(*f*) Io. III, 14 ex Num. XXI, 9.
(*g*) Matth. XII, 40 ex Ion. II, 1.

CAPUT X

Prioris foederis οἰκονομιαν typis ornatam fuisse probatur.

301. Typorum natura ac multiplici forma declarata demonstrandum modo est, typos hosce, quum priorum foederum obtineret οἰκονομια, a Deo adhibitos reapse fuisse. Nemo Catholicorum ea de re dubitat, quin etiam ex Heterodoxis plures fuerunt, qui ita sentirent, quos inter eminent Grotius (*a*), Cocceius (*b*), Glassius (*c*), Spencerus (*d*), recentiore autem aetate Io. David Michaelis (*e*) et Io. Cristophorus Blasche (*f*). Attamen ex Heterodoxis vetustioribus non pauci, nostra autem aetate post Io. Guillelmum Rau (*g*) fere omnes, respuunt typos quoslibet, maxime propheticos, aut, si quos interdum illorum aliqui accipere videntur, eos tamen typos fuisse affirmant κατ' ἔκβασιν dumtaxat et ob similitudinem quamdam, quam haberent cum iis, quorum typi esse putantur, non vero quod illos Deus ita conformaverit, ac direxerit, ut ea praesignificarent. Verum et scripturas, et traditiones, et synagogae tum veteris tum novae sententiam, et rationem ipsam, adeo nobis favere compertum est, ut, adversarii nostri litem amittant, necesse sit.

ARTICULUS I

Argumenta ex scripturis deprompta.

302. Quod ad scripturas attinet, non una solum ratione sententiam nostram eae tuentur. Primo enim Pauli verba nimis manifesta sunt, quibus diserte affirmat fuisse huiusmodi typos, qui vel futura praesi-

---

(*a*) In Matth. I, 22.

(*b*) Apud *Bauerum* Hermeneutic. sacr. §. 9. p. 43. Lipsiae 1797.

(*c*) Philologia sacra Lib. II. P. I. Tr. I. sect. 1.

(*d*) De legibus Hebraeorum ritualibus Lib. I. c. 11.

(*e*) Entwurf der typischen Theologie 2ᵗᵉ Ausg. Brem. 1763 8.°

(*f*) Neue Aufklärung der mosaischen Typologie. Iena 1799 8.°

(*g*) Untersuchung über die Typologie. Erlang. 1784 8.°

gnificarent (*a*), vel caelestia, divina, atque alia rebus corporeis ac terrenis sublimiora, proderent (*b*), vel mores recte informandos nos docerent (*c*). Sed et Petrus satis perspicue demonstrat, quae Noae eiusque familiae evenerunt ingruente diluvio, ea fuisse typum baptismatis, hoc vocans eorum ἀντιτυπον (*d*). Sed neque veteris foederis testimonia desunt. Auctor enim libri Sapientiae sic scribit de templo: *Et dixisti me aedificare templum .... similitudinem* (μιμημα) *tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio (e)*, id est, typum caeli. Psaltes canere aggrediens, quae Israelitis contigerant in deserto, ea vocat *parabolam* מָשָׁל et *aenigmata* חִידוֹת (*f*) non alia profecto de caussa, nisi quia aliud praeter id, quod erant, significabant, prorsus ut parabolae aliud significant praeter id, quod sonant (*g*).

303. Praeterea scriptores sacri ita de quibusdam sive personis, sive rebus, sive eventis, loquuntur, itaque haec omnia referunt, atque exponunt, ut vel ipsis adversariis id ultro concedentibus (*h*) constet, etsi scriptores illi non aperte id pronuntient, haec eadem habita ab ipsis fuisse tamquam typos, quales nos descripsimus, videlicet qui, non ob qualemcumque similitudinem, quam forte fortuna cum rebus aliis haberent, sed, ut cum Petro loquar, *definito consilio et praescientia Dei (i)* illas significarent. Quam vere id affirmemus, si certo nosse quis cupit, satis erit expendere quaedam exempla ex illis, quae hactenus protulimus in hac disputatione de typis (287. 290. 291).

304. Verum scriptores θεοπνευστοι non modo typos agnoscunt inter ea, quibus constat divinorum foederum οἰκονομια, neque modo personas, res, gesta, atque eventa, tamquam typos nobis tradunt, sed ea ipsa, quae de typis scripta sunt, neque possunt ut scripta de aliis in literalem sensum accipi, ita usurpant, ut quae non de typis scripta forent, sed de iis, quae per typos significabantur; quod non ex alia caussa profecto repeti potest, nisi quod certum atque indubium ipsis es-

---

(*a*) Rom. V, 14; Gal. IV, 24; Coloss. II, 17; Hebr. IX, 9; X, 1; XI, 19.
(*b*) Hebr. VIII, 5; IX, 23. 24.
(*c*) I Cor. X, 6. 11.
(*d*) I Pet. III, 20. 21.
(*e*) Sap. IX, 8.
(*f*) Ps. LXXVII, 2.
(*g*) Conf. cum hoc psalmo ea, quae habentur I Cor. X, 1-11.
(*h*) Vid. *Baueri* Hermeneutic. sacr. §. 8 sub finem.
(*i*) Act. II, 23.

set, quae de typis dicta sunt aut scripta, ea dicta quoque esse aut scripta de rebus per typos significatis; id tamen non aliter fieri poterat, nisi si aeque certo ipsis constaret, vim illam typis, qua aliud significarent, inditam divinitus fuisse. Veterum scripturarum verba, quae hac ratione a novi testamenti scriptoribus usurpantur, aliquot superius indicavimus (299). Iuvat praeterea animadvertere Christum ipsum eadem ratione nonnulla ex illis usurpasse. Nobile est illud psaltae effatum: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (a)*, quod et in Matthaeo (*b*), et in Marco (*c*), et in Luca (*d*), et in Actis (*e*), et in prima epistola Petri (*f*), transcriptum legimus, quodque, etsi psaltes de se loquatur, Christus tamen tamquam de se dictum usurpavit; qui autem id fieret, nisi quia psaltes eaque, quae huic contigisse verbis illis narrantur, typus Christi prophetici fuere?

305. Quid vero quod sacri scriptores, non solum ea praestant, quae huc usque enumeravimus, sed insuper momenta rationum desumunt vel ex typis, vel ex iis, quae de typis scripta sunt, ad aliquid arguendum aut confirmandum, quod ad res per typos hosce figuratas pertineat? Ita enim Paulus (*g*), ubi gentes ad Christum congregandas commemorat, Iudaeos quoque sperare iubet usus testimonio Isaiae, qui tamen loquitur de Israelitis vindicandis a servitute, qua illos Assyrii premebant (*h*). Idem Paulus, ut demonstret, quoniam *finis . . . legis Christus ad iustitiam omni credenti, . . . quae . . . ex fide est (i)*, ea profert, quae de vetere lege dixerat Moyses: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo (l)*. Idem ipse synagogam cum legibus mosaicis a Deo reiiciendam fuisse (*m*) arguit iis, quae de Agare et Ismaele narrantur in genesi, atque adeo ex illis verbis, quibus Deus Abrahamum iussit utrumque domo eiicere (*n*): *Eiice ancillam hanc et filium eius, etc.* Eodem modo divinam Christi υἱότητα (*o*) defendit, prolatis videlicet iis,

---

(*a*) Ps. CXVII, 22.
(*b*) Matth XXI, 42.
(*c*) Marc. XII, 10.
(*d*) Luc. XX, 17.
(*e*) Act. IV, 11.
(*f*) I Pet. II, 7.
(*g*) Rom. IX, 27 coll. 24.
(*h*) Is. X, 22. 23 coll. 5. 11 seqq. 24. 27.
(*i*) Rom. X, 4. 6.
(*l*) Ib. 8 ex Deut. XXX, 14.
(*m*) Gal. IV, 21-31.
(*n*) Genes. XXI, 10.
(*o*) Hebr. I, 5.

quae de Salomone Deus dixerat: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (a)*. Sed et alia huiusmodi apud Paulum reperias (*b*). Ipse autem Christus illis psaltae verbis, de quibus paulo ante diximus (304), usus est, ut evinceret, quid Iudaeis ipsi minime credentibus ab ipsomet foret exspectandum.

306. Aliud denique sententiae nostrae momentum biblia suppeditant, quod etsi ad aliquod ex iis, quae protulimus, reduci commode possit, praestat tamen peculiari illud consideratione persequi. Sunt autem ea oracula veterum scripturarum, quorum πλήρωμα apostoli et evangelistae, his dicendi formis adhibitis: *Et impleta est scriptura, Tunc adimpletum est, Ut impleretur*, harumque similibus, alia in re constituunt quam in ea, de qua oracula illa in literalem sensum accepta constat fuisse edita. Id autem fit in his novi testamenti capitibus: Matth. II, 15; XIII, 35; Io. XIII, 18; XV, 25; XIX, 36; Act. I, 16. Horum enim oraculorum duplex πλήρωμα agnoscamus necesse est; prius in ea re, ad quam pertinet sensus literalis, alterum in ea, qua oraculum *impletum* fuisse dicunt scriptores novi testamenti. Quare ad utramque rem pertinent oracula huiusmodi. At, qui possint ad posteriorem pertinere, quam literalis eorum sensus nullo modo refert, nemo divinabit, nisi rem priorem posterioris typum fuisse ponat. Ut autem argumento huic nostro suum maneat robur, demonstremus, oportet, loquutiones illas, *Ut impleretur, Tunc impletum est, etc.*, in summa ipsa verba *impleri*, πληροῦσθαι, τελειοῦσθαι, τελεῖσθαι, in his loquutionibus idem omnino valere, ac *fieri* seu *evenire* ea ipsa, ad quae oraculum allegatum pertinet, non autem alia his similia, de quibus tamen minime fuerit prolatum.

307. Quanti facienda sit haec sententia, nemo non videt, adeoque mirari subit fuisse atque etiamnum esse viros apprime catholicos, qui re aut verbo eam in dubium revocaverint (*c*). Si enim illorum verborum notio alia foret, dubitare utique esset, an vaticinia plurima, quae ea ratione ab apostolis atque evangelistis proferuntur, ad Christum vere per-

(*a*) II Reg. VII, 14.

(*b*) Rom. IX, 7. 8. 9. 13; Hebr. II, 13; VIII, 5.

(*c*) *Iansen. Gandav.* Concord. c. XI; *Maldonat.* in Matth. II, 15; *Vasquez* in Thom. 1. q. 1. disp. XIV. c. 5; *Wiseman* Dodici conferenze etc. conf. X in fine.

tineant, aut saltem eorum significatio scriptorum θεοπνευστων auctoritate, quae ipsam confirmet, destitueretur, praeter quam quod ineptius quid saperet oracula haec iis rebus, de quibus minime edita sunt, accommodasse ob quamdam solummodo similitudinem, quae fortuito inter illas intercederet atque inter eas, de quibus edita reapse fuerant. Plura porro habemus, quibus huius sententiae veritatem defendamus.

308. Nam, ut alii iam animadverterunt, loquutiones illae quamdam ἐνεργειαν prae se ferunt, qua compellimur in aliam prorsus significationem eas accipere, quam ut simplex comparationis forma sint, simplicemque annuntient rerum similitudinem. Geminas praeterea illarum loquutionum reperimus in vetere testamento, inque his ea ipsa verba usurpantur, quibus constanter usus est interpres syrus novi testamenti pro verbis πληρουσθαι, τελειουσθαι, τελεισθαι, ad eum modum, de quo quaerimus, adhibitis, verba, inquam מָלֵא, quod est πληρουσθαι *impleri*, et שָׁלֵם, quod est τελειουσθαι *perfici* sive τελεισθαι *absolvi*, neque unquam alio sensu, nisi eo, quem in novo testamento loquutionibus illis subesse dicimus, significant quippe fieri aut evenire illud ipsum, quod fieri aut evenire debebat, quia vel praedictum fuerat, vel promissum, vel, ut fieret, quacumque ratione praeceptum aut constitutum. Lege III Reg. II, 27 ; VIII, 15. 24 ; II Par. VI, 16 ; XXXVI, 21; Ps. XX, 5. 6, in quibus est verbum מָלֵא, et Iob.XXIII, 14 ; Is. XLIV, 28, in quibus verbum שָׁלֵם usurpatur. Sed et in novo testamento plura legimus, in quibus verbo *impleri* et similibus alia notio praeter hanc affingi nullo modo potest, quum certum sit ea de re haec praedicta fuisse, qua impleta esse dicuntur ; ex his pauca indicasse sufficiet, in quibus, quod affirmamus, vel ipsi Sociniani nequeant non pervidere : Matth. II, 23; Luc. I, 20 ; XXIV, 44 ; Io. XVIII, 9. 32 ; Act. III, 18 ; XIII, 33.

309. Si cui itaque dubia est sententia nostra, duae regulae praesto ei sunt ex praecipuis, quibus dubitationem omnem secure depellat, parallelismus verborum (193. 194), quamque fuisse hic idem prodit, ratio loquendi (248 seqq.). Haec quippe, quod attinet ad illum usum verbi *impleri* et similium, constans fuit atque indubia scriptoribus veteris testamenti, quantum ex bibliis colligere est. Sed et testamenti novi scriptoribus constantem fuisse conficimus tum eo ipso, quod superioribus illis talis fuerit, nullaque appareat caussa vel le-

vissima, cur debuerit immutari, tum etiam eo, quia, quoties in novo testamento certa et manifesta est loquutionum illarum illorumque verborum significatio, quod non raro fieri vidimus, nulla alia ea sit praeter illam, quam loquutionibus ac verbis illis semper esse contendimus, quamobrem et in ceteris capitibus, in quibus cuiquam dubia aut minus perspicua esse videtur, eamdem nihilominus esse tuto possumus affirmare, Augustini praeceptum observantes, quod nemo vel κριτικωτάτων aetatis huius scriptorum nisi ἀκρίτως carpere queat: *Ubi autem apertius ponuntur (verba scripturae), ibi discendum est, quomodo in locis intelligantur obscuris (a).*

310. Neque multum habet sententia nostra, quod sibi timeat ab auctoritate scriptorum aliquot syrorum, qui syriace scribentes, ea nempe lingua, quae linguae apostolorum atque ipsius Christi proxima est, tales dicendi formulas adhibuerunt, quum verba scripturarum aliis rebus accommodarent quam iis, de quibus fuerant prolata (*b*); id, inquam, nihil habet momenti, quo quis pervincat, talem illarum formularum usum proprium quoque fuisse sermoni eorum, qui novum testamentum literis consignarunt. Nam, praeter quam quod nemo ex illis auctoribus syris adeo vetustus sit, qui non trecentis ferme post annis ab editione novi testamenti absoluta floruerit, ea videlicet aetate, qua credere est sermonem Syrorum magis ac magis discrepasse a sermone syrochaldaico, quo Christus et apostoli loquebantur, omnes Christiani sunt, omnesque illis dicendi formis utuntur tunc solummodo, quum scripturarum testimonia proferunt, ex quo apparet, non ex more loquendi formas illas ita ab eis adhibitas repeti debere, sed alia prorsus ex caussa; quaenam autem haec sit, facile est pervidere. Qui enim volumina patrum manu versant, norunt eos more ac modo scriptorum sacrorum iisdemque dicendi formis loquutos subinde esse ac scripsisse, cui rei comprobandae locupletissimum testimonium praesto est, Augustini, inquam, ita scribentis: *Tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut, qui in scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias locu-*

(*a*) Doctr. christ. L. III. c. 26. (*b*) V. *Wiseman* l. c.

tiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas, quas in scripturis didicerunt, neque in latinae linguae auctoribus reperiuntur (a). Quum itaque scriptores christiani et oracula scripturarum, ut notum est, aliis diversisque rebus accommodarent, et ipso scripturarum sermone interdum scriberent, atque etiam loquerentur, difficile factu non fuit, ut quandoque utrumque contingeret, id est, ut simul oraculorum sensum accommodarent rebus aliis, simulque id facerent usurpata illa ipsa dicendi forma, quam scriptores sacri in oraculis transcribendis atque explicandis usurpare consueverunt; idque eo vel maxime, quod rerum similitudo formulam illam dicendi suggereret, quum revera id factum esset, quod scriptum est in oraculo, illud, inquam, *quod* oraculi verba a reliqua oratione et libri contextu divulsa ac seorsum accepta sonare possunt, etsi non id factum esset, *de quo* illud editum et scriptum est. Totum vero id confirmatur ea ratione, quod *καταχρηστικος* iste usus verbi *impleri* ut ut reperiatur, licet raro, apud veteres scriptores christianos, atque adeo apud illos, qui graece scripserunt, puta, apud Clementem Romanum (*b*), numquam tamen apud alios; quibus e contrario haudquaquam incomperta fuit illa huius verbi notio, quam defendimus, nam apud Herodotum haec legimus: Ὥστε *ἀποπλησαι τον χρησμον* . . . *τον περι της ναυμαχιης ταυτης εἰρήμενον* *Ut impleretur oraculum de hac navali pugna prolatum (c)*, apud Tullium vero: *Ne aut id profiteri videar, quod non possim implere (d).* Lege Lexicon Forcellini (*e*).

311. Si igitur ista vis est ac significatio loquutionum illarum, argumento ex iis deprompto ad nostram de typis sententiam comprobandam robur suum integre perstat. Quamobrem nemini iam, qui divinam veteris ac novi testamenti auctoritatem suspiciat, quantum hactenus disseruimus, integrum est typos respuere atque explodere, aut inter eos et inter rem, quam significabant, nil deprehendere, nisi fortuitam quamdam similitudinem. Cui rei commode faciunt haec verba unius ex Protestantibus huius aetatis, M. Christiani Wahlii: *Probe tenendum est*

(*a*) Doctr. chr. L. II. c. 14.
(*b*) Ep. ad Corinth. §. 3.
(*c*) Lib. VIII. §. 312.
(*d*) Pro Cluent. §. 18.
(*e*) Ad v. *Impleo.*

ex mente scriptorum novi testamenti nihil evenisse vel evenire potuisse Iesu et rei christianae, cuius vestigia et lineae primae non inveniantur in veteris testamenti libris (a). Talemque scriptoribus illis sententiam fuisse, quam refert Wahl, neque ii negare ausi sunt, quos acrius in typos inque spiritalem scripturarum sensum invectos esse novimus (*b*).

ARTICULUS II

Patrum auctoritates.

312. Quaenam vero patribus vel omnium vetustissimis sententia fuerit de typis, sive propheticis, sive anagogicis, sive tropologicis, neminem latet, qui aliquot plagulas perlegerit ex eorum commentariis. Non itaque operae pretium est, quae patres hac de re habent, in nostram disputationem congerere, nisi forte, qui prisca aetate vixere, quo plenius appareat doctrinam de typis ab ipsis apostolis in ecclesiam fuisse invectam, quod tamen nemo adversariorum ausus huc usque est in dubium revocare.

313. Primus nobis occurrit Barnabas, qui in sua epistola (*c*) plures typos commemorat, ut qui significarent personas, res, atque gesta ad novum foedus pertinentia; notabile autem est illud ipsius Barnabae: *Ut impleretur figura facta in Isaac, qui super altare fuit oblatus (d).* Clemens Romanus in funiculo coccineo, quem Rachab Hierichuntina fenestrae appendit, ut narratur in libro Iosuae (*e*), agnoscit typum propheticum significantem, *quod per sanguinem Domini futura esset redemptio omnibus credentibus et sperantibus in Deum (f).* Iustinus in dialogo cum Tryphone docet, in vetere foedere *multa arcane aut in parabolis dicta, aut mysteriis et actionum quarumdam symbolis adumbrata, a prophetis post eos, qui haec dixere, aut egere, exortis fuisse explicata (g).* Item,

(*a*) Clavis N. T. philologica sub v. Πληροω.

(*b*) V. *Bauerum* Hermeneut sacr. §. 8 sub fin.

(*c*) §§. 7-16.

(*d*) §. 7.

(*e*) Ios. II, 18.

(*f*) Ep. ad Corinth. §. 12.

(*g*) §. 68.

omnia . . . . a Moyse instituta . . . . imagines, et signa, et praenunciationes fuisse Christi et novi testamenti (*a*), atque *illius symbolum fuisse . . . ea, quae omnibus iustis eventura erant (b). Interdum enim Spiritus sanctus efficiebat, ut clare aliquid et aperte fieret, quod quidem imago esset futuri, interdum autem et sermones pronunciavit de futuris rebus (c).* Ac demum pluribus typis explanatis ita concludit: *(Iesu) res omnes his symbolis praesignificabantur (d).* Irenaeus haec scribit: *Per typos et parabolas (Christus) designabatur (e). Oportebat enim quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis, quaedam vero deformari secundum formationem Christi ab his, qui adoptionem perceperunt, omnia vero in uno Deo ostenduntur. Quum enim unus esset Abrahaam in semetipso praefigurabat duo testamenta (f).* Haec Irenaeus, qui et typos complures in suis libris declarat (*g*). Clemens Alexandrinus enumeratis atque illustratis aliquot typis *(h)* haec subdit: *Hic est ergo typus et figura legis et prophetarum, quae fuit usque ad Ioannem, ... (qui) eam, quae a longinquo in apertum veniebat, indicando praesentiam revera solvit finem eloquiorum de dispensatione carnis detecta notione symbolorum (i).* Tertullianus etiam plura in sententiam nostram pronuntiat, summatim vero *figurata fuisse vetera in Christum (l)*, ac plurimos passim typos producit (*m*), quorum πλήρωμα deprehendit in novo testamento, id vero praestat potissimum in libro adversus Iudaeos, sub cuius finem ita scribit: *Primus (Christi) adventus et plurimis figuris obscuratus et omni inhonestate prostratus canebatur (n).* Hippolytus his nos admonet verbis: *Ne modo, qui Deo credimus, ea, quae nunc in ecclesia fiunt, tamquam nova ac peregrina*

(*a*) §. 42.
(*b*) §. 86.
(*c*) §. 114.
(*d*) §. 131.
(*e*) Haeres. L. IV. c. 26 al. 43. §. 1.
(*f*) Ib. c. 25 al. 42. §. 3.
(*g*) Ib. §§. 1. 2; c. 31 al. 50-51. §§. 1. 2. 3; c. 33 al. 65. §. 10.
(*h*) Stromat. L. V. §§. 6. 8.
(*i*) Ib. §. 8.
(*l*) Adv. Marcion. L. V. c. 7.
(*m*) De baptismo c. 9; de idololatr. c. 5; adv. Prax. c. 16; adv. Marcion. L. III. cc. 7. 16; L. IV. c. 35.
(*n*) C. ult.

existimemus, sed cuncta haec olim per patriarchas figurata credamus, quemadmodum etiam apostolus ait: Haec autem in figura contingebant illis (a). Nec minus aperte loquutus est Cyprianus: *Invenimus denique et patriarchas, et prophetas, et iustos omnes, qui figuram Christi imagine praeeunte portabant (b)*; typosque nonnullos et ipse commemorat (*c*). Missum faciam Origenem, qui in typis defendendis ulterius progressus esse fertur, ac rei veritas ferret. Imo, ne in comprobanda re adeo perspecta, ut est patrum de typis sententia, operam abutamur, eorum, quos citavimus, agmen claudat Augustinus, qui de Christo ita scripsit: *Cui prophetando venturo gens una deputata est, cuius reipublicae tota administratio prophetia esset illius regis venturi et civitatem caelestem ex omnibus gentibus condituri (c).* Lege etiam Hieronymi epistolam ad Paulinum (*d*).

314. Verum praetereundum non est testimonium ecclesiae romanae, quod vetera monumenta nobis conservarunt. In his selecta quaedam ex iis, quae in bibliis narrantur, sculpta aut picta conspicias, simulque ea permixta, quae in vetere testamento, quaeque in novo, descripta sunt. Hoc autem non ad ornatum solummodo decoremque pertinuisse, sed et ad morem, qui penes priscos Christianos obtinebat, ut nostrarum religionum ac doctrinarum mysteria documentaque his veluti symbolis obtegerent, non una ratio est, cur credamus; cui quidem rei edisserendae nunc locus non est. Est tamen e re nostra illud, quod quaedam deprompta ex historia veteris testamenti cum aliis, quae sunt in testamento novo in monumentis praedictis coniuncta ac veluti comparata ferme cernantur, atque ita, ut nullam aliam coniunctionis et comparationis huius caussam divinare sit, quam quod priora posteriorum τυπους artifex esse putaverit. Cuius rei specimen luculentissimum, nisi fallor, habes, ubi Moyses conspicitur aquas eliciens e rupe, ac prope ipsum Petrus a satellite comprehensus; hae enim duae historiae una

(*a*) De Susanna v. 17.

(*b*) De bono patientiae p. 250 ed. *Baluzii.*

(*c*) Ib. et ad Magnum ep. LXXVI.

(*d*) De consensu evangelistar. L. I. c. 11. §. 17

(*e*) Ep. LIII al. CIII. §. 8.

prope aliam exprimi ferme solent, ut videre est in sarcophago ad divi Pauli dudum eruto inque aliis apud Bottarium (*a*), quodque caput est, ambae imagines Moysis et Petri eamdem plane vultus atque habitus formam praeferunt, adeoque illam ipsam, qua sunt vetustae imagines Petri. Reperias imo historiam utramque unica effigie expressam, ita, inquam, ut unus idemque, dum aquas elicit, a satellite comprehendatur, quem tamen facies ipsa prodit eadem omnino, ac aliarum Petri imaginum, quae in ipso monumento visuntur (*b*). Denique, quod dubitationem omnem procul amandare nos cogit, fundus cuiusdam vasculi vitrei, a Boldettio reperti in coemeteriis, exhibet Moysis aquas e rupe elicientis effigiem ea vultus forma, qua Petrus effingi solet, post tergum autem huic effigiei adscriptum legitur: PETRVS (*c*). Sed et hoc aliud non levis momenti esse videtur. In monumentis praedictis cernere frequenter est Christum coram Pilato, qui pro tribunali in eum sententiam dicit. In sarcophago autem Iunii Bassi praefecti Urbis (*d*) inque alio huius ferme simili apud Bottarium (*e*) altera extremitas iudicium illud marmore exsculptum exhibet, altera sacrificium Abrahami, ita ut appareat ex situ ipso alteram historiam alteri respondere. Utramque autem, quod sane nequeas non mirari, simul coniunctam ac veluti commixtam reperies in alio quodam sarcophago, quem Bottarius idem tibi ostendet (*f*), atque ita ut coram Pilato non Christus sit, sed Isaac flexis genibus, quem supra Abraham gladium attollit. Huic non absimile est illud, quod subdimus. Arcam Noae baptismi typum fuisse, Petro (*g*) testante, religio est dubitare. Arca haec inque ea Noe, ad quem columba revertitur rostro olivae ramusculum gestans, saepe efficta cernitur in praedictis monumentis (*h*), effictam autem in his esse, ut quae typus fuerit salutis per baptismum sperandae manifesto demonstrant picturae coemeteriorum, in quibus et arcam et columbam videas,

(*a*) Sculture e pitt. estr. dai cimit. Tav. XXXVI. XL. LXXXIV. LXXXV. LXXXIX. CXXXIV. CXCV.

(*b*) *Bottari* Ib. Tav. XXXII. XLIX. n.° 7.

(*c*) Osservazioni sopra i cimiteri L. I. c. 39. Tav. 5. p. 200.

(*d*) *Bottari* op. cit. Tav. XV. nn.° 1. 5.

(*e*) Ib. Tav. XXXIII.

(*f*) Ib. Tav. XLIX. nn.° 5. 6.

(*g*) I Pet. III, 20. 21.

(*h*) *Bottari* Ib. Tav. XXXVII. XL. XLI. LIX. LXXII. LXXXVIII. CI. CXVIII. CXXXI. CXLII. CLXV. CLXXI. CLXXII. CXCIII. CXCV.

in arca tamen, non ipsum Noem, sed Christianum manibus sublatis precantem (*a*); his nimirum imaginibus τυπον et ἀντιτυπὸν simul coniuncta ecquis non pervideat? qua de re si forte adhuc dubitas, inspice sarcophagum Iulianae, qui in aedibus vaticanis bibliothecam inter et musaeum visitur, inque eo, non ipsum Noem nec Christianum, sed feminam in arca precantem manibus item sublatis reperies. Haec autem, quae retuli, debeo ex parte sodali meo Iosepho Marchio, viro horum monumentorum scientissimo.

ARTICULUS III

Auctoritas synagogae.

315. Sed iam ipsos Israelitas testes citemus. Quos, ut callide animadvertit Ioannes Marchettius, *si caussam roges, cur tota vita Messiam suum opperiantur, videas eos producere ex bibliis ea ipsa testimonia, quibus nos ipsi utimur. Haec tamen, sive vaticinia sint, sive typi, si in eos retorqueas, atque demonstres in Christo impleta fuisse, videas eosdem ipsos singula haec aliis personis accommodare atque aliis eventis, quibus in vetere historia locus est. Qua agendi ratione eo sese adigunt, ut simul vincere conentur vix quidquam ad futurum redemptorem spectare in illis scilicet libris, quos totos de eo scriptos esse contendunt.* At, si ratione se facere putant, quum ita agunt, fateantur, oportet, quae de Messia scripta sunt, et de aliis scripta ea esse, quod tamen fieri nequit, nisi alia haec Messiae symbola fuerint ac typi.

316. Verum necesse non est huius rei veritatem aut vi ex Iudaeorum ore extorquere, aut eorum aberrationibus comprobare, quum plura, quam opus sit, argumenta iidem ipsi nobis suppeditent. Rem quippe ita se habere firmissime credunt, diserteque docent, quod etsi non facerent, quaenam tamen ipsis ea de re sententia sit, ipsorum commentarii cuivis patefaciunt. Quum enim passim praeter literalem sensum, quem verum

(*a*) *Id.* ib. Tav. LXV. CIII. CXX. CXXIII. CLXXXIII.

(*b*) Il cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri etc. P. II. §. 19.

esse minime dubitant, sensus alios ex scripturis exsculpant, quos ipsa verba, ut sunt in solido et contexto sermone bibliorum, nequaquam referunt, dicendi sunt putare sensus illos ipsi bibliorum materiei rebusque ipsis inesse atque ex ea in verba derivari. Ex innumeris paucissimos, qui clarius loquuntur, et quorum in hac quaestione auctoritas pluris est facienda, allegemus. In libro Iosephi Albo, cui titulus est *Sepher ikkarim*, ista legimus: *Reperiuntur in lege multa, quae sapientes omnes fatentur signa esse rerum inclytarum, sublimium, rerumque spiritualium, qualis est descriptio horti Edenis et quatuor fluviorum, et cetera*; *non tamen negant verum eorum exsistentiam secundum literalem sensum, verum dicunt res illas, quae sic exstant revera, signa esse praeterea rerum praestantiorum superiorum . . . . Similiter dicunt Ierusalem inferiorem figuram esse Ierusalem superioris . . . Quemadmodum neque negamus exstitisse Ezechielem et per se spectasse finem praestantissimum, sicut alii prophetae, quia de eo scriptura ait: Et erit vobis Ezechiel in parabolam (a). Sic intelligimus esse in lege res, quae sunt signa rerum aliarum praestantiorum et sublimiorum, quae tamen revera exstant secundum sensum literalem . . . Hinc vocatur lex Testimonium, ut diximus, ad significandum illa, quae exhibet, revera exsistere secundum literalem sensum, neque figuram illis tribui, qua simplex veraque eorum exstantia destruatur (b).* Inter plurima, quae suppeditant commentarii Salomonis Iarchi et Davidis Kimchi, pauca haec seligamus ex commentariis de psalmis. De psalmo II ita Iarchius: *Doctores nostri exposuerunt sensum (psalmi huius) de rege Messia. Et secundum literalem sensum, et ad respondendum Haereticis*, id est, Christianis, *convenit illum interpretari de ipso Davide*; et psalmum LXXI, quem ipse exponit tamquam scriptum de Davide et Salomone, ait a doctoribus ut ad Messiam pertinentem totum, quantus est, enarrari. Kimchius vero item de psalmo II haec sub eius finem loquitur: *Unctus (c) est rex Messias, et sic exponunt magistri nostri bonae memoriae, et per-*

(a) Ezech. XXIV, 24.

(b) Lib. III. c. 21 apud *Io. de Voisin* adnot. in Pugion. fidei *Raymundi Martini* Prooem. f.° 70.

(c) Ps. II, 2.

spicuus est psalmus hac ratione. Sed probabilius dixit illum David de seipso, sicut interpretati sumus; et psalmum LXXI docet scriptum esse de Davide et de Salomone, sed addit: *Quidam exponunt hunc psalmum de rege Messia, sicque vocant eum in libro Cantici canticorum Salomonem etc.* Abarbanel, unus ἐκ τῶν εὐφυεστάτων Iudaeorum, docet inter cetera egressionem Israelitarum ex Aegypto esse *testimonium clarum redemptionis futurae (a)*, huiusque *argumentum magnum, et redemptionem futuram cum egressione ex Aegypto esse colligatam (b).* Idem ille plures affert paschatis significatus (c); de tabernaculo autem haec scripsit: *In opere tabernaculi et ceteris praecipua intentio fuit, ut sint tamquam liber sapientiae altioris et rei gloriosae, ad quam ipsa diriguntur (d).* Mendelsshon, quem, licet Iudaeus foret, suspicio tamen est ne Pseudosophistis huius aetatis, adnumerare debeamus, obstupente typorum hoste Banero (e), *in praefatione ad ecclesiasten*, *quem brevibus notis dialecto hebraeorabbinica explicuit, illam (typologiam) tuitus est.* Cui quidem popularium suorum sententiae de typis refragatus Aben Ezra (*f*) fateri tamen cogitur in quibusdam scripturarum locis mysteria abdita esse, quin et psalmos nonnullos ait aeque pertinere ad Davidem ac ad Messiam; ita enim scribit de psalmo II: *Mihi quidem videtur psalmum hunc composuisse unus ex cantoribus super Davidem eo die, quo unctus est, propter quod scriptum est*: *Ego hodie genui te*, *aut super Messiam (g)*; et de psalmo XLIV: *Iste psalmus dictus super Davidem aut super Messiam filium eius, quia sic nomen eius*: *Et David servus meus princeps ipsis in saeculum (h)*; et, quae in psalmo LXVIII sub finem leguntur, ea ait futura fuisse *in diebus Davidis aut in diebus Messiae (i)*; de psalmo LXXI autem: *Et iste psalmus dictus est*

(a) In Daniel. f.° 86.

(b) Zebach pesach. f.° 51.

(c) Apud *Frischmuth* De agno Dei, in Thesauro theolog. philolog. T. II. p. 365. Amstel. 1702.

(d) Comment. in parascha תרומה sub finem.

(e) Hermen. sacr. §. 9. p. 36. Lipsiae 1797.

(f) Praef. in legem §. 4.

(g) In Ps. II, 1.

(h) In Ps. XLV, 2 ex Ezech. XXXVII, 25.

(i) In Ps. LXIX, 37.

super Davidem aut super Messiam, quia sic est nomen eius: Et David servus meus princeps ipsis in saeculum (a). Ceterum, quomodo uonnulla ex veterum scripturarum testimoniis in sensum spiritalem ac τυπικον accepta a scriptoribus novi testamenti in eumdem sensum acceperint scriptores quidam Iudaei, videre est apud Io. Devoisininm (*b*). Ex quibus Iudaeorum auctoritatibus ita in rem nostram coucludimus. Si, quae de personis, aut de rebus, ant de eventis quibusdam, scripta sunt in lege et prophetis, ea scripta quoque esse de Messia rebusque futuris Iudaei illi arbitrantur, hi sensere profecto posteriora haec per priora illa praesignificata fuisse, nimirum ut ἀντιτυπα δια τυπων.

317. Ne vero quis suspicetur sententiam hanc apud Iudaeos uovitiam esse, obstant monumenta ac testimonia luculeutissima tum eorum Iudaeorum, qui aliqua aetate post Christum vixere, tum eorum, qui Christo suppares fueruut aut etiam aequales, tum denique eorum, qui Christo vetustiores pluribus etiam saeculis habentur.

318. Ex iis, qui aliqua aetate post Christum vixere, praesto nobis est auctoritas doctorum gemaricorum, qui sic pronuntiant: *Dedit nobis Deus formas tabernaculi, sanctuarii, et omnium vasorum eius, candelabri, mensae, et altarium,* לציורים שכליים *in typos rerum intellectualium, et ad intelligendum ex his veritates supernas (c).* Hos vero ita seutientes poue sequutos esse magistrorum suorum vestigia, doctorum, inquam, mischuiacorum seu δευτερωτων, comperimus ex his, quae scripsit Eusebius: *Similiter Hebraeis id moris est, ut hominibus animo adhuc infantibus divinae scripturae historias, fabularum quarumdam instar, simplicius nudiusque tradant. Iis vero, quibus mentis habitus fuerit exercitatione robustior, altius illud doctrinaeque plenum contemplationis genus tractare concedunt, quod illa, quam vocant,* δευτερωσι *et illustriore quadam ignotorum vulgo sensorum explicatione continetur (d).*

319. Christo aetate suppar fuit Flavius Iosephus. Is significatum ἀναγωγικον agnoscit in toto opere atque instrumento tabernaculi et in

(*a*) In Ps. LXXII, 2 ex Ezech. XXXVII, 25.
(*b*) Op. cit. f.° 124-134.
(*c*) Berachoth c. 5 sub fin.
(*d*) Praep. ev. L. XII. c. 4. Vide et L. XI. c. 5; L. XII. c. 1.

vestibus sacerdotum. Scribit enim haec: *Si quis tabernaculi fabricam animo contempletur, et sacerdotis vestimenta respiciat et vasa, quibus in sacro ministerio utimur, legislatorem nostrum virum divinum fuisse comperiet, falsoque nobis impietatis calumniam ab aliis impingi. Nam et horum unumquodque ad imaginem alicuius in rerum universitate et similitudinem factum inveniet quisquis, procul habens invidiam et iudicium adhibens, singula expendat (a).* In universum autem de legibus a Deo per Moysem latis haec profert: *Omnia summa concinnitate iuxta universi naturam sunt disposita .... Horum causas si cui in animo est singillatim perpendere, ei multa suborietur contemplatio et valde philosophica, quam quidem ego in praesens omitto, Deo autem tempus nobis suppeditante, opere hoc absoluto, ad illa quoque perscribenda aggrediar (b).*

320. Quid porro de typis senserint Iudaei Christo aetate aequales, is solum ignorare potest, qui libros novi foederis nec semel pervolverit. Neque enim modo horum librorum auctores, iique Iudaei, typos agnovere (302 - 306), sed, neque ipsi Iudaeorum genti de typis deque horum significatione aliam ea, quae nobis est, sententiam fuisse, ex illis iisdem libris manifesto colligimus. Saepius quippe in iis videas (305), ut scite animadvertit Io. Marchettius, *Christum atque apostolos in Iudaeos adversarios contestari typos hosce, explicare, homines convincere; neque tamen ab his semel saltem vel minimum de argumenti veritate dubitatum esse. Non raro reperies perversum ab iis fuisse sensum verborum, quae in sacris voluminibus sunt, idque etiam in illis, quae potissimum habent momentum, ut inter cetera apparet ex illo Redemptoris effato* DICTUM EST ANTIQUIS *(c); verum intelligentia huius alterius significationis, qua res atque eventa Christum significare credebantur, adeo obvia vulgo atque omnibus veluti familiaris fuit, ut satis esset eam populo in mentem reducere, quo ille continuo assentiret (d).*

(a) Antiq. L. III. c. 7. §. ult.
(b) Ib. Prooem. §. 4.
(c) Matth. V, 43; Marc. VII, 10. 11. etc.
(d) Il Cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri etc. P. II. §. 19.

321. Neque alia fuit aevo illo Iudaeis extra Palaestinam commorantibus sententia. Huius enim rei testem locupletissimum habemus Philonem Alexandrinum, cuius opera fere omnia nil sunt nisi explicatio sensus *symbolici* et *typici*, quem idem inesse putavit personis, rebus, eventis, et gestis, in pentateucho commemoratis. Ut aliqua ex eo promamus exempli caussa, Abraham, Isaacum, et Iacobum (*a*), circumcisionem et caeremonias (*b*), tamquam typos nobis exhibet, resque istas inter atque inter earum significationes discrimen quod sit, his verbis edicit: *Praestat haec tamquam animae, illa tamquam corpori similia putare (c).* Sed insigne est, quod scripsit instituta comparatione Verbum inter ac pontificem maximum: *Quod si et summum pontificem Verbum examinabis, concinentem deprehendes etc. (d). Summum pontificem dicimus, non hominem, sed Verbum divinum esse omnium tam voluntariorum quam involuntariorum exspers etc. (e).* Quibus Philonem Paulo (*f*) concinentem audire tibi videare.

322. Sed etiam praesto sunt, qui nobiscum senserint, ex iis, qui ante Christum vixere, Iudaeis. Celebris apud illos fuit secta eorum, qui Therapeutae a Philone vocantur; de his autem idem Philo haec memoriae prodidit: *Versantes enim sacra volumina philosophantur, patria philosophia allegorice exposita; putant enim ea, quae verba ipsa sonant, esse symbola latentis naturae per figuras manifestatae. Habent vero et commentarios priscorum virorum, qui, sectae auctores quum essent, multa monumenta de allegoriis reliquerunt; quibus veluti exemplaribus utentes huius instituti rationem imitantur (g).* Sed etiam Essenis eamdem sententiam eumdemque morem fuisse satis indicat Philo: *Plura ipsi symbolorum ope veteres aemulati philosophantur (h).* Alia monumenta nobis veluti porrigit libellus Aristeae, qui utrum genuinus an spurius haberi debeat, modo non disputo, id enim mihi

---

(*a*) De Abrah. p. 357 edit. *Turnebi* 1691.
(*b*) De migratione Abrah. p. 402.
(*c*) Ib.
(*d*) Ib. p. 404.
(*e*) De profugis p. 466.
(*f*) Heb. VII, 26-28.
(*g*) De vita contemplativa p. 893.
(*h*) Quod omnis probus sit liber p. 877.

satis est, quod aetate Christo prior sit annuente ipso Humfrido Hody, qui illius γνησιότητα valide prae cunctis impugnavit (*a*). Refert itaque Aristeas sermonem Eleazaris pontificis maximi, quo ipsi socioque suo Andreae tropologicam significationem aperuit nonnullorum ex iis, quae lex praecipiebat; aiebatque: *His itaque quasi symbolis quibusdam legislator voluit ostensum intelligentibus, ut cogitarent se debere esse iustos, et nihil per vim agere, neque fiducia potentiae et virium suarum alios opprimere . . . Quae nobis concedit in omnibus, . . . figurate id ad morum informationem statuit (b).* Ceterum longa aetate ante Christum synagogae eam de typis sententiam fuisse, quam dicimus, aperte demonstrant illa, quae ex libris veteris foederis iam protulimus (290. 291. 302). Neque praetereundus est Ioannes Iahn, homo in typologia urgenda profecto haud nimius, qui arguit ex capite LIII Isaiae compertum prophetae huic fuisse, *symbolicis . . . . substitutionibus victimarum in locum transgressoris aliquam significari veram substitutionem Messiae in locum peccatorum (c).*

323. Ea, quae contra hoc argumentorum genus regeri possunt, diluemus una cum ceteris, quae adversarii in oppositam sententiam disputant (379 seqq.). Interea vero duo animadvertimus. Unum est, plura Iudaeorum sive veterum sive recentiorum testimonia, quae a typologiae adsertoribus proferri solent, puta, Aristobuli (*d*), Philonis, aut Maiemonidae (*e*), consulto nos praeterire, quippe quae non ad typos aut ad sensum spiritalem scripturarum pertinent, sed ad rhetoricas allegorias aut ad mera symbola. Alterum est, auctoritates, non modo quas ex Iudaeis, sed etiam quas ex patribus protulimus, haudquaquam eo tendere, ut probemus omnia reapse pro typis habenda esse, quaecumque veluti typi ab illis commemorantur, multoque minus eam ipsam significationem spiritalem ex hisce omnibus certo colligi, in quam horum quodlibet sive a Iudaeis sive a patribus accipitur, sed eo dum-

---

(*a*) De bibliorum textibus originalibus L. I. c. 20. §. 2.

(*b*) Apud *Euseb.* Praep. ev. L. VIII. c. 9 et in fine operum *Iosephi* T. II. p. 117 edit. *Haverc.*

(*c*) Archaeolog. §. 384.

(*d*) Ap. *Euseb.* Dem. ev. L. VIII. c. 10.

(*e*) Praef. in More nebochim.

taxat, ut, Iudaeorum non minus, quam Christianorum, sententia de typis qualis semper fuerit, constet manifesto.

ARTICULUS IV

Rationes.

324. Si nulla alia forent rationum momenta, quibus confirmaremus divinorum foederum οἰκονομίαν typis a Deo instructam fuisse, magna tamen huic sententiae gravitas accederet ex comparatione sedulo ac diligenter instituta inter ea, quae in veteris, atque inter ea, quae in novi testamenti libris commemorantur. Ex hac enim comparatione cuilibet, qui animum praeiudicatis opinionibus occupatum non gerat, fieri nequit, quin appareat mira illa utriusque foederis connexio, neque iam ea solummodo, quae inter diversas unius eiusdemque historiae alicuius partes deprehenditur, aut quae inter praedictiones et inter rerum praedictarum exitus, etsi utraque haec connexio in hoc, de quo agimus, perspicua prorsus sit, sed ea, quae esse solet inter imaginem atque inter id, quod imago repraesentat. Haec vero non huius loci est demonstrare, neque enim aliter fieri posset nisi comparationem ipsam instituendo, quod longum sane opus foret atque operosum. Auctor itaque sum studiosis sacrarum literarum, ut legant Augustini contra Faustum disputationem (*a*) et libros de Civitate Dei (*b*), itemque Παραλληλισμὸν *veteris testamenti cum novo* a Petro Daniele Huetio habitum, qui dimidia ferme pars est operis sui, cui titulus est *Demonstratio evangelica (c)*, peculiariter autem ea, quae congessit in caput CLXX, atque item librum Io. Marchetti, cui titulus est *Il cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri anche a chi non li crede*, praesertim P. I. §. 21 et P. II. §§. 18. 19.

325. Hoc unum tantummodo addam, huc pertinere potissimum, utpote quae connexionem illam plenius manifestiusque nos docent, ea veteris testamenti capita, quibus sermo simul et promiscue est de duo-

(*a*) Lib. XII. cc. 6-38.
(*b*) Libb. XI-XVII.
(*c*) Prop. IX.

bus, re quidem distinctis, attamen quasi si unum atque idem essent. Cuius generis mysteria declarare frustra adnitaris, nisi ponas id in tantum fieri, in quantum illorum unum alterius imago praenuntia est sive typus; qua de re iam in hac dissertatione loquuti sumus, eiusque specimina dedimus (87).

CAPUT XI

Quaestiones aliquot de typis.

326. Quo plenius typorum naturam totumque eorum σύστημα perspecta habeamus, priusquam ulterius in hac tractatione progrediamur, et quo nonnulla occupemus, quae in contrariam sententiam produci possent, iuvabit quaedam expendere ac declarare, quae de typis quaerere est.

QUAESTIO I

Quomodo typi innotescant.

327. Non una ratio est, qua typos cognoscamus. Atque illa prima et potissima, quum ipsi scriptores bibliorum expressis verbis affirmant aliquid typum fuisse, figuram, umbram, aut exemplar Christi, ecclesiae, aliarumque rerum sive futurarum, sive caelestium ac divinarum, sive ad mores pertinentium; cuius rei specimen tibi exhibent plura eorum, quae iam protulimus ex novo foedere (286. 295). Alterum ad typos cognoscendos indicium habemus, quum iidem illi scriptores tamquam de Christo, de ecclesia, deve alia rerum illarum, scripta aut dicta accipiunt ea verba, quae, si literalis atque obvius ipsorum sensus consideretur, nequaquam de illis scripta sunt aut dicta; hoc enim concludimus alium praeterea sensum illis verbis subesse, spiritalem videlicet, idque ideo, quia personae, res, atque eventa, de quibus dicta seu scripta fuerant, τυπικῶς id significarent, de quo in sensum utique spiritalem verba illa scripta ac dicta fuisse docemur a scriptoribus novi testamenti; cuius quoque rei non unum specimen superius habes (299).

Praeterea, quum ratio typorum, qui magno numero indicantur ab apostolis et evangelistis, illa ipsissima sit, quae et aliarum personarum, rerum, atque eventorum plurimorum, atque inde iure illud arguamus, quod tota divinorum foederum οἰκονομια, quae Christi obitum praecessit, si universim spectetur, eam praesignificaverit, quae eumdem hunc obitum subsequuta est, iure etiam arguemus typos fuisse ea omnia, quae inter interque ea, quae ad novum foedus pertinent, manifesta intercedit analogia, quamquam nihil de his novi foederis scriptores nobis tradiderint, ut sunt arbor vitae (*a*), foedera a Deo inita cum Abrahamo (*b*) et cum Israelitis (*c*), caper emissarius (*d*), etc. Ad hoc genus revocantur alia quoque, puta, caeremoniae nonnullae aut ritus, quorum ut nulla ratio comparet, cur praescriberentur lege a Moyse lata, ita optima cernitur, si aliquid existimentur significare; exempli caussa sint panes absque fermento cum agno comedendi die festo paschatis, quorum rationem optimam esse comperies, si intelligas per eos praesignificatum fuisse panem eucharistiae, sive etiam, ut Paulus quoque fortasse putavit (*e*), purum ab omni macula animum, quo ad eucharistiam sumendam accedere oportet. Porro haec analogia est, ex qua patres argumentum desumunt, quum aliquid affirmant habendum esse tamquam typum; sique in id unanimi consentiant, consensus iste aliud praeter illa, quae suggessimus, indicium erit ad typos dignoscendos. Pro typis quoque secure accipies ea, quorum nominibus Christus, ecclesia, Christi opera aut sequaces, τροπικως designantur, ut sunt David, Ierusalem, Israel (88. 224). Quum totum genus aut tota aliqua res, uti caeremoniae et tabernaculum, typus est, etiam ea, quae generi illi subiecta sunt, atque illius rei partes typos esse putandum est, caute tamen neque ulterius, quam par est, progrediendo, ut ex minutis quibusque sensum aliquem spiritalem exprimere velis, eo vel maxime quod huiusmodi veluti consectaria typorum spiritalem sensum non exhibent plerumque nisi probabilem, non vero certum. Servanda itaque hac quoque in re erunt ea, quae ad spiritalem verborum sensum adinveniendum praecipiemus (450 seqq.).

(*a*) Gen. II, 9.
(*b*) Ib. XV, 9-18.
(*c*) Exod. XXIV, 3-8.
(*d*) Lev. XVI, 10-21.
(*e*) I Cor. V, 6-8.

QUAESTIO II

An omnia, quae habentur in vetere testamento, typi fuerint.

328. Nihil omnino in scripturis veteris foederis commemorari, cui non aliquis subsit *typicus* significatus, non pauci arbitrantur. His *Figuristis* nomen est, eorum vero doctrinae *figurismus*. A quibus autem caussis repetenda haec sit, quaeque inde proveniant incommoda, narrant Fleuryus (*a*) et Bergierus (*b*), qui tamen, ut moris est, figuras rhetoricas cum sensu spiritali confundunt, nosque etiam alio loco caussas illas summatim edicemus (372).

329. Putant hi sententiae suae patronos imo et auctores habere se non unum e patribus, atque adeo Paulum ipsum. Passim quippe obtrudunt verba illa Pauli: *Omnia in figura contingebant illis (c)*. Plura etiam apud patres legere est, quae illis favere videantur, puta, apud Augustinum, quod *omnia vel pene omnia, quae in veteris testamenti libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate accipienda sint (d)*, ipsa etiam flagitia (*e*), ut ante Augustinum scripserat Irenaeus: *De quibus autem scripturae non increpant, sed simpliciter sunt positae, nos non debere fieri accusatores, . . . sed typum quaerere (f)*. Nemo tamen sententiae illi patrocinari visus est magis quam Hieronymus, qui haec pronuntiat: *Perspicue demonstratur omnia illius populi in umbra, et typo, et imagine, praecessisse (g)*; itemque: *Non sunt, ut quidam putant, in scripturis verba simplicia; plurimum in his absconditum est (h)*; quin imo: *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis scripturis plena sunt sensibus (i)*;

(*a*) Discours V sur l'hist. eccles. §§. 11. 12.
(*b*) Dictionn. de théologie. *Figure*.
(*c*) I Cor. X, 11.
(*d*) Doctr. chr. L. III. c. 22.
(*e*) Ib. et c. 12.
(*f*) Adv. haeres. L. IV. c. 31 al. 50. §. 1.
(*g*) Ad Dardan. ep. CXXIX. §. 6.
(*h*) Ad Damas. epist. XVIII al. CXLII-CXLIII. §. 12.
(*i*) In ep. ad Ephes. III, 6.

quid plura? *Post historiae veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia (a).*

330. Verum, ni fallor, typologiam adeo late patere negandum omnino est, tum quia, quae pro illa sententia afferuntur, rem sic habere non evincunt, tum etiam quia, praeter aequi ponderis auctoritates, ratio ipsa illud negare suadet, idque unum accipere atque affirmare, plurimos re ipsa typos in vetere testamento reperiri, atque assentiendum omnino esse patribus, qui docuerunt, *omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri (b)*, ita tamen ut haec dicta esse intelligamus, sicut scholae loquuntur, de generibus singulorum, non vero de singulis generum.

331. Ac primo illis, qui diserte negant typologiam tam late patere, patrum testimonia haec praesto sunt. Tertulliani affirmantis, quod, quum *non omnia imagines, sed et veritates, non omnia umbrae, sed et corpora, . . . plures voces eorum (prophetarum) nudae, et simplices, et ab omni allegoriae nubilo purae, defendi possint; ut quum exitus gentium et urbium resonant, Tyri, et Aegypti, et Babylonis, et Idumaeae, et Carthaginiensium navium; ut quum ipsius Israelis plagas, aut venias, captivitates, restitutiones, ultimaeque dispersionis exitum, perorant. Quis haec interpretabitur magis, quam recognoscet? Res in literis tenentur, ut literae in rebus legantur (c).* Hilarii: *Qui omnia quae in libris psalmorum scripta sunt, ad personam Domini nostri unigeniti filii Dei existiment esse referenda, . . . eorum opinio argui non potest, omnis enim ex effectu religiosae mentis hic sensus est, et caret culpa; . . . quamquam . . . . id ipsum interdum imperite fiat. (d).* Epiphanii: *Moyses . . . . ubique decernere solet, partim quae temporibus congruunt, partim quae certis rebus adumbrandis serviunt, partim quibus futura bona declarantur, quae in evangelio demum adventu suo Christus Iesus dominus noster implevit (e).* Hieronymi: *Qui ex parte*

(a) Prolog. Commentar. de Isaia.
(b) *Ambros.* in Luc. Lib. II. §. 56.
(c) De resurrect. carnis c. 20.
(d) In Ps. LXIII. §. 2.
(e) Haer. XXXIII. §. 9.

typi fuerunt Domini salvatoris, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo eius fecisse credendi sunt (a). Augustini: *Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt (b). Non sane omnia, quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea, quae nihil significant, adtexuntur . . . Ita in prophetica historia dicuntur et aliqua, quae nihil significant, sed quibus adhereant, quae significant (c).* Gregorii Magni: *Sic vitae suae historiam texens (Iob), ut ei perrarum aliquid, quod allegorice intelligi possit, interserat, quatenus et ex magna parte historica sint, quae memorat, et tamen aliquando per haec eadem ad spiritalem intelligentiam consurgat (d).* Thomae: *Quatuor isti sensus* (4) *non attribuuntur sacrae scripturae, ut in qualibet eius parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum (e)*, id est, uno literali, docet quippe Thomas sensum spiritalem sensui literali inniti, ex eoque profluere, nec sine eo esse posse (*f*). Eiusdem: *Sensus spiritualis . . . . accipitur vel consistit in hoc, quod* QUAEDAM *res per figuram aliarum rerum exprimuntur (g).* Eiusdem: *In sacra . . . . scriptura praecipue ex prioribus posteriora significantur, et ideo* QUANDOQUE *in sacra scriptura secundum sensum literalem dicitur* ALIQUID *de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi, sed non convertitur (h).*

332. Alii praeterea patres adeo late patentem typologiam tacite respuunt, quum reprobant quorumdam κακοζηλίας ac nimietatem in typicis sensibus extorquendis. Apud Methodium haec legimus: *Bene quippe*

(*a*) In Os. XI, 1. 2.
(*b*) De civ. Dei L. XVII. c. 3.
(*c*) Ib. L. XVI. c. 2. §. 3.
(*d*) Moral. L. XXI. c. 1. §. 3.
(*e*) Quodlib. VII. art. 15. ad 5.
(*f*) Ib. articc. 14. 15. 16, et 1. q. 1. a. 10. c.
(*g*) Quodlib. VII. art. 15. c.
(*h*) Ib. ad 5.

in eis imo praeclare versata mihi videris, o Theophila, caute illud secureque providens, ut verba scripturae intelligantur, prout sonant iuxta nativum sensum. Periculo siquidem non vacat spernere semper ac transilire velle obviam ac primo aspectu pulsantem animum sententiam scripturae (a). Basilius haec habet: *Quidam . . . . captionibus quibusdam atque tropologiis ex suo ipsorum ingenio aliquid scripturis adiicere auctoritatis conati sunt. Verum id ei competit, qui se ipsum Spiritus sancti oraculis constituit sapientiorem, quique interpretationis praetextu commenta sua inducit. Itaque, prout scripta sunt, intelligantur (b).* Gregorius Nazianzenus de iis, qui vel nulla vel omnia in sensum spiritalem accipiunt, quae in scripturis habentur, sic ait: *Alterum iudaicum quodammodo et abiectum, alterum ineptum et somniorum coniectore dignum est, paremque utrumque meretur reprehensionem (c).* Ipse denique Origenes nonnulla e re nostra protulit: *Erit ergo sapientis scribae et edocti de regno Dei, qui sciat de thesauris his proferre nova et vetera, scire, quomodo in unoquoque loco scripturae* AUT *abiiciat penitus occidentem literam, et spiritum vivificantem requirat,* AUT *confirmet omnimode et utilem ac necessariam probet literae doctrinam,* AUT *manente historia opportune et decenter introducat etiam mysticum sensum*; tum nonnullis exemplis prolatis ita pergit: *Igitur ex his, quae protulimus, paucis, si qui studiosi sunt in scripturis divinis, perfacile colligere poterunt etiam caeterorum distinctiones. Sapiens enim, si audiat, inquit (d), verbum, non solum laudabit, sed et adiiciet ad illud. Quid adiiciet? Ut discutiat, et discernat in singulis quibusque capitulis legis, ubi fugienda sit legis litera, ubi amplectenda, ubi etiam narratio historiae cum mystica expositione conveniat (e).*

333. Denique ipsa rei ratio vetat, ne omnia, quae exhibent libri veteris testamenti, in typos convertamus; imo id vetat reverentia ipsa,

---

(a) Conviv. decem virginum Orat. III. p. 31 ed. *Possin.*

(b) Hexaem. hom. IX. §. 1.

(c) Orat. XLII. p. 684. Parisiis 1630.

(d) Prov. I, 5.

(e) In Numer. hom. XI. §. 2.

qua divinas literas prosequi decet, qnandoquidem illas, nedum nosmetipsos, cachinnis hominum maleferiatorum exponeremns, si isti conspicerent in unaquaque re, quam libri illi nobis exhibent, anxie nos typum aliqnem atqne aliquod mysterium velnti venari. Et re qnidem vera, ecquid huiusmodi deprehendas in regionibus, urbibus, fluminibus, montibus, ac populis, qni in scripturis commemorantnr? Quid tale tibi praeferant pntei effossi a pastoribns Isaaci (*a*), pulmentum Iacobi (*b*), turris Phannelis (*c*), coma Absalomi (*d*)? Quid cameli Eliezeris (*e*), asinae Saulis (*f*), canis Tobiae (*g*)? Quid denique significabat crassities Eglonis (*h*), claudilas Miphibosethi (*i*), podagra Asae (*l*)?

334. Qnod vero attinet ad auctoritates, quae pro opposita sententia stare putantnr, nti diximus, eae vel nullo modo vel non satis rem conficiunt. Pauli enim testimonium (329) qnid conferat adversariis, quisque facile sentiet, si non mutilum, ut fieri solet, sed integrum proferatnr. Neque enim scripsit Panlus: *Omnia in figura contingebant illis*, sed: *Haec autem omnia in figura contingebant illis*, ea nempe, quae proxime enumeraverat. Qnod Irenaeus in flagitiis, qnae in vetere testamento narrantnr, typnm qnaerere iubeat, id non modo non evincit sensisse eum omnia omnino in eodem testamento vetere typica fuisse, sed contrarium potius ex eius verbis colligere est; si enim ita de illis sensit, *de quibus scriptura non increpat*, iure credere possnmns secus de illis saltem sensisse, qnae ab ipsis scripturis reprobantnr, eo vel maxime quod alia haec quoque antea commemoraverit, quidqne de iis sentiendnm sit, docuerit, quin tamen typum ullnm in iis agnovisse videatur. Quomodo Hieronymi et Augustini verba sint intelligenda, satis docemur aliis eorum verbis, quae produximus (331). In nniversum autem, qnaecnmqne apnd veteres patres leguntur, quae latius, quam par est, typologiam sectandam suadere videntnr, diligenter attende posse ea imo et oportere alterutra ratione intelligi; vel quod non de singulis generum patres loquantur, sed de generibus

---

(*a*) Genes. XXVI, 15-22.
(*b*) Ib. XXV, 29.
(*c*) Iudic. VIII, 8. 9.
(*d*) II Reg. XIV, 26.
(*e*) Genes. XXIV, 10.
(*f*) I Reg. IX, 3.
(*g*) Tob. XI, 9.
(*h*) Iudic. III, 17.
(*i*) II Reg. IX, 3.
(*l*) III Reg. XV, 23.

singulorum (330), vel quod non ea dixerint de rebus, quales ipsae sunt, deque eo, quod ex sese habent, sed ex ea parte spectatis, quatenus in scripturas relatae sunt, quod, inquam, non rebus ipsis, sed rerum narrationibus illam significationem subesse affirmaverint, ac *spiritalem* vocaverint, non quia res narratas pro typis proprie dictis haberent, sed quia spiritales vocarent alias quoque significationes (347. 374) praeter eum sensum, qui vere ac proprie spiritalis habendus est et vocandus.

QUAESTIO III

An etiam novum testamentum typos habeat.

335. *Novum testamentum* vocamus tum divinam illam οἰκονομιαν illumque ordinem rerum, quem Christus constituit, tum libros, quibus haec eadem una cum gestis Christi scriptores divino Spiritu afflati consignarunt. Animadvertere tamen est aliquibus librorum, quos *novum testamentum* dicimus, evangeliis, inquam, ea contineri, quae maximam partem, dum vetus adhuc οἰκονομια obtineret, facta sunt; novam quippe veteri successisse, quum Christus mortem obiret, Paulus nos docuit: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est (a).* Quamobrem quaestio, an typi in novo foedere habeantur, diversa ratione circa libros ac circa divinam ipsam οἰκονομιαν versatur; si enim de hac illud quaeramus, quaestio spectare nequit nisi ad ea, quae Christi morte posteriora sunt. Quibus praecognitis tota res facilius expeditur. Itaque, si typi tales habendi sint, quales definivimus, dicimus, quamquam secundum quorumdam patrum sententiam typos nonnullos in evangelio commemoratos haberi putandum sit, nullos tamen amplius post Christi mortem, idest post sublatum vetus testamentum, aut saltem post adventum Spiritus sancti, id est, post novum testamentum promulgatum, typos exstitisse.

(a) Hebr. IX, 16. 17.

336. Sic enim credere suadet argumentum, quod ipsae novae scripturae suggerunt, et ex quo maximum sententiae nostrae pondus accedere nemo negabit. Quidquid enim rationum, queis divinorum foederum οἰκονομιαν typis ornatam fuisse confirmamus, ex apostolorum aut evangelistarum libris desumere est, totum pertinet ad vetus foedus; in novo autem nullum unquam typum illis agnitum deprehendas, neque unum quidem verbum ab eis prolatum, quod nos cogat id suspicari. Quin imo ita de typis loquuntur deque utroque testamento, ut ex ipsorum dictis iure quis conficiat, sensisse eos, post vetus testamentum sublatum novumque inductum, nullum typis locum amplius fuisse. Expende, quae Paulus scripsit in epistolis: Rom. XVI, 25. 26; II Cor. III, 13 - 18; IV, 3; Gal. III, 23 - 25; Hebr. X, 1.

337. Et re quidem vera, si *finis . . . legis Christus (a)*, sique ideo totum vetus testamentum typus fuit, ut ea per illud portenderentur, quae ad testamentum novum a Christo condendum spectabant, ecquod aliud tandem testamentum maneamus, cuius veluti imago in novo testamento habeatur? Si quae in novo foedere pro typis forent habenda, illa essent profecto, quae potiora in eo sunt ac praeclariora, puta, Christus a morte resurgens atque in caelum ascendens, Spiritus sanctus in apostolos effusus, aliaque huiusmodi. Verum, praeterquam quod in his illud non fieret, quod constanter in typis factum est, quodque ipsi typorum rationi ac naturae proprium est, ut res per typum praesignificata typo ipso dignor sit ac sublimior, quum numquam non corpus umbrae praestet atque imagini res ipsa, quaenam tandem fuisset illorum typorum significatio? Num exempli gratia dices Christum reviviscentem figuram fuisse eorum, qui ad iugem beatitatem sunt revicturi? At cave sis, ne id loquens huic, quem typum vocas, longe minus attribuas, quam debes. Proportio quippe sive respectus inter Christi atque inter iustorum ἀναστασιν non ille est, qui rem inter interque rei figuram, sed qui inter caussam atque inter effectum intercedit. De ceteris ἀναλογως sentias. Demum attende per typos, de quibus est disputatio, in tantum res alias fuisse praesignificatas, in quantum ad istarum imaginem illi exacti a Deo sunt. Num vero putabimus haec, quae

(a) Rom. X, 4.

ex novo foedere tamquam typi producuntur, ad imaginem aliarum rerum exacta fuisse, non autem potius contra esse? Quare, si haec typos vocare placet, contraria omnino huic nomini notio sit oportet, ac est in nostra disputatione; nec aliud sonabit, nisi quod nomen *imago* in illo Pauli: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui (a).* Quamobrem typis saltem propheticis atque anagogicis, quales in vetere testamento fuerunt, in novo testamento locus praeclusus est ex parte.

338. Patres non desunt, qui nostrae sententiae suffragari videantur, quorum nonnullos produxisse sufficiet. Primus prodeat Origenes, qui haec scripsit: *Spiritalis expositio illius est propria, qui demonstrare potest, quarum caelestium rerum similitudini et umbrae Iudaei secundum carnem servirent, et quorum futurorum bonorum umbram lex habeat (b).* Itaque *spiritalis expositio* secundum Origenis sententiam versatur intra limites veteris οἰκονομίας; verum et intra novae limites versaretur, si nova quoque typos haberet. Neque illud reponas, Origenem sensisse a nonnullis partibus novarum scripturarum abesse sensum illum, quem *corporeum* vocat (c). Corporeus quippe sensus Origeni subinde est sensus proprius verborum (23); neque enim haec ait de rerum ipsarum seu typorum significatione, de qua prius fuerat loquutus (d), sed de loquutionibus quibusdam, quas novo testamento intermixtas esse affirmat, rem aliquam exhibentibus gestam aut praeceptam, quae fieri nequit (e); at res talis tamdiu videbitur narrari aut praecipi, quoad loquutiones huiusmodi, quae translatae sunt, tamquam propriae habebuntur, uti patet in illis, quas exempli caussa affert. Chrysostomus et Augustinus de vetere et novo testamento passim ita loquuntur, ut typos in priore solummodo agnovisse videantur. Praeterea Chrysostomus, exponens verba Pauli: *Nolo enim vos ignorare, fratres, etc. (f)*, docet, vetus et novum testamentum id inter se congruere id discrepare, quod inter umbram et veritatem; quum enim rogasset: *Quid igitur est umbra? Quid veritas?* re declarata ita concludit: *Sic et de ve-*

(a) Ib. VIII, 29.
(b) De princip. L. IV. §. 13.
(c) Ib. §. 16.
(d) Ib. §. 14.
(e) Conf. ib. §. 15.
(f) I Cor. X, 1 seqq.

teri et de novo testamento sentias (a); at, si novum testamentum typos haberet, et ipsum non secus at vetus umbra foret. Alias idem Chrysostomus haec protulit: *Veritatem manifestius intelligemus, si figuras didicerimus. Nam, quae in novo testamento dispensanda erant, figurae prius ut figurae descripserant; veniens autem Christus ipsum consummavit (b)*. Magis tamen diserte mentem suam prodit his verbis: *Non sunt enim hic*, in novo, inquam, testamento, *tenebrae, neque caligo, neque procella, ut illic. Et cur tunc Deus per ignem visus est? Per illa mihi videtur tacite significare veteris testamenti obscuritatem, legemque esse adumbratam et opertam*; prius autem dixerat: *Novum autem testamentum cum nullo horum datum est, sed datum fuit a Christo in simplici sermone (c)*. Apertiora quoque sunt haec Augustini verba: *Quae figura evacuatur. Sic enim dixit Apostolus: Quae evacuantur. Quare evacuantur? Quia veniente imperatore imagines tolluntur de medio. Ibi spectatur imago, ubi imperator praesens non est. Ubi est autem ille, cuius est imago, imago removetur. Imagines ergo praeferebantur, antequam veniret imperator noster Dominus Iesus Christus. Imaginibus sublatis fulget praesentia imperatoris (d)*. Itemque haec: *Praeceptum quippe reos faciebat ad desiderandam salutem, promissum autem figuras celebrabat ad exspectandum salvatorem; ut, per adventum novi testamenti, illos liberaret gratia donata, illas auferret veritas reddita (e)*. Lege etiam Augustini sermonem de Iacobo et Esau (*f*). Scribit Hieronymus, Paulum in omni sermone laborare, ut doceat *omnia illa, quae in typis et imaginibus praecesserunt*, ... *gratia evangelii subrepente cessasse (g)*. Apud Maximum Taurinensem denique haec legimus: *Videte, quid intersit inter vetus testamentum et novum; in illo loquebatur per nubilum, nobis lo-*

(*a*) In apostolicum dictum: *Nolo vos ignorare etc*. §. 4. Opp. Tom. III. p. 234 ed. *Montfauc*.

(*b*) In Io. hom. XIII al. XIV. §. 3.

(*c*) In ep. ad Hebr. hom. XXXII. §. 1.

(*d*) De verbis evang. Matth. XIII, 52 serm. LXXIV. §. 5 edit. *Maurinor*.

(*e*) Cont. Faustum L. XXII. c. 6.

(*f*) Serm. IV al. De diversis XLIV.

(*g*) Praef. Comment. de ep. ad Gal.

quitur per serenum (a). Denique paucos omnino post Christi mortem, vix autem ullos post adventum Spiritus sancti, a patribus quibusdam typos agnitos invenias.

339. Opponere nobis quis forsitan posset caput vicesimum quartum Matthaei, ubi Christus simul loquitur de eversione Hierosolymorum deque fine mundi, ita ut, pro eo ac fert ratio illa a nobis superius posita (325), prius horum posterioris typus fuisse videatur. Attamen, velim, consideres Christum simul utique, hoc est, uno eodemque ac continuo sermone de rebus illis loquutum esse, nam triplici interrogationi discipulorum de his iisdem rebus eum respondere oportebat, non tamen loquutum esse promiscue, quasi si unum atque idem eae res forent, ut fit, ubi simul de typo deque antitypo scriptores θεοπνευστοι loquuntur, sed distincte ac distribute. Discipuli, ut locum hunc commentatur Hieronymus, *interrogant tria: Quo tempore Ierusalem destruenda sit, quo venturus Christus, quo consummatio saeculi futura sit (b).* Singulis autem interrogationibus singulas responsiones exhibet sermo Christi. Primo enim postremae interrogationi respondet Christus illis exorsus verbis: *Videte, ne quis vos seducat,* concludensque illis: *Tunc veniet consummatio (c)*; tum primae, suggerens ex Danielis vaticinio indicium urbis proxime delendae (*d*); demum secundae: *Tunc,* inquiens, *si quis vobis dixerit etc. (e)*, ubi illud *tunc* vel nullum tempus definit, ut saepissime apud Matthaeum, vel idem valet ac *postea,* id est, post Hierosolymorum reique iudaicae interitum.

340. Missa facimus reliqua, quae opponi possent, ac solummodo rationem suggerimus, qua eadem haec, et quidquid praeterea in contrariam sententiam proferri ac disputari posset, diluamus. Id autem fiet, si animadvertas horum singula vel ante Christi mortem, sive obtinente adhuc prisco foedere, exstitisse; vel typorum naturam haudquaquam habere, sed mera esse sive symbola sive signa; vel metaphoras esse aut similes verborum figuras; vel denique tamquam typos haberi reapse ab aliquo ex patribus, ita tamen ut peculiaris illius sen-

---

(*a*) Serm. VII, qui est de Epiph. I.
(*b*) In Matth. XXIV, 3.
(*c*) Matth. XXIV, 4-14.
(*d*) Ib. 15-22.
(*e*) Ib. 23 seqq.

tentia ista fuerit, non vero patribus communis. Ceterum de mysticis interpretationibus, quas subinde patres instituerunt etiam in iis novarum scripturarum partibus enarrandis, quae ad vetus foedus minime pertinent (335), alio loco dicendum erit (379).

CAPUT XII

De sensu spiritali verborum sive ipsarum scripturarum.

341. Natura et veritate typorum exposita et confirmata, limitibusque horum significationi sive sensui spiritali rerum praefiniiis, facili negotio versabimur in illis edisserendis, quae ad sensum spiritalem verborum seu scripturarum ipsarum pertinent. Etenim ex hactenus disputatis illud primo manifestum est, scripturarum verbis posse sensum spiritalem subesse, et quonam pacto id contingat. Sed et cuique perspectam fieri arbitror rationem, qua sensum illum definivimus sub huius dissertationis initium (2), ac simul quaenam ex ea definitione sint consectaria. Quare duo ista, rationem, inquam, illam atque haec consectaria, paucis exponemus, probaturi deinceps vere subesse scripturis sensum spiritalem, easque quaestiones soluturi, quae de eo solent institui.

342. Omissis autem iis, quae utriusque sensus literalis et spiritalis definitionibus communia sunt, et quae iam explanavimus (3. 12), ea nunc explananda sumimus, quae definitioni sensus spiritalis sunt propria et peculiaria (2). Diximus itaque sensum spiritalem sub literali *delitescere*, quia verba, prout sonant cum reliquo sermone coniuncta et contexta, hoc est, in sensum literalem accepta, sensum hunc spiritalem praeferre minime videntur, quamquam iis re ipsa subsit. Spiritus sanctus hunc *remote* intendere dicitur; *proxime* enim intendit id, quod verba sonant in sensum literalem accepta, perque hoc ipsum vult illud aliud exprimere, quod sensum spiritalem vocamus, ideoque sensus literalis medius est inter Spiritus sancti consilium interque sensum spiritalem. Qui autem fieri possit, ut *directe* simul simulque *remote* id, quod verbis exprimit, Spiritus sanctus intendat,

intelliges ex iis, quae de significatione verborum immutatorum directa quidem quamvis remota alias dicta sunt (14). Verba vero solum *oblique* sensum spiritalem praeferre dicuntur; mens quippe legentium in illum haudquaquam recta fertur, sed alia via in notitiam illis veniat, necesse est, atque ex aliis scripturarum capitibus discant eum verbis subesse. Neque sensum hunc verba praeferunt nisi *remote,* hoc est, mediis illis rebus, quas ipsa significant, in quantum, inquam, ea, quae exhibentur per literalem ipsorum verborum sensum, figurae sunt ac typi id significantes, quod per sensum literalem exhibetur (284. 360). Lege Bonfrerii Praeloquia *(a)*. Rem totam exemplo declaremus. Verba illa: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (b)*, quod alias advertimus (85), sensum habent spiritalem. Sane Spiritus sanctus per ea *proxime* intendebat Salomonem designare, quum eorum sensus literalis Salomonem exhibeat, per id vero, quod de Salomone his verbis est loquutus, *remote* videlicet, voluit aliquid de Christo edicere. Id tamen *oblique* verba praeferunt, quandoquidem, qui ea legit, non perspicit alium quoque praeter Salomonem illis iisdem verbis commemorari, nisi legerit prius Pauli epistolam ad Hebraeos (c); in tantum autem Christum quoque verba haec praeferre possunt, in quantum Salomonem, de quo sunt prolata, Christi typus fuit, unde etiam spiritalis eorum significatus, qui Christum exhibet, *delitescere* dicendus est sub sensu literali, qui exhibet Salomonem.

343. His probe intellectis, quaenam inde consequantur, quisque per se discere potest. Ac primo magis ac magis comperimus, quid sensus spiritales tum rerum tum verborum congruant inter se, quidque inter se discrepent. Sensus quippe spiritalis verborum nihil est aliud, quam ipse spiritalis sensus rerum verbis occulte expressus. Utrumque autem scripturae nobis pandunt, at scripturis ipsis sive harum verbis ac loquutionibus alter solummodo subest, prior vero personis, rebus, eventis, ac gestis, quorum in scripturis mentio fit. Uterque a Spiritu sancto est, priorem tamen rebus indidit Spiritus sanctus, non ut auctor est scripturarum, sed ut est *actor rerum*,

---

(a) C. XX. sect. 2.
(b) II Reg. VII, 14.
(c) Hebr. I, 5.

sicut loquitur Thomas (*a*), posteriorem vero scripturis indidit, ut est praecipuus earum anctor. Praeterea prior a Spiritu sancto ἀμέσως est nulla alia re interiecta, alter vero interposita literali verborum significatione eaque re, quae literali sensu significatur. Sensns spiritalis rerum a nullius alterius rei significatione dependet, neque ulli alteri veluti innititur, atque inhaeret, sensus spiritalis verborum dependet ab horum sensu literali, quo veluti fundamento superstructus est, ut scribunt Hieronymus (*b*), Augustinus (*c*), Gregorius (*d*), et Thomas (*e*), ex ea parte, quatenus sensus literalis illnd prodit, ex cuius typica significatione spiritalis sensus in verba ipsa derivatur. Denique sensus spiritalis rerum esse potuisset, etsi nullae nnquam exstitissent scripturae, quod de sensu spiritali verborum dici non potest.

344. Aliud praeterea ex definitione illa discimus. Etenim quum inter sensum literalem et sensum spiritalem verborum similitudo sive proportio illa intersit, quae est inter rem per sensum literalem expressam et inter rem expressam per sensum spiritalem, prout illa typus est haec vero antitypum, necesse est, ut verba spiritalem sensnm re vera exhibeant, sicut re vera typus exhibet antitypum. At verba eatenus aliquid possunt exhibere, quatenus in sensnm literalem accepta id sonare possunt; ac proinde, ut exhibere id possint, quod proditnr per sensum spiritalem, necesse est talia ea esse, quae a reliquo sermone contextnque orationis divulsa ac seorsum nsurpata hoc idem possint, in sensum literalem saltem translatum accepta, sonare (86). Id fit, exempli caussa, in verbis paulo antea prolatis (342) ex vaticinio Nathanis, quae, etsi contextus orationis nos cogat tamqnam de Salomone dicta intelligere, ipsa tamen per se atque extra contextum illnm accepta Christum per qnam apte literali sensu prodere possunt. Avelle etiam ab Oseae sermone (*f*) verba illa: *Ex Aegypto vocavi filium meum*; quid in his ita avulsis est, quod, si in literalem sensum accipiatur, minus rei illi congruat, quam μυστι-

(*a*) Quodlib. VII. art. 14. c.
(*b*) Ad Dardan. ep. CXXIX. §. 6.
(*c*) De civ. Dei L. XVII. c. 3. §. 2.
(*d*) In Iob. L. VI. c. 1. §. 2, et in Evangel. hom. XL. §. 1.
(*e*) 1. q. 1. a. 10. c.
(*f*) Os. XI, 1.

κῶς ea designant (*a*)? Item historia Isaaci et Ismaelis (*b*) nonne, si per se ipsam consideres tamquam rhetoricam allegoriam, sensum literalem utique translatum praefert; in quem accepta illud admodum exhibeat, quod contexta cum reliqua Abrahae historia, Paulo teste (*c*), μυστικῶς portendit?

345. Ex ea ipsa porro sensus spiritalis definitione nosces quoque scripturarum verbis, quae in sensum spiritalem accipi debent, duos sensus necessario subesse, literalem, inquam, et spiritalem; neque spiritalem sensum colligi posse nisi ex illis verbis, quorum sensus literalis aliquam figuram seu typum praebet; inque vicem, quaecumque verba in sensum literalem sumpta aliquam praebent figuram seu typum, iis sensum quoque spiritalem subesse posse.

346. Insuper, cui ex definitione probe innotuerit natura sensus spiritalis, qui scripturis inest, haudquaquam eum impedient diversa nomina, quibus patres sensum hunc appellare consueverunt. De hisce nominibus eorumque varietate ac discrepantia aliquid iam loquuti sumus (8. 29. 295. 334); porro nonnulla alia subdimus, quae studiosis sacrarum literarum satis futura putamus, quominus quemquam eorum in patribus legendis illa nominum discrepantia remoretur.

347. Maxime omnium communis ac trita est appellatio sensus *spiritalis*, cuius origo repetenda videtur ex more quodam, qui non prima modo christianae reipublicae aetate obtinebat, sed etiam ante illam, ut discimus ex Philone (322) atque ex iis, quae idem hic narrat de Therapeutis, morem hunc ita describens: *Tota lex hisce hominibus videtur animali similis esse, ac pro corpore quidem habere verborum structuras, pro anima vero invisibilem sensum dictionibus inclusum (d).* Appellatio autem haec et ratio distinguendi inter sensum literalem et spiritalem Pauli auctoritate sancita est, qui de lege agens non semel discrimen urget inter literam et spiritum (*e*), quamvis discrimen hoc aliud sit, quam illud, quod est inter sensum literalem

(*a*) Matth. II, 15.
(*b*) Gen. XVI, 15; XVII, 16-21; XXI, 1-12.
(*c*) Gal. IV, 22-31.
(*d*) De vita contempl. p. 901.
(*e*) Rom. II, 29; VII, 6; II Cor. III, 6-8.

atque inter sensum spiritalem. Consule Chrysostomum (*a*) et Augustinum (*b*). Ratio autem huius appellationis petita est tum ex praestantia ac sublimitate sensus spiritalis, tum quia sub literali delitescentem, non tam oculis legentium verba illum subiiciunt, quam menti excogitandum atque inveniendum relinquunt. Animadvertas tamen, quod, sicut nomine sensus literalis patres nonnumquam proprium (17) dumtaxat verborum sensum indicant (8. 24), ita sensus spiritalis iis est, non ille solummodo sensus, quo de nunc agimus, sed et ipse sensus literalis translatus (8. 23), quem etiam a Ioanne spiritalem vocari videas (*c*), nec raro etiam sensus ille, quem accommodatum dicere solemus, imo sensus ipse literalis et proprius, qui mysteria resque alias sublimiores exhibet, eo prorsus pacto, quo Christus de verbis, quibus eucharistiam promiserat, ait: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt (d)*, Augustinus vero de his ipsis verbis: *Quid est: Spiritus et vita sunt?* SPIRITALITER *intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? spiritus et vita sunt. Intellexisti* CARNALITER? *etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt (e)*, habes enim in his antithesin inter *spiritaliter* et *carnaliter*, quae, quid prius horum sonet, docet te manifesto.

348. Frequente quoque in usu est nomen sensus *mysticus*, quod ideo sensui spiritali factum est, quia aliquid arcanum aut saltem occultum sacrumque praefert, ac proinde frequentius hoc nomen sortitur ille spiritalis sensus, qui mysteria continet resque caelestes et divinas; quin etiam ita vocatum reperias sensum literalem, quo haec eadem exhibentur.

349. Aliud spiritali sensui nomen est *allegoria* sive sensus *allegoricus*, saepe et ipsum usurpatum a patribus, qui tamen illius notationem haudquaquam, ut recentiores scripturarum interpretes faciunt, ita contraxerunt, ut indicaret solummodo sensum illum spiritalem, qui christiana dogmata complectitur, imo illorum plerique hoc nomine promiscue designabant tum quemlibet sensum spiritalem, tum

(*a*) In II Cor. hom. VI. §. 2.
(*b*) De spiritu et lit. c. 4.
(*c*) Apoc. XI, 8.
(*d*) Io. VI, 64.
(*e*) In Ioan. Tract. XXVII. §. 6.

sensum literalem translatum, quamvis nonnulli utrumque ita distinguerent, ut priorem dicerent allegoriam *rerum*, posteriorem *verborum* (*a*).

350. Neque infrequens est apud patres nomen *tropologia* ac sensus *tropologicus*, pro cuius vocabuli duplici notione eo nuncupabant tum sensum spiritalem, qui ad mores informandos pertinet, et quem *ethicum* quoque sive *moralem* dixere, tum sensum vocum ac loquutionum τροπικων et translatarum.

351. Occurrunt praeterea in scriptis patrum ad sensum spiritalem significandum nomina *imago*, *aenigma*, *anagoge* sive sensus *anagogicus*, sensus item *figuratus* a Graecis dictus κατα σχημα, *typicus*, *symbolicus*, *parabolicus*, et κατα διανοιαν, de quorum omnium vi et notatione quid sentire oporteat, partim per te iudicare poteris, partim intelliges ex iis, quae de hisce nominibus scripsimus, ubi de typis actum est (286. 289. 295. 296). Sedulo tamen mente retineas nomina haec, non secus ac superiora, in patrum scriptis saepe designare sensum literalem, qui vel translatus sit, vel sublimiora quaedam significans, quandoque autem, non ipsum verborum sensum, sed propositum ipsum aut consilium, quod Spiritui sancto in scripturis edendis fuit, et de quo inferius (454 seqq.) agemus. Neque inutile erit animadvertere sensum κατα διανοιαν proprie vocari, ut distinguitur a sensu κατα ῥητον (1), sensum vero κατα σχημα distingui a sensu κατα λεξιν, hoc est, proprio, quae tamen distinctio minus accurata est, nisi quum sensus κατα σχημα est sensus *figurarum* rhetoricarum (8), id est, troporum, qui proinde sensus melius κατα τροπον vocaretur.

352. Denique definitio sensus spiritalis docet frustra eos esse, qui, ut declarent, quid iste sensus sit, afferunt in exemplum abstrusiores quasdam Pythagoraeorum sententias, quas ὑποθηκας ii vocabant (*b*), aut Aegyptiorum hieroglyphica; neutrum quippe ob rem. Sententiae enim illae nil habent nisi translatam loquutionem, qua directe id praeferunt, quod, qui eas profert, intendit, sicut illud est apud Philonem: *Via publica ne incedito* (*c*), qua metaphora monemur mores vulgi se-

(*a*) V. *Augustin.* de Trin. L. XV. c. 9.

(*b*) *Simplicius* Prooem. in Enchirid. *Epicteti*.

(*c*) Quod omnis probus sit liber p. 865.

ctandos non esse, et sicut etiam sunt plures Salomonis et Siracidae sententiae, nec non proverbia bene multa, quae passim, a vulgo praesertim, usurpantur. Hieroglyphica vero hoc ipso, quod verba minime sint, sed imagines quaedam fictitiae, ab re prorsus esse patet; neque haberi ea debent nisi ut symbola, aut, si malis, ut translatae, non quidem loqutiones, sed scripturae, quarum id proprium est, quod et loqutionum translatarum, ut per fictitias illas imagines aliquid significent, ut ita dicam, sensu literali translato, uti quum quorumdam animalium effigies numen aliquod repraesentant, cui sacra ea sunt, quumque menses per cornua lunae, regiones per circellum quadripartitum designantur.

CAPUT XIII

Sensum spiritalem verbis scripturarum subesse inque ea ex typis derivari demonstratur.

353. Ubi typos divinorum foederum οἰκονομια a Deo adiunctos fuisse demonstravimus, nihil aliud egimus, nisi ut originem ac veluti fontem indicaremus, unde sensus spiritalis in verba scripturarum derivari potuerit. Nunc vero ulterius procedendum est, ac demonstrandum, scripturarum verbis sensum illum vere subesse, inque ea non aliunde nisi ex typorum significatione derivari, sive in tantum subesse verbis, in quantum subest rebus, quas verba haec in sensum literalem accepta designant. Primum sponte sua consequitur ex nonnullis eorum, quibus typos fuisse confirmavimus (304 - 306); alterum vel ipsa rei natura declarat. Quare, ut duo illa demonstremus, non longa nobis disputatione opus erit.

ARTICULUS I

Subest scripturarum verbis sensus spiritalis.

354. Scripturis spiritalem sensum subesse, ipsae nos docent. Paulus namque id pronuntiat: *Lex spiritualis est (a)*, id est, habet

(a) Rom. VII, 14.

sensum quoque spiritalem, ut Hieronymus Pauli sententiam interpretatur (*a*). Atqui notio legis non ea solum complectitur, quae lex mandat, sed etiam verba, quibus mandata edicuntur. Quare sensus iste spiritalis, non modo rebus a lege praeceptis, sed et ipsis legis vocibus subesse Paulo id testante credendus est. De historia Isaaci et Ismaelis hic idem ita scripsit: *Quae sunt per allegoriam* dicta (*b*); allegoria itaque haec *dictis* seu verbis inest. Verum patet eam allegoriam rhetoricam nequaquam esse, imo, ut scribunt Chrysostomus et Hieronymus (*c*), καταχρηστικως Paulus nomen hoc usurpavit; non itaque aliud esse ea potest, quam ipse spiritalis typorum significatus in verba defluens ac per verba occulte exhibitus, qui ἀναλογως *allegoria* vocari solet (7).

355. Insuper scriptores novi testamenti tamquam de antitypis dicta acceperunt verba, quae de typis dicta sunt; constat igitur verba haec etiam de antitypis dicta fuisse. At secundum sensum literalem de typis solummodo dicta esse potuerunt; ergo de antitypis dicta sunt secundum sensum spiritalem. Subest itaque verbis illis sensus spiritalis. Quod autem ea tamquam de antitypis dicta acceperint scriptores novi testamenti, id manifestum eo fit, quod plerumque haec referunt nulla mentione iniecta nullaque habita ratione sive typorum, ad quos ea pertinent, sive, quod idem esset, sensus literalis, quem exhibent (304). Expende, exempli caussa, Matth II, 15; XIII, 35; XXI, 42; Io. XIII, 18; XV, 25; XIX, 36; Rom. X, 8; Eph. IV, 8; Hebr. I, 5; II, 13.

356. Cui rationi gravius quoque momentum fortasse (434) accedit, quum verba huiusmodi eo pacto afferuntur ad aliquid, quod antitypa attingat, comprobandum. Etenim, etsi typus, de quo ea verba dicta fuerunt, antitypum designaret, non inde sequebatur eadem haec de antitypo quoque dicta reapse fuisse, sed solum dicta esse potuisse, ideoque, ut in argumentum adhiberentur eorum, quae ad antitypum spectabant, non omnino satis fuisse videtur, quod de typo dicta fuerint. Si igitur ex huiusmodi verbis aliquid, quod spectaret ad

---

(*a*) In ep. ad Gal. IV, 24.
(*b*) Gal. IV, 24.
(*c*) In h. l.

antitypum, arguerunt scriptores bibliorum, putari possunt eadem haec habuisse tamquam dicta etiam de antitypo, quibus proinde spiritalis sensus subesset (305). Exemplo esse possunt Matth. XXI, 42; Io. XIII, 18; XV, 25; Rom. X, 8 coll. 4. 6.; Hebr. I, 5. Non tamen diffitemur sentire nos huic argumento illud regeri, non quidem semper, sed quandoque posse, quod, quamvis de typo solummodo verba illa fuissent a Spiritu sancto prolata, ratio tamen erat, cur ex illis aliquid ad antitypum pertinens argueretur, etiam nulla iniecta typi mentione, prout inferius animadvertemus (434).

357. Considerandae denique sunt loquutiones illae, quae reperiuntur in novo testamento, *ut impleretur*, *tunc impletum est*, harumque similes, quas alio loco (306 seqq.) iam declaravimus, et quibus scriptores sacri quorumdam oraculorum πλήρωμα in alio esse docent, quam in eo, de quo oracula haec edita fuerant secundum sensum literalem, imo id pronuntiant, quin ullo modo meminerint eius, quo de fuerant edita, planeque ac simpliciter affirmant, in illo alio impletum esse id, quod *scriptum* aut *dictum* fuerat a prophetis. Exempla haec habes: Matth. II, 15; XIII, 35; Io. XIII, 18; XV, 25; XIX, 36. Si igitur in illo alio id impletum fuit, quod *scriptum* aut *dictum* erat, ecquis dubitet, an scriptum quoque aut dictum fuerit etiam de illo alio? verum non secundum sensum literalem; ergo secundum spiritalem. Attamen huic quoque argumento eadem, quae superiori (356), exceptio esse subinde potest.

358. Quaenam hac de re ecclesiae universae sententia perpetuo fuerit, novimus ex plenissimo patrum omnium, quotquot a prima usque illius aetate numerantur, testimonio; quod allegare supervacaneum ducimus, quum neminem illud lateat, ac notum cuique sit adeo certo ea de re patribus cunctis constitisse, ut eorum nonnulli ultra, quam opus aut par esset, illam protruserint. Eamdem ob caussam Iudaeorum auctoritatibus congerendis parcimus, quos idem ac patres sensisse habemus compertum tum ex eorum sententia de typis, quam superius declaravimus (315-323), tum ex eorum scriptis, si de recentioribus quaestio sit, tum denique ex ipso novi foederis volumine atque ex iis, quae inde deprompta modo retulimus, si quaestio sit de vetustioribus; nonnulla tamen veterum Iudaeorum testimonia inferius proferentur, ubi adversariorum argumenta refellemus (424 seqq.).

359. Nec nihili facienda videtur ratio inde petita, quod, quum auctor scripturarum ille ipse sit, qui typis, de quibus in scripturis egit, spiritalem sensum indiderat, putandus quoque est illud idem, quod per typos designabat, etiam per verba, quibus agebat de hisce typis, exprimere voluisse.

ARTICULUS II

Sensus spiritalis in verba ex typis sive ex spiritali typorum significatione derivatus est.

360. Quod ea ratione, quam exposuimus, ab apostolis et evangelistis tamquam dicta de antitypo verba acciperentur, quae tamen de typo dicta fuerant, ideo fieri potuit, quia auctor scripturarum ita loquutus est, ut verbis spiritalem illum sensum subiiceret. Ut autem sensus spiritalis subesse verbis potuerit, illud in caussa est, quod de typis ea sint prolata, sive quod illa, de quibus prolata sunt, typi fuerint; sensus, inquam, spiritalis in verba scripturarum ab earum auctore derivatur ex spiritali significatione rerum, quas ipsa significant sensu literali; vel, si mavis, verba rem, de qua μυστικως dicta sunt, designant, auctore Spiritu sancto, per spiritalem significationem rerum, quas exhibent in sensum literalem accepta. Talem originem spiritali verborum sensui esse, non semel affirmavimus (2. 285. 342. 343. 345); nunc istud idem paucis oportet confirmare.

361. Potissimum autem huius rei argumentum est, quod nulla alia origo, non modo obvia magis magisque probabilis, sed quae vel ullam probabilitatis speciem praeferat, possit sensui spiritali attribui. Quaenam enim haec alia sit? Quamcumque excogites, hoc ab ea, quam indicavimus, differat, necesse est, quod Spiritus sanctus verba proferens, non *remote* (2), id est, non alia interiecta significatione, sed *proxime* et ἀμεσως id intenderit, quod sensum spiritalem vocamus. Hoc autem posito, iam nullum, quod ad loquentis mentem, superesset discrimen inter sensum spiritalem et literalem. Num vero aliquod superesset quod ad verba ipsa? Nullum omnino. Sublata enim media illa, quae rebus ipsis sive verborum materiei inest, significatione, verba nequibunt non praeferre ἀμεσως adeoque etiam *directe* eam quoque

rem, quae spiritali sensu significatur; at rem hoc pacto praeferre proprium est verborum in literalem sensum acceptorum, nempe alterum est discrimen inter duos hosce sensus (2). Totum itaque utriusque sensus discrimen id unum foret, quod sensus spiritalis omnino lateat in verbis, quodque erui inde non possit, nisi aliquis alius scriptor θεόπνευστος affirmet eum verbis illis subesse. Id nempe sic habet; qui tamen cum hoc cohaerere possit aliud, quod ponitur, spiritalem sensum a verbis *directe* praeferri, equidem plane non video. Illud autem praeclare video, quod, si id unum duo illi sensus discrepent inter se, tota sensus spiritalis, qui verbis subest, natura in sola obscuritate consistet, nihilque aliud erit spiritalis sensus, nisi quidam sensus literalis obscurus; unde et illud incommodi consequetur, ut duo sensus literales uni eidemque loquutioni scripturarum subesse dicantur, qua de re quid sentire oporteat, iam disputavimus (*a*).

362. Hanc porro sententiam qui habent, iure Paulo auctore gloriantur. Hic enim docet *narrationem* de Isaaco et Ismaele esse allegoriam, utique spiritalem; id autem ipse hoc probat, quod duo illi filii Abrahae *typi* fuerint duorum testamentorum: *Quae sunt per allegoriam* dicta. *Haec* enim *sunt duo testamenta (b)*. Eamdem et patribus sententiam fuisse, affirmare non dubitamus. Quid enim sibi voluit Hieronymus memorans *historiae veritatem, quae fundamentum est intelligentiae spiritalis (c)*. Quid Augustinus haec docens: *Ante omnia tamen, fratres, hoc in nomine Domini et admonemus, quantum possumus, et praecipimus, ut, quando auditis* exponi sacramentum scripturae narrantis, quae gesta sunt, *prius illud, quod lectum est, credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne, subtracto* fundamento *rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare (d)*; et alio loco: *Tripertita itaque reperiuntur* eloquia *prophetarum; siquidem aliqua sunt ad terrenam Ierusalem spectantia, aliqua ad caelestem, nonnulla ad utramque .... Ideo tripertita, non bipertita, esse dixi; hoc enim existimo, non*

(*a*) C. III. q. 2.
(*b*) Gal. IV, 24.
(*c*) Ad Dardan. ep. CXXIX. §. 6.
(*d*) De tentat. Abrah. serm. II al. De temp. LXXII. §. 7.

tamen culpans eos, qui potuerint ILLIC, id est, in illis eloquiis, *de quacumque re gesta sensum intelligentiae spiritalis exsculpere, servata primitus dumtaxat historiae veritate (a).* Quid Gregorius Magnus haec scribens: *Spiritales fructus allegoria germinet, quos tamen ex radice historiae veritas producit (b);* itemque haec: *In* VERBIS *sacri* ELOQUII, *fratres carissimi, prius servanda est veritas historiae, et postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur (c).* Quid patres alii, qui his similia scripserunt? Quid, inquam, nisi sensum spiritalem verborum ex spiritali sensu rerum emanare? Eamdem Iudaeis sententiam fuisse atque etiamnum esse comperimus testimonio Philonis, quod inferius proferemus (426), et Iosephi Albo, quod superius protulimus (316).

363. Eo autem securius in hac sententia perstamus, quod huic eidem plenissime Thomae auctoritas suffragatur. Quaedam eius verba, quae huc spectant, superius (284) retulimus; alia nonnulla nunc referre operae pretium esse existimamus: *Actor . . . . rerum, non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et* SECUNDUM HOC *in sacra scriptura manifestatur veritas dupliciter. Uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus literalis; alio modo, secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis. Et* SIC *sacrae scripturae plures sensus competunt (d). Sensus spiritualis* SEMPER *fundatur supra literalem,* ET PROCEDIT EX EO *(e). Significatio, qua* PER *huiusmodi* RES *Christus aut eius membra significantur, facit alium sensum praeter historicum, scilicet allegoricum (f). Dicendum quod spiritualis sensus sacrae scripturae accipitur* EX HOC, *quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud (g).* Eamdem hanc sententiam theologis omnibus omnibusque scripturarum interpretibus esse pro comperto est.

(a) De civ. Dei L. XVII. c. 3. §. 2.
(b) In Iob. Lib. VI. c. 1. §. 2.
(c) In Evangel. hom. XL. §. 1.
(d) Quodlib. VII. a. 14. c.
(e) Ib. ad 1.
(f) Ib. a. 15. ad 1.
(g) Ib. a. 16. c.

CAPUT XIV

Quaestiones aliquot de spiritali sensu verborum.

364. Quo pacto spiritalis verborum sensus colligatur, quidve hac in re praestare queamus, et quibus regulis interpretem uti oporteat, peculiaris erit disputatio (*a*). Nunc ad illa edisserenda veniamus, quae de hoc eodem sensu quaeri solent; quorum etsi nonnulla iam praeiudicata sint, quum pendeant ex iis, quae loquuti sumus de spiritali sensu rerum, opportune tamen aliis etiam argumentis expedientur. In his autem quaestionibus nomine *sensu spiritali* eum solummodo sensum designamus, qui verbis inest.

QUAESTIO I

De spiritalis sensus speciebus.

365. Primo itaque disquiremus, quotuplex forma spiritalis sensus in scripturis habeatur. Versatur autem haec quaestio tum circa modum, quo verba in spiritalem sensum accepta aliquid significant, tum circa id, quod eo modo significatur.

366. Verba tunc etiam, quum in spiritalem sensum accipiuntur, non secus ac fit, quum accipiuntur in sensum literalem, vel propria sunt vel translata. Hinc sensus quoque spiritalis, si modum spectes, quo verba illum exhibent, alius proprius est alius translatus. Proprius dicitur, quum verba id, quod cum reliqua oratione contexta spiritali sensu significant, ab ea divulsa possent literali et proprio sensu significare. Quod si literali quidem sensu sed translato ipsa per se ac seorsum accepta significare illud possent, sensus spiritalis et ipse translatus dicendus est. Facile itaque intelliges proprium esse sensum spiritalem illorum verborum: *Nec os illius confringetis (b)*, atque illorum: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fi-*

(*a*) Cap. XVI.

(*b*) Ex. XII, 46; Io. XIX, 36.

lium (a); translatum vero, qui his subest: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli (b).*

367. Sin autem species id, quod verbis in spiritalem sensum acceptis significatur, alias (?) iam diximus moris esse interpretum sensum spiritalem triplici forma distinguere, prout vel credenda, vel speranda, vel agenda, attingit, ac pro triplici hac forma alium vocare sensum *allegoricum*, alium *anagogicum*, alium *tropologicum*; quarum nominationum κυριολογία quae et quanta sit, etiam expendimus (?). Apposite magis diversas spiritalis sensus formas pro diversitate rei significatae dispertiremus, ut typos ipsos sive sensum spiritalem rerum, in sensum *propheticum*, *anagogicum*, et *tropologicum*, quae partitio videtur consentanea magis iis, quae apud patres de diversis spiritalis sensus speciebus scripta legimus. Nihilominus a vetustioribus patribus, Origene praesertim et Hieronymo, duplex huius sensus forma solet distingui, quarum una duas priores ex tribus illis complectitur, altera tertiae respondet; hanc alteram sensum ἠθικόν, *tropologicum*, aut etiam *moralem* illi dixerunt, illam vero *anagogicum*, *mysticum*, *spiritalem*.

368. Alias quoque sensus spiritalis partitiones reperias apud scriptores, qui de bibliis agunt; si tamen recte intellexeris huius sensus definitionem, diversas formas, in quas sensum hunc illi partiuntur, nullo negotio comperies vel ad eas, quas enumeravimus, vel ad sensum literalem aut accomodatum, vel ad sententiarum consectaria (283), esse revocandas. Recole, quae de diversis spiritalis sensus nominibus superius (346 - 351) a nobis dicta sunt.

QUAESTIO II

Quatenus spiritalis verborum significatio porrigatur.

369. Quum sensum spiritalem verborum ex typis originem ducere demonstraverimus (360 - 363), pro typis autem nequaquam habenda esse singula, quae in scripturis continentur (328 - 334), praeiu-

---

(a) II Reg. VII, 14; Hebr. I, 5. (b) Ps. CXVII, 22; Matth. XXI, 42.

dicata res est non quibusque scripturarum partibus spiritalem sensum subesse. Verum, omissa ea origine, quam sensui spiritali verborum omnes tribuunt, res haec aliis argumentis probari potest. Quaestionem autem, non ad integras solum scripturarum partes, puta, ad integras narrationes, sive ad integros psalmos, sed etiam ad singulas sententias, ad singulas voces, ad literas singulas, nonnulli extendere solent. Nos vero, quid de literis deque singulis vocibus sentiendum sit, postquam paucis exposuerimus, de reliquis accuratius disseremus.

370. Itaque aio, nihil mysticum nullumque spiritalem sensum literis subesse. Cui veritati demonstrandae vel ipsa contrariae sententiae futilitas ineptiaeque, quibus ea scatet, satis sunt. In mysticum hunc, qui nullus est, literarum sensum venando Iudaei praesertim desudarunt kabbalae illi addicti, quam *spuriam, impuram, anilem, et febriculosam,* lepide dixit Glassius (*a*), a quo etiam, si vacat, ac lubet, sive ab aliis non paucis, quid rei kabbala sit, poteris ediscere. Iudaei huius operis socios Christianorum aliquot habuere. Hi vero frustra Hieronymi auctoritatem obtendunt, seseque illis Hieronymi verbis tuentur: *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis scripturis plena sunt sensibus (b)*, quorum germanam sententiam mox edicemus (374).

371. Sed neque singulis scripturarum verbis subesse sensum spiritalem vel ideo credere compellimur, quia non singula verba ὥσπερ θεόπνευστα habeantur, aut haberi possint. Adde, saepe nos dubios haerere, in aliqua enuntiatione scripturarum quaenam vox ex diversis, quas codices discrepantes exhibent, germana sit. Quin, si rem penitus introspicias, pervidebis neque ullum posse huic quaestioni locum esse. Vel enim voces consideramus, ut sunt aliis iunctae et contextae in una eademque enuntiatione, vel seorsum singulas ac per se ipsas. Si primum fiat, iam non de singularum vocum sensu quaerimus, sed enuntiationis totius; nam sensus inde elicitus, non vocum singularum, sed integrae enuntiationis est, quum saepe vocibus quibusdam immutatis sensus tamen tum literalis tum spiritalis integer maneat, ut in illo exo-

---

(*a*) Philolog. sacr. L. II. P. I. sect. 3. art. 7.

(*b*) In ep. ad Eph. III, 6.

di: *Nec os illius confringetis (a)*, quod in Numeris ita legitur: *Os eius non confringent (b)*, apud Ioannem vero: *Os non comminuetis ex eo (c)*. Sin autem voces singulas seorsum ac per se ipsas spectes extraque sermonis contextum, nisi forte si nomina propria sint, iam non sensum aliquem tibi exhibebunt, qui ex integra solum enuntiatione elici potest, sed meram rei unius notionem vagam plerumque atque indefinitam; quare neque ullum ex ea sensum spiritalem exspectare est. Quis enim sensus, non spiritalis modo, sed vel literalis certus ac determinatus insit verbis *esse, habere, loqui, facere, stare, venire, etc.*, sive nominibus *terra, mons, flumen, populus, urbs, domus, etc.*? Dices fortasse nomen *domum*, exempli gratia, in scripturis μυστικως ecclesiam designare, *populum* vero Christianos. At, si id putas, iam vides te non vocem singillatim accipere, sed adiectis adnexisque aliarum quoque vocum notionibus. Num autem verba illa Salomonis: *Ibit homo in* DOMUM *aeternitatis suae (d)*, de ecclesia dicta credas, aut de Christianis illa Moysis (*e*): *Haeccine reddis Domino*, POPULE *stulte et insipiens?*

372. Superest itaque, ut quaeramus, an singulis scripturarum enuntiationibus ac sententiis aliqua spiritalis subsit significatio, quam praeter sensum literalem ab auctore Spiritu sancto esse constet. Qui ita sensere, *Figuristae* (328) vocati sunt, quorum plures et inter Reformatos sunt reperti Cocceium ducem sequuti. *Figurismi* inter Christianos invehendi plures caussae exstitere. Credita quippe est, quamvis falso ac perperam, doctrina haec, non modo patrum, sed et scriptorum novi testamenti, Pauli praesertim, auctoritatibus commendari. Opinio insuper, quod vel singula scripturarum verba θεοπνευστα forent, contemptus quidam inconsultus eorum, quae in scientiis simpliciora ac planiora videbantur, quodque inde consequens erat, ineptum earum rerum studium, quae aliquid mirabile atque extraordinarium putantur prae se ferre, nec non ipsa Iudaeorum in scripturis exponendis ratio et consuetudo, ad doctrinam hanc sectandam homines

---

(*a*) Ex. XII, 46.
(*b*) Num. IX, 12.
(*c*) Io. XIX, 36.
(*d*) Eccl. XII, 5.
(*e*) Deut. XXXII, 6.

impulerunt; quanto autem cum incommodo ac veritatis detrimento, satis notum est. Hinc enim sensus arbitrarii nonnumquam scripturis afficti ac veluti sancti Spiritus oracula venditati. Hinc inepta argumenta sanctissimis religionis veritatibus ac praeceptis comprobandis petita. Hinc data huius eiusdem religionis hostibus ansa, ut vel divinos libros aspernarentur, atque irriderent, vel calumniam nobis struerent, veluti si ea ipsa veneraremur, quae aliqui ex patribus in scripturarum interpretatione peccarunt, vel illud effutirent christianam doctrinam metaphoris atque allegoriis totam contineri iisque inniti. Lege Lyranum (*a*), Fleuryum (*b*), et Bergierum (*c*). Negare quidem haud possumus fuisse inter patres, non tamen adeo multos, ut quidam Protestantes praesertim contendunt, sed paucos omnino, qui mysticam interpretationem ulterius, quam par esset, extenderent, quosque ideo putes Figuristis favisse; imo fuerunt etiam, qui praeceptis atque regulis, quas scripto consignarunt, figurismum docuisse obiter legentibus videri possent, hosque inter Hieronymus, cuius verba nonnulla paulo ante (370), alia vero superius (329) retulimus. Nihilominus, singulis scripturarum enuntiationibus spiritalem sensum subesse, quum auctoritas nulla sit, quae nos id credere cogat, ratio vero id minime credere etiam suadeat, secure negamus.

373. Testimonia quippe scripturarum, quibus sensus spiritalis veritas comprobatur, producta a nobis iam sunt (354-357); an autem his iure confici possit sensum hunc in qualibet scripturarum enuntiatione latere, quisque potest per se dispicere.

374. Nec maius negotium nobis facessunt testimonia patrum in hanc sententiam a quibusdam congesta, quae plerumque de sensu spiritali rerum, non autem verborum, dicta sunt. Quibus testimoniis etsi vinceres omnibus tum personis, tum rebus, tum eventis in sacro volumine memoratis, spiritalem inesse sensum, non ex hoc sequeretur subesse quoque singulis enuntiationibus, quum harum plurimae neque personam ullam attingant, neque rem, neque ullum eventum. Ceterum, an

---

(*a*) Prol. II ad Postill. biblior.

(*b*) Diss. V sur l'histoire ecclés.

(*c*) Dictionn. de théologie. *Figure*.

patribus tam late patuerit vel ipse spiritalis sensus rerum, iam examinavimus (331. 332. 334). Si quae vero patrum dicta favere reapse videntur sententiae, quam impugnamus, satis tamen non sunt ad illam confirmandam. Primo enim neque adeo multa sunt adeoque perspicua, ut sententia illa patribus communis fuisse putari debeat, aut etiam possit, inque eam iidem convenisse dicendi sint. Tum eos hac de re oratorie atque ὑπερβολικῶς loquutos esse facile perspicias. Ecquis enim in illis Hieronymi verbis paulo ante transcriptis (370) hyperbolam Hieronymo haud infrequentem continuo non agnoscat, quam vel ipsa enuntiatio prodit manifesto? Quid enim? Num suspicabimur Hieronymum sensisse reapse singulis syllabis, singulis literis scripturarum, non dicam plures, sed vel unicum sensum subesse? Memineris praeterea nominationem *sensum spiritalem* aliasque huiusmodi in scriptis patrum incertas et vagas esse (347 - 351), atque, ut fert orationis contextus, definiendas, ubi vero affirmasse videntur nullam scripturarum particulam carere sensu spiritali, nihil aliud eos sibi voluisse (436. 437), nisi illud, quod apostolus Timotheum docuit his verbis (*a*): *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.*

375. Quid vero quod nobis aliisque ita sentientibus patres non pauci nec parvi nominis adstipulantur? Expresse aut saltem implicite id praestant Tertullianus, Origenes, Hilarius, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Gregorius Magnus, Thomas, quorum testimonia iam retulimus (331. 332). Alios nonnullos his adiungemus. Origenes haec scripsit: *Quid opus est in his allegoriam quaerere, quum aedificet etiam litera? Ostendimus ergo esse quaedam, quae omnino non sunt servanda secundum literam legis, et esse quaedam, quae allegoria penitus immutare non debet . . . . Ostendimus, ut opinor, auctoritate scripturae divinae, ex iis, quae in lege scripta sunt,* ALIQUA *penitus refugienda esse et cavenda, ne secundum literam ab evangelii discipulis observentur,* QUAEDAM *vero omnino, ut scripta sunt, obtinenda,* ALIA *autem, habere quidem secundum literam veritatem sui, accipere tamen utiliter et necessario etiam allegoricum sensum* (*b*).

(*a*) II Timoth. III, 16.

(*b*) In Num. hom. XI. §. 1.

Epiphanius : *Divina* OMNIA *verba* NON *ad allegorias referenda, sed, ut se habent, accipienda sunt (a).* Gregorius : *Sententiae . . . nonnullae vero ita exterioribus praeceptis inserviunt, ut, si quis eas subtilius penetrare desiderat,* INTUS *quidem* NIHIL *inveniat, sed hoc sibi etiam, quod foris loquuntur, abscondat (b).* Thomas, qui Augustinum contestatur : *In quibusdam sensus* LITERALIS *quaerendus est* SOLUS *(c).*

376. Ratio vero sententiae, quam defendimus, cui non optima videatur? Quinam enim sensus spiritalis praeter literalem inesse dicatur, exempli caussa, prophetiis, quibus Christus aut novum testamentum praedictum est? puta, illis Iacobi verbis (*d*) : *Non auferetur sceptrum de Iuda etc.*, aut illis Isaiae (*e*): *Ecce virgo concipiet etc.*, aut illis Ieremiae (*f*) : *Feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum etc.*, aut illis Michaeae (*g*) : *In novissimo dierum erit mons domus Domini etc.*, aut illis Zachariae (*h*) : *Ecce rex tuus veniet etc.* Quinam spiritalis sensus sit eorum, quae de caelesti beatitudine scripta sunt, quem neque Thomas (*i*) agnoscit? Quemnam praeter literalem tibi exhibeant vel decalogi praecepta, vel sententiae perplurimae, quae tum in lege, tum in psalmis, tum in prophetis, habentur, moribus dumtaxat conformandis accommodatae? Quid proverbia Salomonis aut Siracidae? Quid illae historiarum partes, quibus vel anni, quos patriarchae vixere et quibus liberos generare coeperunt, vel genealogiae continentur? Non itaque singulis scripturarum partibus spiritalem sensum subesse putandum est.

QUAESTIO III

An novum testamentum habeat sensum spiritalem.

377. De hac quoque re, quae modo in quaestionem venit, an novi testamenti libris subsit sensus spiritalis, praeiudicium iam factum

(*a*) Haer. LXI. §. 6.
(*b*) Moral. L. XXI. §. 1. Vide quoque ep. ad Leandrum praemissam Moralibus c. 4.
(*c*) Quodlib. VII. art. 15. ad 5.
(*d*) Gen. XLIX, 10.
(*e*) Is. VII, 14.
(*f*) Ier. XXXI, 31.
(*g*) Mich. IV, 1.
(*h*) Zach. IX, 9.
(*i*) L. c. ad 5.

est, quum probaverimus sensum hunc ex typis in verba derivari (360 seqq.), nullos autem typos, saltem post adventum Spiritus sancti, οἰκονομίᾳ novi foederis adiunctos fuisse (335 seqq.). Illud tamen aliis quoque rationibus comprobabimus, praemonentes ab hac quaestione evangelia esse seponenda, utpote quibus ea contineantur, quae maxima ex parte gesta fuerunt vetere adhuc obtinente testamento.

378. Etenim, qui id, quo de nunc quaerimus, affirmandum censent, indubitata res est, nullum prorsus eos habere a scripturis ipsis, id est, a scriptoribus novi testamenti, suffragium. Quaecumque enim ex horum testimonio colligere est, quae ad sensum spiritalem defendendum conducant, omnia ad illum dumtaxat pertinent, qui subest libris veteris testamenti; neque ulla in novo testamento verba reperias, quae hi in spiritalem sensum acceperint.

379. Ex patribus, qui expressis verbis id neget, quod nos negamus, doceatque sensum spiritalem reliquis novi testamenti libris praeter evangelia minime subesse, dubito an aliquem sis producturus; qui vero secus sentire videntur, nonnullos deprehendas. Si tamen illud sedulo attenderis, cuius in hisce quaestionibus de sensu spiritali numquam non maxime refert meminisse, quodque numquam nimis inculcatur, sensum, quem patres spiritalem vocant, non semper id genus esse, qui praeter literalem verbis a Spiritu sancto subiectus est, sed vel ipsum sensum literalem, qui mysteria ac sublimiora quaedam dogmata exhibet, aut exempla suppeditat, aut symbolicus sive figuratus est, vel sensum accommodatum, vel piam aliquam commentationem, qua ex ipso sensu literali sive ex ipsa scripturarum sententia aliquid illi inferunt, atque concludunt, moribus erudiendis recteque informandis opportunum, si id, inquam, attenderis, facile etiam perspicies, probari non posse patres adversari potius quam suffragari sententiae huic, ac levi negotio ea dilues, quaecumque ex patrum scriptis deprompta, etsi minus expensa, solent opponi. Etenim pervolve commentarios sive Chrysostomi de Actis apostolorum, quae is unus e patribus vetustioribus explanavit, sive eius atque aliorum de apostolorum epistolis, sive eorum, qui aliqua de apocalypsi scripserunt, et vix quidquam te ex illis corrasurum arbitror, quo contrariae sententiae opem feras. Equidem haec lego de Actis apostolorum apud Chrysostomum: *An historia tantum hoc opus, et spiritu vacat? Ne-*

quaquam (*a*); sed manifestum fit ex orationis serie et contextu in his *spiritum* nihil aliud designare quam θεοπνευστείαν. Praeterea, quae testimonia patrum produximus (388), quum quaesitum fuit, an typi sint in novo testamento, num non illa credere suadent, etiam quod attinet ad praesentem quaestionem, patres secus ac nos nequaquam sensisse?

380. Sed et alii quoque sunt magni nominis auctores, quos nobiscum sentientes habemus, quandoquidem docuerunt rariores omnino typos in novo testamento rarioremque apud huius scriptores inveniri sensum verborum spiritalem, quumque novum testamentum dicunt, etiam evangelia connumerant, atque ex evangeliis pauca illa petunt, quae in exemplum afferre solent. Lege Cornelium a Lapide (*b*), Serarium (*c*), Bonfrerium (*d*), Molinam (*e*), quibus adde Tostatum, qui negat *allegorias* haberi in novo testamento (*f*).

381. Quaenam porro sit alia praeter literalem significatio illorum, quae legimus in epistolis apostolorum? Quinam alterum sensum elicere poterit ex verbis atque enuntiationibus, quibus illae constant? Quumque ea, quae spiritalis sensus exhibet, sublimiora sint iis, quae exhibet sensus literalis, quam vellem, ut quis aliquid mihi, puta, ex Pauli epistolis egereret, quod sublimius sit doctrinis ac praeceptis, quibus hae plenae sunt, et quae ipse harum literalis sensus exhibet. Eodem pacto de apocalypsi loquaris; de qua haec alia praeterea dicere habemus. Ut docet Thomas, quem tamen in hac quaestione de sensu spiritali novi testamenti secus ac nos sentire non diffitemur, *illa, ... quae secundum sensum literalem pertinent ad statum gloriae, nullo alio sensu consueverunt exponi (g)*; horum vero plurima sunt in apocalypsi. Idem autem, quod de his, sentire oportet etiam de plurimis aliis in eo libro descriptis et ad poenas aeternas pertinentibus, quum par sit ratio contrariorum. Idem de iis, quae sub finem mundi futura in illo praedicuntur, post quae nulla erunt alia, quae per ea significentur, neque ulli, quibus hic significatus innotescere atque utilitatem aliquam afferre queat. Ad-

---

(*a*) In Act. hom. I. §. 2.
(*b*) Encom. scripturae §. 24 et de epp. Pauli can. 6.
(*c*) Prolegg. bibliac. c. 21. q. 8.
(*d*) Praeloqq. c. 20. sect. 3.
(*e*) In Thom. 1. q. 1. art. 10. disp. IV.
(*f*) In Matth. XIII. q. 28.
(*g*) Quodlib. VII. art. 15. ad 5.

de, quod vel ipse literalis sensus apocalypseos nos lateat maxima ex parte; qui igitur inde colligas sensum aliquem spiritalem, quem tamen literali inniti nec nisi ex hoc elici, praeter Hieronymi (*a*), Augustini (*b*), Thomae (*c*), aliorumque, auctoritates, ratio ipsa nobis probat? Cui igitur bono fuerit latere in apocalypsi sensum spiritalem? An iis, quibus sub extremos humani generis dies etiam literalis huius libri sensus clarebit? At, si ipse hic est, qui eos attingit, quorsum tandem aut de quo haec alia spiritalis verborum significatio? Nemo autem, qui teneat, quid sensus spiritalis sit, hunc in apocalypsi latere contendet ideo, quia liber ille symbolis, imaginibus, atque allegoriis refertus est; nam in omnibus his sensus literalis simulque translatus habetur. Quemnam denique spiritalem sensum praeferant narrationes eorum, quae ab apostolis atque a priscis Christianis gesta legimus in Actis, num propheticum, an moralem? Si propheticum dicas, quidnam ille portendat? Si moralem, quo argumento id probabis, quum nulla tibi praesto sit vel scriptorum θεοπνεύστων auctoritas, vel saltem patrum, quorum nemo ex vetustioribus librum hunc explanavit praeter Chrysostomum, qui tamen sensum dumtaxat literalem in ea explanatione sectatur interiectis utique moralibus commentationibus, non tamen ita, ut sensisse videatur moralem hunc sensum inhaerere verbis ac loquutionibus illius libri, atque esse id, quod Spiritus sanctus remote intenderit huiusmodi verbis et loqnutionibus edicere atque exprimere.

382. Concludimus itaque, si sensum spiritalem eum esse accipias, quem definivimus, qui, inquam, praeter literalem verbis ac loquutionibus revera subest ex divini auctoris proposito, non exstare talem sensum in iis novi testamenti libris, qui alia complectuntur, quam quae Christi mortem, aut ad summum quae adventum Spiritus sancti praecessere. Sin autem sensum spiritalem dicas id, quod est veluti consectarium sententiarum in illis libris descriptarum, quodque commentando atque concludendo inde colligimus, nemo tibi negabit id recte colligi ex illis posse, ut patres colligere solebant.

(*a*) Ep. ad Dardan. CXXIX. §. 6.
(*b*) De Genes. ad lit. L. VIII. c. 7.
(*c*) 1. q. 1. art. 10. c.

QUAESTIO IV

An significationi spiritali vis argumenti insit.

383. Argumentis ex spiritali significatione petitis vim ullam inesse negant nonnulli, plerique affirmant. Lis autem plane dirimitur, si quaestionem περι θεωρηματος ab ea dividas, quae est περι πραξεως. Utramque ergo separatim habebimus, atque agemus primo de vi argumentorum, quae sensus spiritalis suppeditat, tum de horum usu.

§. I

Adseritur vis illa significationi spiritali.

384. Spiritalibus significationibus, aeque ac literalibus, vim illam inesse, scripturae ipsae nos docent; hoc enim argumentorum genere ipsos scriptores bibliorum adeoque Christum ipsum usos fuisse iam vidimus (305. 356). Sed et ratio manifesta est, quae nos id credere compellit, eaque est, spiritalis sensus aeque ac literalis Spiritum sanctum auctorem esse, ideoque religioni aeque habendum, ne sive prioris sive posterioris auctoritatem detrectemus. Enimvero, qui secus sentiunt, negent etiam, necesse est, sensum ullum spiritalem in scripturis sacris exstare. Si enim exstat, auctorem alium habere nequit nisi Spiritum sanctum; si talem habet auctorem, nequit non esse certissimus; si certissimus est, ineptus esse non potest, ex quo argumenta petantur. At enim, dubitatione quidem caret sensum spiritalem scripturis subesse in universum, sed quibusnam harum capitibus, incertum. O dictum praeclarum! Putares sensum spiritalem esse,

Come l'araba fenice,
Che vi sia, ciascun lo dice,
Dove sia, nessun lo sa.

Si numquam certum habere sensum hunc possumus, quorsum verbis bibliorum illum subiecit Spiritus sanctus? Denique nobis suffragantur theologi atque interpretes scripturarum plerique omnes, quos inter haec sententia communis est, et quorum aliquot supra centum singillatim a me consultos nominare testes possem. Tradunt hi quidem tale momentum spiri-

tali sensui tunc solum inesse, quum certus ille est atque indubius; verum, quod apposite monet Molina, de sensu quoque literali sic est existimandum.

385. Qui contra sentiunt, rationibus atque auctoritatibus sententiam nostram oppugnant, suamque tuentur. Etenim illis, quae ex vetere testamento deprompta affirmavimus a scriptoribus novi testamenti in spiritalem sensum accepta fuisse, atque ita accepta in argumentum fuisse usurpata, negant ullum reapse subesse sensum spiritalem. Si caussam eos roges, aiunt, se id negare hoc ipso, quia scriptores illi ex huiusmodi locis argumenta petunt. At, qui ita ratiocinatur, patet eum illud peccare, quod *circuitionem* vocant dialectici, atque id ponere, quod in quaestione versatur. Neque magis eos iuvat haec alia ratio, inutile esse argumentum depromptum ex sensu spiritali, quia, ut Thomas docet, etsi in aliam sententiam (389), *nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat (a)*. Ratio enim ista non illud attingit, quod nunc quaerimus, an vis argumenti insit sensui spiritali, sed illud, de quo postea quaeremus, usum, inquam, huiusmodi argumentorum. Ceterum, si haec adversariorum ratiocinatio rem universe atque absolute conficeret, dicere etiam necesse foret, argumentum petitum ex aliquo scripturarum capite in sensum literalem accepto inutile esse, quoties eadem res literali aliorum capitum sensu probari potest; quo quid ineptius?

386. Neque magis proficiunt auctoritatibus, quas producunt, Dionysii Areopagitae (*b*), Irenaei (*c*), Epiphanii (*d*), Hieronymi (*e*), Augustini (*f*), et Thomae (*g*). Ac primo memineris, oportet, nullius plane ponderis esse argumentum depromptum ex illo sensu spiritali, quem aliquis ipse per se aut secundum aliquorum interpretum opinionem ex scripturis colligeret. Atque id ipsum est, quod sonant, si quae sunt, dicta patrum, quibus hi sensui spiritali quamcumque argumenti vim in-

(*a*) 1. q. 1. a. 10. ad 1.
(*b*) Ad Tit. ep. IX. §. 1.
(*c*) Haeres. L. I. c. 3. §. 6; c. 8. §. 1.
(*d*) Haeres. XXXI. §. 24.
(*e*) In Matth. XIII, 33.
(*f*) De unit. eccl. cont. Donatist. c. 24 al. 19. §. 69; ad Vincent. Rogatist. ep. XCIII al. XLVIII. c. 8. §. 24.
(*g*) L. c.

sitam negasse videri possent; nisi tamen, qui haec testimonia nobis opponunt, ea secus, ac sonant, intellexisse dicendi sint. Nam Dionysii verba sic vertimus: *Ceterum et hoc intelligere iuvat, duplicem esse theologorum traditionem, alteram secretam et mysticam, alteram manifestam et notiorem; et illam quidem symbolicam et initiatricem, hanc autem philosopham et demonstrativam. Et complexum est ineffabile cum effabili; et hoc quidem persuadet et adstringit veritatem dictorum, illud vero efficit, et in Deo iis, quas nemo docere potest, initiationibus fundat.* Ante omnia animadverte Dionysium hac epistola agere de *symbolica theologia*, quae quid sit, declarat in Mystica theologia, aitque eam esse, qua explicantur, *quotquot sunt symbolicae effigiationis Dei sacrae efformationes et figurationes (a)*; nomine autem *symbolo* designari a Dionysio, non solum typos, ex quibus sensus spiritalis scripturarum exsistit, sed symbola quaecumque, imo etiam res, quarum vocabula ad divina nominanda transferuntur, ut patet ex hac ipsa epistola et ex illo capite Mysticae theologiae. Quibus positis facile senties nihil esse in verbis Dionysii, quod sententiae nostrae adversetur. Illa quippe; *Et complexum est ineffabile cum effabili, et cetera*, quae nobis difficultatem facere putantur, constat non ita esse intelligenda, veluti si *ineffabile* priorem illam institutionem *symbolicam* et *mysticam* significaret, *effabile* autem posteriorem *manifestam* et *philosopham*. Duas enim has institutiones plane distinguit Dionysius, ac distinctas inter se esse affirmat; contra vero illud *effabile* illudque *ineffabile* simul esse *complexa*. Itaque verba illa dicta sunt a Dionysio de priore dumtaxat institutione, quam *mysticam* et *symbolicam* vocat, in hac, inquam, *complexum est ineffabile cum effabili*, id est, ipsum symbolum re aut verbo expressum, quod *effabile* dicitur, atque res per symbolum hoc significata, quae dicitur *ineffabile*; prius *persuadet et adstringit veritatem dictorum*, similitudine videlicet, qualis ea cumque est inter symbolum interque id, quod eo designatur, posterius, hoc est, istud ipsum, quod symbolo designatur, quod Deo attributum est, *efficit, et in Deo iis, quas*

(a) Theol. myst. c. 3.

nemo docere potest, *initiationibus fundat*, hoc est, Dei proprietates eiusque perfectio ea sunt efficacitate, ut nos, dum ipsas per se contemplamur, ad Deum evehant, et Deo iungant longe melius ac plenius, quam ullae hac de re institutiones queant praestare. Lege exempli caussa, quae scribit Dionysius in illa eadem epistola de significatione crateris (*a*). Irenaeus, quique hunc exscripsit, Epiphanius non loquuntur de sensu spiritali, sed de quibusdam testimoniis scripturarum, potissimum autem de parabolis aliisque translatis loquutionibus, quas Valentiniani depravabant, atque ad suam sententiam inepte detorquebant. De huiusmodi quoque verborum translationibus dicta esse patet haec, quae scripsit Hieronymus: *Numquam parabolae et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere (b)*; parabolae enim, non ad aliquid probandum, sed ad ea, quae aliis argumentis probantur, explicanda et declaranda solent usurpari. Hinc miraberis eos, qui vim argumenti spiritali sensui inesse negant, argumenta tamen subinde petere ex parabolis evangelii, adeoque in eum sensum acceptis, qui dubius est, imo etiam plane alienus. Ubi tamen parabolarum sensus certus est atque indubius, in tantum ex illis argumenta peti possunt, in quantum produnt sententiam eius, qui illas narravit. Augustini verba, quae multi acriter urgent, sic habent: *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari*, NISI *habeat et* MANIFESTA *testimonia*, *quorum lumine illustrentur* OBSCURA *(c)*. *Haec mystica sunt*, OPERTA *sunt*, *figurata sunt*; *aliquid* MANIFESTUM, *quod interprete non egeat*, *a vobis flagitamus (d)*. Quae quidem, ut Michael de Medina animadverterat (*e*), utque ipsamet sonant, dicta sunt, non de eo sensu spiritali, qui certus est atque indubius, quique aliis *manifestis* sacrorum scriptorum *testimoniis* declaratur, sed de eo, quem ipsi ex scripturis extundimus, aut qui saltem *obscurus*, *opertus*, atque incertus est. Imo loquitur Augustinus de illis Cantici verbis: *Indica mihi*, ... *ubi pascas*, *ubi cubes in*

(*a*) Ep. cit. §. 3.
(*b*) L. c.
(*c*) Ad Vincent. Rogat. l. c.
(*d*) De un. eccl. l. c.
(*e*) De recta in Deum fide L. VI. c. 25. p. 223.

MERIDIE (*a*), redarguitque, atque castigat Donatistas, qui, quamvis haec translata sint, proprie tamen vocem *meridie* accipiebant tamquam de Africa dictam, atque hoc argumento probare adnitebantur, ecclesiam Christi intra suarum regionum terminos coarctatam esse; quamobrem brevius respondemus, Augustinum, aeque ac patres prius nominatos, negasse vim aliquam ad probandum inesse sensui *proprio* verborum illorum, quae in sensum *translatum* sunt accipienda. Sane ipse Augustinus urget sensum spiritalem plurimarum scripturarum longo sermone disputans contra Faustum (*b*). Denique Thomas haec scribit: *Ex . . . . solo (sensu literali) potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam (c).* At, quo pacto verba Augustini sint accipienda, et qua de allegoria is loquatur, modo vidimus; Thomam autem, non de quocumque sensu spiritali, sed de eo, qui minus certus est, loqui, testes sunt ipsi Thomistae ceterique Thomae interpretes praeclarissimi, imo non haec dixisse videtur Thomas περι θεωρηματος, neque his negabat vim argumenti sensui spiritali subesse, sed περι πραξεως deque usu huiusmodi argumentorum, de quo iam dicendum est.

§. II

De usu argumentorum, quae ex sensu spiritali peti possunt.

387. Etsi argumentis ex spiritali sensu petitis nequeat non inesse ea vis, quam iis tribuimus, hisque scriptores novi testamenti atque ipsum Christum usos esse pro comperto sit, nunc tamen huiusmodi argumenta vix ullum usum habent in theologia. Sensus enim spiritalis, ex quo argumenta quis ducere vellet, vel certus est vel dubius.

388. Ex significatione spiritali, quae certa plane atque indubia non est, liquet argumentum ἀποδεικτικον duci non posse. Sic, exempli caussa, arbor vitae a Deo satus in medio paradiso typus fuisse fertur eu-

(*a*) Cant. I, 6.
(*b*) Cont. Faustum L. XII. cc. 5-40.
(*c*) L. c.

charistiae, quod sane cur neges, ratio nulla est; non tamen adeo hac de re certi sumus, ut illis, quae de arbore hac a Moyse narrantur (*a*), comprobare possis effectus eucharistiae eos esse, quos credere iubemur.

389. Ubi autem spiritalis aliqua significatio certa est atque indubia, hoc plerumque ideo fit, quia aliquis alius e scriptoribus bibliorum hanc nos docet, ideoque duo sunt loci, unde ea colligi potest, unus, quo ipsius auctoris verba leguntur, alter, quo μυστικῶς explicantur ad aliquid declarandum vel comprobandum, in priore tamen significatio illa latet, patet vero in posteriore; quamobrem, quum par sit utriusque auctoritas, siquidem significationem hanc ad aliquid declarandum aut probandum et nos urgere velimus, eam petemus potius ex loco, quo patet, quam ex illo, quo latet. Sed argumentum petere ex loco, quo ea patet, hoc est, ubi scriptoris ipsius θεοπνεύστου verba interpretatur alius scriptor θεόπνευστος, id ad unum atque idem recidet, ac petere argumentum, non tam ex illius, quam ex huius auctoritate, sic enim nihil aliud facimus, quam ut huius verba aut sententiam repetamus. Adeoque tota vis argumenti, non tam ab ipsa illa significatione, quam ab huius eiusdem scriptoris auctoritate dependebit, ipsumque argumentum tibi suggeret locus, non cui significatio illa veluti latens subest, sed quo scriptor iste illam tibi aperit. Atque huc spectare videntur verba Thomae superius relata (385): *Nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat.* Exemplo sit oraculum de Salomone prolatum: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* (*b*). Quis haec, ut in libro secundo Regum leguntur, de Christo, utique secundum sensum spiritalem, dicta esse intelligeret, nisi nos Paulus (*c*) certiores fecisset? Si itaque Christum Dei filium esse his comprobare instituas, ea usurpabis procul dubio, non ut quae a Nathane ad Christum Deum significandum prolata fuerint, sed ut quae a Paulo relata atque in hunc sensum accepta; quo vides argumentum in Pauli ipsius auctoritate consistere.

390. Ne vero illud reponas, quod, si res sic se haberet, etiam alia argumenta ex sacris scripturis petita, quum horum sensum pa-

(*a*) Gen. III, 22.
(*b*) II Reg. VII, 14.
(*c*) Hebr. I, 5.

tres nos docent, in patrum auctoritate consistere dicenda forent, eaque, non tam ex scripturis sacris, quam ex patrum testimonio duci. Ne id, inquam, reponas. Etenim in tantum vis argumenti ex spiritali aliqua significatione petiti ad testimonium alius e scriptoribus bibliorum, qui nos hanc significationem docet, revocari dicenda est, in quantum una eademque est divina auctoritas omnium scriptorum θεοπνευστων, imo unus atque idem est scripturarum omnium sacrarum auctor Spiritus sanctus; proinde non secus fit, ac quum quis argumentum ducere vellet ex alicuius scriptoris, puta, Platonis aut Aristotelis, verbis obscurioribus, quae scriptor ipse alio loco declararet, argumentum enim huiusmodi, non ex eo loco, ubi verba illa leguntur, sed ex eo, ubi declarantur, petitum foret. Verum aliter res se habet, quum argumenta depromimus ex scripturarum sacrarum verbis in aliquem sensum acceptis, quem a patribus didicimus. Neque enim una atque eadem est scriptorum, qui haec verba protulere, et patrum, qui ea interpretantur, auctoritas; quandoquidem, etsi, quum patres omnes in aliquem sensum ex scripturis eruendum consentiunt, nequeat sensus hic non verus haberi, non tamen tale momentum patrum sententiae ideo inest, quia divino numine afflati fuerint, ut fuere scriptores bibliorum, sed quia testes sunt eorum, quae de bibliorum interpretatione ac sensu ecclesia omni aetate docuit. Proinde consistet utique in patrum auctoritate vis illius argumenti, quo probare velles hanc illamve significationem quibusdam scripturarum verbis vere subesse, idque ipsis patribus credimus, ast, veram esse rem verbis illis significatam, credimus ipsi scriptori θεοπνευστω, visque argumenti ex horum verborum significatione deprompti ad rei significatae veritatem comprobandam in huius ipsius auctoritate consistit. Patet itaque ab re esse illud, quod nobis opponitur.

391. Ceterum, quod affirmamus, argumenta ex spiritali sensu ducta vix ulli usui nunc esse in theologia, monemus id verum esse tunc solum, quum illud ipsum comprobandum est, quod per sensum spiritalem exhibetur, ut facile intelliges ex exemplo superius posito (389). Secus tamen est, si significationes spiritales ex ea parte consideres, qua aliquid futurum portendunt; tunc enim, etsi alius e scriptoribus bibliorum illas nos doceat, eae tamen ipsae per se, aeque ac cetera vaticinia, illud argumentorum genus suppeditant, quod a rerum futurarum prae-

dictione duci solet. Exempli caussa, illa verba exodi: *Nec os illius confringetis (a)*, μυστικως significabant futurum, ut Christo crura non confringerentur; hanc vero significationem didicimus a Ioanne (*b*). Ideoque, si illis verbis confirmare aggredereris Christo crura nequaquam fuisse confracta, usurpare ea deberes, non ut quae a Moyse prolata, sed ut quae a Ioanne relata atque in eum sensum accepta sunt, quo, non Moyses, sed Ioannes argumentum tibi suggereret; at, si probare velles illud, quod factum narrat Ioannes, praedictum olim fuisse a Moyse, plane id conficeres proposita spiritali illorum verborum significatione.

392. Praeterea recte animadvertit Molina, *licet singuli sensus spiritales*, ii videlicet, qui minus certi sunt, *probabile dumtaxat sint argumentum ad confirmandas res fidei, attamen consonantiam tot figurarum veteris testamenti, quibus adeo ad vivum delineatae ac expressae sunt res novi testamenti, esse non leve argumentum ad confirmationem fidei, quo etiam contra infideles uti possimus (c)*. Eadem haec iam protulerat Augustinus: *Et ex illis, quae figuris involuta sunt, si quaedam velut sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita coniungunt in contestatione Christi voces suas, ut cuiusvis obtusi surditas erubescat (d)*.

QUAESTIO V

An prophetiae sint, quibus praeter literalem, spiritalis quoque sensus subsit.

393. Famosum, mala utique fama, est Grotii inventum, quod ad prophetas interpretandos excogitavit. Prophetias τυπικας esse, ac duos proinde esse earum sensus; proximum unum et minus nobilem, quo typos ipsos, remotum alterum et sublimem magis, quo Christum resque huius eae designant. Inventum istud edisserit in commentariis quibus Matthaeum illustravit (*e*), eique adhaeret in interpretatione veteris testamenti, quoties aliqua prophetia explananda est, si paucas prorsus exce-

(*a*) Ex. XII, 46.
(*b*) Io. XIX, 36.
(*c*) L. c.
(*d*) Cont. Faustum Lib. XII. c. 7.
(*e*) In Matth. I, 22.

peris, per quas Christum tantummodo significari, haudquaquam potuit infitias ire. Quam misere res cesserit Grotio, quamque invitis omnibus artis hermeneuticae legibus ac regulis propositi tenax is fuerit, eius commentaria volutantibus nequit non illico apparere. Lege exempli caussa, quae adnotavit in Isaia c. LIII et in Michaea c. V. v. 2. Haec tamen grotiana placita, non modo amplexus esse, sed et latius longinsque extendisse omnique limite liberasse videtur Pascal, cuius verba, fatear equidem, miratus sum ita relata haberi in bibliis Lutetiae dudum editis (*a*), inque annotationibus, quae leguntur in fine operis editi a Duclotio (*b*), ut etiam Pascalis sententia probetur, atque accipiatur. Pascalis verba sic habent: *Si prophetiae unicum sensum habere creduntur,* CERTUM EST *Messiam nondum advenisse; si duplicem habent, certum est advenisse eumque esse Iesum Christum (c).* Andacius enimvero! quod tamen non huius loci est refutare; quamvis ad huiusmodi commentum refutandum vel unicum sufficeret vaticinium a Daniele prolatum de septuaginta hebdomadibus (*d*). Audeat enim Pascal, et, siquidem hebdomadas illas annis constare, non diebus, nobiscum sentit, aliam inde sententiam extundat praeter designatam aetatem, qua Christus esset adventurus. Quod si aetatem hanc designat Daniel, licet solum praetereaque nihil, num non haec prophetia, quantumvis unicus illi sensus subsit, satis superque sit, ex qua certo concludamus, Messiam advenisse, nullumque alium hunc esse nisi Iesum Christum?

394. Communis itaque ac certissima sententia, quam sequamur, oportet, utpote quae patrum omnium fuit, est maximam ac potissimam prophetiarum partem, quae priore foedere obtinente editae fuerunt, ad Christum resque huius directo, proxime, atque solummodo, pertinere (*e*). Nihilominus negari nequit aliquas illarum fuisse τυπικας, quibus, inquam, et typus praediceretur secundum earum sensum literalem, et per typum, hoc est, secundum sensum spiritalem, simul praenuntiaretur antitypum (*f*).

(*a*) La sainte bible *De Vence* T. XIII. Préface générale sur les prophètes p. 25.

(*b*) La bibbia sacra difesa T. V. p 377. Brescia 1822.

(*c*) Pensées. c. XIII. n.° 2.

(*d*) Dan. IX, 24.

(*e*) Vid. *Bergier* Dictionnaire de théologie. *Prophétie.*

(*f*) V. *Bossuet.* Supplenda in Psalm. pp. 611. 612; *Huet.* Dem. evang. prop. VII. §§. 2. 4; prop. IX. c. 171. §. 7.

395. Huic, quam affirmamus, veritati comprobandae auctoritas scripturarum praesto est. Etenim hoc τυπικων vaticiniorum genus a scriptoribus novi testamenti agnitum fuisse apparet ex Genes. XVIII, 10 coll. Rom. IX, 9; Genes. XXI, 10 coll. Galat. IV, 30; Genes. XXI, 12 coll. Rom. IX, 7. 8; Genes. XXV, 23 coll. Rom. IX, 13; II. Reg. VII, 14 coll. Hebr. I. 5; Is. X, 22 coll. Rom. IX, 27. Quamquam enim vaticinia haec omnia aliquid portenderint, quod vetere adhuc obtinente testamento futurum erat, a Paulo tamen explanantur tamquam impleta, quum novum testamentum conditum iam esset; id autem profecto non aliam ob caussam fieri potuit, nisi qnia duplex fuerit hornm vaticiniorum πληρωμα, quornm prius posterioris typus habendus sit.

396. Vix quidqnam habes in scriptis patrum, quod aperte loquuti sint de hoc genere prophetiarum. Haec quidem leges apud Hieronymnm: *Abdias . . . pertonat contra Edom sanguineum terrenumque hominem, fratris quoque Iacob semper aemulum hasta percutit spirituali. Ionas . . . sub nomine Ninive salutem gentibus nunciat (a).* Attamen, an prophetiae huiusmodi patribus agnitae fuerint, dubitare non est, tum quia et scriptoribus sacris, ut vidimus, agnitae fuerant, tum etiam quia, qnum totum συστημα prioris οἰκονομιας ut posterioris typum patres habuerint (330), vaticinia, quibus typi ipsi praenuntiabantur, ad antitypa usque protendi iidem existimasse dicendi sunt.

397. Harum itaque τυπικων prophetiarnm duplex est sensus vaticinus, alter literalis typum exhibens, alter spiritalis exhibens antitypum. Quo semel posito facile ab his distingues alias scripturarum partes, in quibus de typis propheticis sermo est, non tamen ut de re futnra; hisce enim duplex utique sensus subest, tum literalis, quo typus, tum spiritalis, quo antitypus significatur, quorum tamen sensuum spiritalis solummodo sensus vaticinus est, ideoque prophetiae utique sunt quantum ad antitypum, non tamen quantum ad typum. Huiusmodi sunt Exod. XII, 46 coll. Io. XIX, 36; Deuter. XXX, 14 coll. Rom. X, 8; Ps. XVII, 3 coll. Hebr. II, 13; Ps. XXIV, 19

(a) Ad Paulin. ep. LIII al. CIII. §. 8.

coll. Io. XV, 26; Ps. XL, 10 coll. Io. XIII, 18; Ps. LXVII, 19 coll. Ephes. IV, 8; Ps. LXXVII, 2 coll. Matth. XIII, 35; Ps. CXVII, 22 coll. Matth. XXI, 42; Is. VIII, 18 coll. Hebr. II, 13; Os. XI, 1 coll. Matth. II, 15. Ab utroque autem hoc genere manifestum est discrepare prophetias illas, quae, quum solum de antitypis editae sint, haec tamen designant adhibitis nominibus earum sive rerum sive personarum, quas typos fuisse constat (224); hae namque prophetiae ad typos illos nullo modo pertinent, atque unus iis subest literalis sensus translatus.

CAPUT XV

Contraria argumenta refelluntur.

398. Tria demonstravimus, prioris foederis *οἰκονομίαν* typis ornatam fuisse, scripturis sensum spiritalem subesse, huncque ex typis sive ex horum spiritali significatione manare; defendimus, inquam, sensum spiritalem rerum, verborum, atque huius ab illo originem. Plura disputantur tum contra unumquodque istorum, tum contra rationes, quibus illud probavimus, eaque simul, quae saltem praecipua sunt, huc congesta refutare aggredimur, ac primo quidem ea, quae contra ipsam typorum ac spiritalis interpretationis naturam atque indolem, tum ea, quae contra nostras ratiocinationes, denique ea, quae contra originem spiritali verborum sensui assignatam proferri solent, aut possunt.

399. Monitum autem esse quemque volumus, nos nequaquam sollicitos futuros, quod adversarii rem conficere nitantur productis in exemplum nonnullis aliquorum theologorum aut forte etiam patrum interpretamentis, quae tamen nihil aliud efficiunt, nisi ut demus horum nonnullos vel nimios ea in re fuisse, vel conatos subinde esse sensum aliquem spiritalem extorquere ex iis scripturarum partibus aut sententiis, ex quibus tamen nullus foret exspectandus, quamquam tale peccatum in illorum scriptis nullo modo adeo grave ac monstrosum sit, ut adversarii illud effingunt, et comminiscuntur, quam rem ea, quae disseremus, palam facient. Haec enim quorumdam interpretum σφαλ-

ματα veritati typologiae et spiritalis interpretationis non magis officiunt, quam officiat veritati atque auctoritati scripturarum, quod earum testimoniis quidam abutantur, vel quod prave haec intelligant, atque interpretentur.

400. Sed neque ullo loco habebimus cavillationes illas, utpote falsarum quarumdam ὑποθέσεων consectaria, quas adversarii in nostram sententiam movent. His, ut alicuius meminerimus, scatere videas, quae Laurentius Bauerus adversus sensum spiritalem disseruit (*a*). Ita enim loquitur, ut qui ponat sensus spiritalis originem a consilio ipsius scriptoris nos repetere (*b*); hinc sensum illum iis argumentis impetit, quibus probari solummodo posset, scripturis duplicem sensum literalem non esse adscribendum (*c*). Neque attendit, patribus sensum literalem saepe non esse alium nisi proprium (*d*); hinc et ipse ea, quae patres loquuntur de sensu translato, quem spiritalem vocant (347 - 351), ita accipit, tamquam si loquerentur de vero ac proprie dicto sensu spiritali (*e*), falsoque concludit sensum spiritalem sectantes destruere literalem (*f*). Sed iam manus cum hostibus conseramus.

ARTICULUS I

Refelluntur argumenta, quae solent proferri contra ipsos typos ipsamque interpretationem spiritalem.

401. Aiunt itaque absurdum quid prae se ferre mysticam hanc interpretationem. Etenim, dum eam sectamur, particulas aliquot totius sermonis accipimus in alium sensum eo, in quem totus sermo accipi debet; idque fieri necesse est absque delectu aut ordine ullo, atque ita, ut scriptori, quod minime dixit, affingamus. Verum nonne sermonibus et narrationibus scripturarum etiam in sensum literalem acce-

---

(*a*) Hermeneut. sacr. §§. 8. 9. pp. 22 - 27. 39 - 44. Lips. 1797.

(*b*) Ib. p. 23 *Prima ratio etc.*; p. 24 *Quis adduci potest etc.*

(*c*) Ib.

(*d*) Ib. p. 42 *Quin imo etc.*

(*e*) Ib. et p. 26 *Inde videmus etc.*

(*f*) Ib. p. 27 *Quamcumque rationem etc.*

ptis unitas quandoqne deest, et subinde quasdam veluti particulas insertas legimus, qnae alio spectant atque integer sermo? Nonne id in prophetiis factnm videmus, ut diversa simul praenuntientur, quaedam vero inter alia omnino disparata? Huiusmodi sunt, quae leguntur in Gen. XLIX, 18; Is. XLV, 8; LXV, 8-10; Ier. XXXI, 15; Mich. V, 2; Zach. III, 8; VI, 12; IX, 9. Pari ratione refellas argumentum petitum ex defectu ordinis, quandoquidem etiam prophetiae subinde eo destituuntur. Imo in spiritalibus significationibus unitas atque ordo, ut Hieronymus nos monet (*a*), nec flagitari debent, nec possunt, quum Spiritus sanctus, qui neminem in hoc opere habet συνεργον, grammaticis aut rhetoricis praeceptis minime obstrictus sit, horumque defectu ne ii, quos ita alloqnitur, impediantnr, qui facere possit, optime novit. Porro legisse iuvabit ea, quae de utraque re scripsit Petrus Daniel Huetius (*b*). Quod autem tertio loco opponunt, nos, dum μυστικως scripturas interpretamur, id affingere scriptori, quod minime dixit, fallaciam quamdam in se occultat. Si enim is scriptor est ipse Spiritus sanctus, iam patet ita ratiocinantes tamquam certum ponere illud ipsum, quod in quaestione nunc est, an Spiritus sanctus illud edicere voluerit, quod spiritalem sensum vocamus. Sin autem is est ipse scriptor θεοπνευστος, tota illa ratiocinatio vel falsae innititur ὑποθεσι, nos, inquam, hunc sensum scriptori huic tribuere, vel nihil officit veritati sensus ipsius ac sententiae, quam nunc defendimus; quamvis enim scriptori illum errore veri tribueremus, non inde consequeretur neque Spiritui sancto eum tribui posse aut debere. Illud denique memoria retineamus, quod, si typos fuisse ac proinde spiritalem sensum rebus inesse nihil absurdi praesefert, eccur enim nequeat Deus symbolis uti? neque absurdum esse potest sensum hunc in verba ipsa, quibus res illae commemorantur, derivari hisque subesse.

402. At enim, inquiunt, typos ac sensum spiritalem rerum aeque ac verborum inutile qnid esse nemo non videt; ecquis autem Deo affingat opus inutile? Non eqnidem affingam. Illud tamen pernegabo, ad factorum, etiam qnae Deo auctori tribnuntur, veritatem convellendam quidquam valere argumenta προληπτικα ex rei inutilitate deprompta,

---

(*a*) In Ion. I, 3.

(*b*) Dem. ev. prop. IX. c. 171. §§. 4-7.

quidquid nova ars logica Rationalistarum secus praecipiat. Num enim, quidquid utilitatis Deus aliqua in re esse cognoscit, id nobis aeque patere necesse sit? Prius itaque, an Deus aliquid fecerit, scire oportet; tum vero, quid in hoc utilitatis sit, quum reapse, an sit, nemini iam liceat dubitare, si forte lateat, est disquirendum. Verum eccur spiritalis illa sive rerum sive verborum significatio inutilis dicatur? Quia, inquiunt, non erat, quo eam discerent veteres Israelitae, et quia interpretum *magnus est dissensus, ut fere in singulis commatibus explanandis a se invicem differant (a),* quia denique ex vasta illa typorum congerie, quae toto vetere testamento contineri fertur, vix ullos certo compertos haberemus, illos, inquam, solummodo, qui in novo testamento commemorantur. Quarum rationum priori, quid Iahn reponat, audiamus: *Symbolicis autem his substitutionibus victimarum in locum transgressoris aliquam significari veram substitutionem Messiae in locum peccatorum, Hebraeorum quidem antiquorum vix unus alterve propheta perspexit, Is. LIII; id tamen significationem ipsam non magis impedit, quam vaticiniis obest, quod prophetae ipsi ea sibi non esse pervia fatentur. Etsi enim illo quidem tempore hanc sacrificiorum significationem non intelligebant, ad illam tamen aliquando percipiendam praeparabantur (b).* Eadem quippe, quae prophetiarum, typorum quoque ratio erat idemque finis, ut tunc plene innotescerent, quum ipsorum πληρωμα iam haberetur, significationemque Christus et apostoli Iudaeos docerent. Minime tamen in his Iahni verbis accipimus vix unum alterumve prophetam perspexisse spiritalem typorum significationem. Argumentum, ut vocant, *negativum*, quod ex scripturis depromi posse cuidam fortasse videatur, huic rei comprobandae satis non est. Quid vero quod in scripturis momenta non desunt, quibus contrarium credibile omnino fit? Nam praeter Isaiam, cuius meminit Iahn, nonne scriptor Sapientiae, quosnam tum tabernaculum (302) tum manna (290) typicos significatus haberent, nos docuit? Nonne et Oseas (c), et Ieremias (d), et Ezechiel (e), agnoverunt Davidem

(a) *Bauer* l. c. p. 24.
(b) Archaeolog. §. 384.
(c) Os. III, 5.
(d) Ier. XXX, 9.
(e) Ezech. XXXIV, 23.24; XXXVII, 24. 25.

Christi typum fuisse, perque Davidis regnum regnum Christi fuisse significatum? Nonne Abraham, teste Paulo, filium Isaacum *in parabolam accepit (a)?* Quare Origeni omnino assentiendum esse arbitror haec scribenti: *Pervenerunt enim et illi a Spiritu manuducti, postquam introducti fuissent atque exerciti in figuris, ad veritatis visionem . . . . Arbitror vero ego eos, qui perfecte et sincere filii Abraham exstiterint, filios esse actionum ipsius Abrahae, quae intelliguntur esse spiritales, atque etiam filios esse scientiae manifestatae ipsi Abrahae, quoniam, quae ipse cognovit, et fecit, ingenita fuerunt illis, qui filii sunt patriarchae (b).* Dissensus vero interpretum, quem nobis exprobrant adversarii, quique subinde est in unius eiusdemque sententiae significatione spiritali definienda, quid caussae nostrae noceat, non video, tum quia et in colligendo sensu literali scripturarum interpretes discrepant quam saepissime, tum quia unius eiusdemque rei, ac proinde eorumdem etiam verborum, spiritalis significatio ad plura atque diversa porrigere sese potest, neque unica, uti literalis, semper est, sed quandoque etiam multiplex. Id lectis patrum commentariis liquido perspicimus. Quare neque satis proprie dissensus vocari ille potest, quum potius sit varietas interpretationum, quae ex significationibus multiplicibus consequitur necessario. Quod si in libris novi foederis typos non adeo multos prae illorum numero, quos in vetere fuisse novimus, commemoratos explanatosque reperis, memento apostolos non omnia scripsisse, sed longe plura, quam scripserint, viva voce tradidisse; tum multorum quoque vaticiniorum etiam ex praeclarissimis, non modo significatio non exposita, sed neque mentio saltem aperta in novo foedere iniecta est.

403. Neque hoc alterum animadvertere omittam. Etsi nulli unquam fuissent typi, neque ullus esset proinde spiritalis verborum sensus, iniuria tamen, nec nisi pro mala adversariorom mente maloque animo, quo in sanctos ecclesiae patres esse solent, mysticae horum interpretationes tamquam absonae atque inutiles acriter adeo, ut fit, ab illis carperentur. Nemo enim Aesopum carpit aut Phaedrum ob ἐπι-

(a) Hebr. XI, 19.

(b) T. VI in Io. I, 19.

μυθια, quae fabulis suis subdidere, quia nemo hoc eorum opus non commendat, Eccur igitur patres sanctissimos tamquam inepientes adlatrare impuro ore non vereantur Rationalistae, quod, non ex fabulis rebusque ludicris, sed ex ipsis Dei oraculis atque ex θεοπνευστων historiarum voluminibus peropportuna vitae recte instituendae documenta colligere studuerint? Quandoquidem, vel Tullio teste, historia est *lux veritatis, . . . magistra vitae (a)*, imo, teste Spiritu sancto, OMNIS *scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus (b).*

ARTICULUS II

Refelluntur argumenta prolata contra testimonia scripturarum.

404. Rationem, qua adversarii sese extricare conantur ex argumentis, quae typologiae ac spiritalis sensus veritati comprobandae scripturae suppeditant, aures christianae audire vix ferant. Quum enim scripturarum hac de re testimonia manifesta sint, ea recensare aut detorquere nequeunt, ultroque dant *scriptores novi testamenti nonnumquam allegoricam interpretandi rationem sectari (c)*. At fixum illis est typos ac sensum spiritalem respuere. Quid igitur faciant? Hoc unum scilicet super ipsis est, ut, quamvis scriptoribus sacris ea fuerit sententia, tamen, *idcirco affirmandum esse sensum mysticum esse verum et a sacris auctoribus veteris testamenti intentum, nosque apostolorum exempla sequi et sublimiorem sensum scrutari debere (b)*, praefracte atque impie negent, ac pernegent. *Ubicumque enim*, inquit Bauerus, *apostoli allegoricam explicationem proferunt, aut ad typos provocant, quibus res futurae adumbratae sint, ad interpretandi rationem illo tempore inter Iudaeos receptam sese accommodant, ... formulam explicandi in iudaicis libris consuetam sequuntur; quae, cum*

(a) De Orat. L. II. §. 36.
(b) II Timoth. III, 16.
(c) *Bauer* l. c. p. 28.
(d) Ib.

per se improbabilis et prorsus arbitraria sit, *merito repudianda est (a)*.

405. Enimvero religiosa Baueri erga Christum reverentia commendatione digna est, qui, ne illum quoque impetere videretur ea calumnia, quam apostolis iustruere non est veritus, eius inter typologiae patronos meminisse, quod tamen omnino facere oportebat (304. 305), securus omisit. Ceterum, siquidem typologia sensusque spiritalis quid commentitium ac fictum foret, id sane Christum non latuisset. Qui igitur fieri potuit, ut, non modo scripturas μυστικῶς exponeret, sed etiam ex his ita expositis argumenta duceret? Dicerent, ut usui et gustui Iudaeorum obsecundaret. At oppido praepollens rationis momentum hoc fuit, cur, qui ipsa sapientia vocaretur, atque haberetur, falsum scripturis sensum affingeret, ac veluti vera argumenta ignorans ficta haec veritati comprobandae usurparet, atque obtruderet, fallacemque ac ludicram exponendarum scripturarum ac dogmatum comprobandorum rationem exemplo suo apostolos atque ecclesiam doceret.

406. Quod vero attinet ad apostolos, utrum hoc dicent adversarii, illos probe novisse spiritalem sensum commentitium esse, an ignorasse? Si alterum hoc sibi sumant, dicant quoque necesse est scripturarum scientia apostolos fuisse destitutos; at, si res sic habet, non equidem assequor, quid illa sonent, quae legimus apud Lucam: *Tunc aperuit illis sensum*, *ut intelligerent scripturas (b)*, imo neque ipsos assequi arbitror Rationalistas, quum unus ex horum primoribus Roseumüllerus senior ea in suis commentariis vel attingere veritus sit, indictaque ac veluti intacta transiliverit. Sin autem noverant apostoli sensum spiritalem, in quem accepta scripturarum verba enarrabant, esse fictum et commentitium, dicendi sunt nos fefellisse, dum eum nobis tamquam verum ac germanum obtrudebant. Si dicas ita eos egisse, ut consuetudini morem gererent, os tibi obstruent ea, quibus modo parem calumniam a Christo propulsavimus.

407. Opponunt deinde nobis partes quasdam scripturarum, quibus sensus spiritalis subesse dicitur, quin tamen aliquid reapse praeferant, quo non inepte illud dicatur. Hinc omnem vim adimi argu-

(a) Ib. pp. 28. 29.

(b) Luc. XXIV, 45.

mento desumpto ex notione atque usu verbi *impleri* (306-310. 357), quod verbum in allegandis huiusmodi scripturarum capitibus usurpatum est ab apostolis atque evangelistis. Opposita autem haec melius diluemus, si illas ipsas scripturarum partes examinemus.

408. Equidem non diffiteor difficultatem aliquam nobis facessere Matthaeum narrantem, oraculum quoddam Ieremiae (*a*) impletum fuisse, quum Herodes pueros Bethlehemitas necari iussit (*b*). Ieremiae enim verba, utrovis modo illa accipias, sive in literalem sive in spiritalem sensum, rem hanc significare minime videntur. Putant quippe nonnulli sensum literalem ad eos pertinere, qui Hierosolymis viciniaque in Chaldaeam abducendi antea Ramam congregabantur (*c*). Hieronymus autem haec scripsit de illis verbis Ieremiae: *Quaeritur itaque, quomodo Matthaeus evangelista testimonium prophetae ad interfectionem* TRANSTULERIT *parvulorum, quum perspicue de decem tribubus scriptum sit (d)*. Hos vero typos fuisse puerorum, quos Herodes interemit, quo verbis illis spiritalis sensus subesse possit, aut priore illa calamatitate tam grandi alteram hanc longe minorem praesignificatam esse, nemo, ut credat, facile in animum induxerit. Quid ergo superest, nisi ut dicamus Matthaeum Ieremiae verba in sensum, ut vocant, accommodatum accepisse?

409. Ego vero libens dabo oraculo Ieremiae nullum subesse sensum spiritalem, at non aeque dabo oraculum hoc a Matthaeo illi puerorum internecioni fuisse accommodatum, sed contendam nihil repugnare, quominus in sensum literalem acceptum de internecione illa dictum fuisse affirmemus. Nunc quidem locus non esset huic rei demonstrandae, sed, ne difficultatem declinare videamur, hoc omnino praestandum est. Nemo, puto, mihi illud affirmanti obluctabitur, qui tria quaedam ex hactenus disputatis in mentem revocaverit. Quorum unum est, quae typorum sunt, quaeque rerum per typos designatarum, ea subinde a prophetis permixte edici (84). Alterum, praecipuae vaticiniorum materiei alia quandoque, etsi disparata, intermisceri (401). Denique tropos etiam ex rebus vere gestis desumi (224). Iam vero capi-

(*a*) Ierem. XXXI, 15.
(*b*) Matth. II, 17. 18.
(*c*) Ierem. XL, 1.
(*d*) In Ierem. h. l.

vitas Israelitarum, quaeque eos post captivitatem fausta ac felicia manebant, *in figura facta sunt nostri*, quibus duriore pressis servitute longe potior felicitas a Christo tandem afferenda parabatur; utraque autem haec, tum, inquam, quae ad typum, tum quae ad antitypum pertinebant, simul ac permixte edisserit, atque praedicit Ieremias (84. 87) tota illa oratione, quae capitibus XXX et XXXI continetur. Quin maxima illa Israelitarum felicitas prae priore, plena illa, non Iudaeorum modo, sed gentis totius restitutio, cuius meminit propheta, nullo pacto, si in proprium sensum accipiantur, cohaerent cum rerum eventibus cumque factorum veritate (*a*). Quare, etsi de solvenda captivitate babylonica et de gente restituenda loquatur propheta, non tamen haec, sed Christus, eiusque regnum, ac novum testamentum, esse praecipua pars argumenti dicenda est, quae iam propriis verbis (*b*) praenuntiatur, iam autem translatis (*c*), metaphora, ut modo animadvertimus, ex typis ipsis etiam desumpta (*d*). Praecipuae huic vaticinii materiei caedem illam puerorum inserit propheta (401), quod tamen neque alieno prorsus loco positum dici potest, neque a reliquo argumento disparatum. Quid enim tale deprehendas in hoc, quod prior illa calamitas filiorum Rachelis typicis eventibus illustris occasionem prophetae praebuerit praedicendi aliam calamitatem circa Rachelis ipsius sepulcrum, id est, *in Bethelehem et in omnibus finibus eius (e)*, futuram aetate illa, qua ea fieri debebant, quae typicis illis eventibus praesignificabantur? Atque eo etiam magis huic quoque praedicendae locus erat, quia, licet Bethlehemum, non regni Israelitarum, sed Iudaeorum urbs olim fuerit, post captivitatem tamen pars ceterarum tribuum cum tribu Iudae habitatione permixtae erant; quare Bethlehemum ceteri Israelitae incoluisse putandi sunt, non secus ac Iudaei atque ex aliis quoque tribubus orti (*f*) Hierosolyma incolebant, quae iam Iudaeae urbs habebatur, etsi Beniamitarum olim esset, nec secus ac illi ipsi, qui, origine Bethlehemitae quum essent, in Galilaea degebant (*g*). Cladem autem bethlehemiticam praedixit Ieremias sermone quo-

---

(*a*) Ier. XXX, 19; XXXI, 5. 6. 7. 38. 40.
(*b*) Ib. XXXI, 31-37.
(*c*) Ib. XXX, 9.
(*d*) Ib. 19. etc.
(*e*) Matth. II, 16.
(*f*) Luc. II, 36.
(*g*) Ib. I, 26. 27 coll. II, 3-5.

dam poetico et translato, ducta metaphora a priore illa Israelitarum calamitate (224), cuius rei specimen aliud exhibet Ieremias hoc ipso in capite, quum futuram ecclesiae amplitudinem praenuntiat metaphora ducta a protracto Hierosolymorum pomoerio, adhibitisque nominibus propriis aedificiorum et locorum, quae in ea erant aut prope (*a*). Quod vero praedictioni huic ea subdat continuo (*b*), quae dumtaxat ad reditum Israelitarum pertinere videntur, nihil impedit nostram interpretationem, quandoquidem tota hac oratione, prout iam animadvertimus, non secus ac fit in pluribus aliis vaticiniis, ex improviso transit propheta a typis ad res per typos designatas, aut ab his ad illos vicissim, eaque permiscet, quae pertinent ad typos, id est, ad captivitatem atque ad liberationem Israelitarum, cum iis, quae pertinent ad antitypa, ad Christum, inquam, et ad novum testamentum.

410. Quidam opinantur diras, quas legimus in psalmo CVIII (*c*), non proferri ab ipso psalte, sed referri tamquam in ipsum prolatas ab eius inimicis. Huic sententiae confirmandae facere existimant illud, quod, quum psaltes de pluribus conqueratur, diris huiusmodi unus aliquis agitur, quodque post illas continuo haec idem subdat: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi (d)*. Quae si ita forent, manifestum est verba huius psalmi: *Et episcopatum eius accipiat alter (e)*, quae Petrus dixit in Iudae casu *implenda* (*f*), ab eo accepta fuisse in sensum accommodatum, ac proinde verbo *impleri* nequaquam subesse notionem illam, quam defendimus (306 - 310. 357).

411. Verum, cur eo pacto diras istas exposuerint nonnulli, ideo fuit, ut psalten crimine liberarent, quo is, mala haec inimicis imprecatus, obligari visus est. Sed ratio ista nullius est momenti iis, qui norunt haec et similia, quae in scripturis reperiuntur, plerumque diras non esse, sed rerum adversarum praenuntiationes, diras autem sapere solum, ut sunt in interpretationibus graeca et latina bibliorum, in quibus enuntiantur modo optativo, dum in hebraico volumine enuntiantur per verbum futurum. Lege exempli gratia Genes.

(*a*) Ier. XXXI. 38 - 40.
(*b*) Ib. 16 - 17.
(*c*) Ps. CVIII, 6 - 19.
(*d*) Ib. 20.
(*e*) Ib. 8.
(*f*) Act. I, 16. 20.

IX, 25-27; XLIX, 4. 7; Deuter. XXVIII, 15 seqq. Numerum singularem pro plurali, in psalmis praesertim et in prophetis, passim adhibitum videmus. Verba autem illa: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi*, quin interpretationem istam confirment, eam convellunt potius, nam פְּעֻלָּה *opus*, numquam *verbum* aut *sermonem* significat, ut significare ponunt interpretes illi, subinde vero *mercedem operi debitam* (a). Qui denique attente quaedam alia perpenderint in sermone illo (b), facile intelligent totum psaltae ipsius esse.

412. Haec quoque alia nonnihil negotii facessere quibusdam videntur. Matthaeus (c) ut de Christo dicta refert verba Isaiae (d), quae re vera dicta de uno Christo sunt, quare dici nequit in iis latere sensus spiritalis. At literalis eorum sensum in Isaia alius videtur esse eo, secundum quem Matthaeus ea exponit. Quare dicendus est in sensum accommodatum illa usurpasse, ideoque loquutionem *ut adimpleretur*, quam verbis illis praeposuit, meram κολλησιν sonare. Simile quid deprehendere est in alio Matthaei capite, in quo legimus: *Et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis etc.* (e), quae Isaias de Iudaeis suae aetatis pronuntiavit (f). Quanam denique ratione verbo *impleri* notionem, quam volumus, subesse probabimus in illa Iacobi sententia: *Et suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo etc.* (g), quum verba geneseos (h) a Iacobo producta sonent rem gestam antequam illa scriberet Moyses?

413. Itaque, quod attinet ad ea, quae ex Matthaeo deprompta primo loco sunt, iam habes, quid sentire oporteat; de his enim superius loquuti sumus (34). Quae vero secundum ea proponuntur, nescio, cur putari debeant de Iudaeis aequaevis ab Isaia fuisse pronuntiata, quum contrarium prorsus sentiendum esse videatur. Attamen, etiamsi de Iudaeis illis dicta fuisse putanda essent, attende, Christum haec referentem non adhibuisse verbum πληρουσθαι, sed ἀναπληρουσθαι, quod proprie est *supplere*, ita ut, quum vaticinium editum reipsa

---

(a) Lev. XIX, 13; Is. XL, 10; XLIX, 4; LXII, 11; Prov. XI, 18.
(b) Vv. 16-18.
(c) Matth. XIII, 17.
(d) Is. LIII, 4.
(e) Matth. XIII. 14. 15.
(f) Is. VI, 9. 10.
(g) Iac. II, 23.
(h) Gen. XV, 6.

fuerit de Iudaeis, verbi notio utique illa esse possit, quam male Grotius aliique nonnulli (307) ipsi verbo πληρουσθαι affingunt, dixeritque Christus, Iudaeis *plenius* contingere ea, quae olim Isaia vaticinante iam ex parte contigerant. De verbis autem Iacobi percontamur adversarios nostros, an aliud ea sonent, quam *factum* fuisse Abrahae, quod *dictum* seu *scriptum* a Moyse est? Atqui haec notio ipsa est, quam verbo *impleri* esse affirmamus.

ARTICULUS III

Refelluntur argumenta prolata contra patrum auctoritatem.

414. Typologiam et mysticam interpretationem primis rei christianae aetatibus late adeo obtinuisse, ut ecclesiae universae communis fuerit ea sententia, quam tuemur, cuiquam fortasse videatur non satis patrum testimonio confici posse. Nam, etsi plurimi patres illam sectati sint, fuere tamen quoque, qui illam respuerent, ut auctor *Recognitionum (a)* et Methodius (*b*), et quibus, uti Clementi Alexandrino (*c*), mystica expositio scripturarum eodem loco esset, atque illa, qua et mythologiae et poetarum fabulas interpretari moris erat, ita ut quaedam, quae in scripturis commemorantur, puta, caeremonias legis, indumenta sacerdotalia, hisque similia, nil praeterea esse crederent, quam mera symbola, ex quibus significatum aliquem elicerent aptum atque opportunum ad mores informandos. Fuere praeterea etiam inter patres, qui acriter inveherentur in Origenem, rationem illam damnantes, qua is in scripturis explanandis utebatur, prout Origenes ipse conqueritur (*d*). Nonne denique a patribus ipsis, qui, quamvis nimietatem in Origene carperent, typologiae tamen favebant quam maxime, discimus doctrinae huic qualibet aetate plures esse adversatos? Lege inter alios Hilarium (*e*), Hieronymum (*f*), et Augustinum (*g*).

(*a*) L. X. §. 42.
(*b*) Conviv. decem virginum Orat. III. p. 31 edit. *Possini.*
(*c*) Stromat. L. V. §. 4.
(*d*) In Genes. homil. XIII. §. 3.
(*e*) In Ps. CXX. §. 13; CXXIV. §. 1; CXXV, 1. 2; CXXXI, 10.
(*f*) In ep. ad Gal. IV, 16-18.
(*g*) De civ. Dei L. XVII. c. 3. §. 2.

415. Verum ea, quae de auctore *Recognitionum* scribit Iahn (*a*) Rosenmüllerum seniorem (*b*) sequutus, illum *allegoricam seu mysticam interpretationem, utpote ex philosophia gentilium (a Platonicis et Stoicis) ad Iudaeos delatam* reprobare, conficta esse patebit ei, qui locum integrum in *Recognitionibus* perlegerit. Narratur quippe Clementem, quum mythologiae fabulas carperet (*c*), his excepisse Nicetas: *Horum (poetarum) scripta in duas partes intelligentiae dividuntur, id est, secundum literam et secundum allegoriam (d)*, earumque mysticum sensum exposuisse (*e*). Quibus auditis Petrus dicitur ea loquutus fuisse, quae nobis opposita putantur, illaque integre, ut sunt, transcribimus, quum et alia contineant, ex quibus, liquet, quid emolumenti atque auxilii exspectare possit Protestantium maxime recentiorum exegesis. *Multas, ut video, ingeniosi homines ex his, quae legunt, verisimilitudines capiunt, et ideo diligenter observandum est, ut lex Dei, quum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis, quae possunt trahi ad suum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpsit; quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex scripturarum auctoritate confirmes, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis; et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter asserere (f)*. Quid ex his extorqueas, quo spiritalem scripturarum sensum impetere possis? Adde, scriptorem illum in unctione Aaronis *imaginem* cognovisse unctionis Christi (*g*).

416. Verba Methodii, quae adversarii in suam detorquent sententiam, iam a nobis superius transcripta (332), quicumque legerit, nihil praeterea colligere ex illis poterit, nisi Methodium reprobare nimietatem in quaerendis significatibus mysticis, sive potius damnare eos,

(*a*) Enchirid. §. 60.
(*b*) Hist. interpret. T. I. p. 80-84.
(*c*) Recogn. Lib. X. §§. 17-28.
(*d*) Ib. §. 30.
(*e*) Ib. §§. 30-34. 41.
(*f*) Ib. §. 42.
(*g*) Lib. I. §. 46.

qui spiritalem sensum non aliter sectantur, quam literali neglecto. Porro Methodius Adamum, eiusque somnum, et coniugium cum Heva, in illa ipsa oratione tamquam typos accepit (*a*).

417. Clemens Alexandrinus iis scribebat, quos ad christianas disciplinas allicere expediebat ostendendo, si quid hae cum graecis potissimum atque aegyptiacis disciplinis commune haberent (*b*). Quamobrem edisserit, qua ratione in illis, non secus ac in his, sublimiora dogmata per symbola atque aenigmata traderentur. Attamen, solummodo QUOD ATTINET AD OCCULTATIONEM, *hebraicis similia Aegyptiorum aenigmata* esse affirmat (*c*), proprium vero esse symbolorum, quae in scripturis sunt, id, quod meris symbolis proprium nullo pacto esse potest, videlicet futura praesignificare: *Igitur et barbarae philosophiae*, id est, scripturae sacrae, *de qua nobis propositum est dicere, occulte et per symbola* προφητεύειν *praedicere* PROPRIUM *est (d)*. Ceterum, Clementi veros typos, neque tropologicos modo, sed et propheticos, notos fuisse, ipse nos docet, sicut iam dictum est (313).

418. Patres in Origenis commentariis mysticam interpretationem haudquaquam carpebant, quam et ipsi habere solebant, sed huius interpretationis modum ac nimietatem, qua ille literalem sensum vel respuebat, vel respuere videbatur. Quam optima porro de caussa id in Origene carpserint patres, apparet vel ex hoc uno, quod hodiernis Rationalistis suffragio suo praesto fuisse Origenes videri queat, quum historiam de terrestri paradiso μυθους vocare non dubitaverit (*e*).

419. Demum, quod aetate patrum fuerint, qui typologiam respuerent, non magis probat eam respuendam reapse esse, aut a christianis disciplinis amandandam, ac valeat ad his iisdem inserendam doctrinam de duobus rerum principiis, quod eadem illa aetate Manichaeorum secta longe lateque fuerit disseminata.

(*a*) L. c. pp. 38-41.
(*b*) L. c. §§. 3. 4.
(*c*) L. c. §. 7.
(*d*) L. c. §. 8.
(*e*) Selecta in Genes. II, 8. 9. Opp. T. II. p. 28 edit. *Delarue*.

ARTICULUS IV

Refelluntur argumenta contra auctoritatem synagogae.

420. Quandoquidem adversarii nostri nequeunt infitiari totam typologiae doctrinam ante aetatem Christi synagogae iam perspectam atque acceptam fuisse (*a*), extraneam ac profanam doctrinae huic apud Iudaeos originem affingere conantur, aiuntque, *Graecos Homerum suum et Hesiodum, quia, quae apud illos de diis suis narrantur, fabulae offensioni fuerunt, allegorice explicuisse; a Graecis vero hanc interpretandi rationem ad Iudaeos Alexandrinos transiisse, et a Iudaeis dein ad Christianos pervenisse (b)*. De caussis vero atque usu huius interpretationis sive apud Graecos, quibus eam Plato commendavit (*c*), sive apud alias gentes, deque iis, qui eam sectati sunt, consule Tullium (*d*), Clementem Alexandrinum (*e*), scriptorem *Recognitionum (f)*, pluresque alios commemoratos ab Huetio (*g*); lege etiam Gulielmum Ionesium (*h*).

421. Ceterum ex his consequens foret Iudaeorum ingenio ad graecos mores efficto, non autem Spiritui sancto, totam typologiam nostram esse tribuendam, imo neque ipsos Iudaeos eam a Spiritu sancto repetere, quod quidem locupletissimo hoc Maiemonidae testimonio comprobari posse cuiquam fortasse videatur: *Solent (rabbini nostri), ut illi norunt, quibus consuetudo ipsorum nota est,* ALLEGORIIS *vehementer delectari et crebro illis uti, non quod existiment hanc esse mentem et sensum scripturae, sed instar iucundi alicuius aenigmatis. Duo autem sunt hominum de allegoriis iudicia. Quidam putant illas ab ipsis adduci ad declarandam scripturam. Alii vero irrident et contemnunt eas, cum* CERTUM SIT *non esse eam textus sententiam (i).*

(*a*) *Bauer* Hermen. sacr. p. 33.
(*b*) Ib. p. 25.
(*c*) De republ. Lib. II. p. 377 seqq. Opp. T. II edit. *Stephani* 1578.
(*d*) De natura deor. L. I. §. 15.
(*e*) Strom. L. V. §§. 7. 8.
(*f*) Lib. X. §§. 30-34. 41.
(*g*) Dem. ev. prop. IX. c. 171. §. 9.
(*h*) Poes. asiat. Lib. I. c. 9.
(*i*) More nebochim P. III. c. 43.

422. Verum etsi daremus adversariis ex Graecis ad Iudaeos in Aegypto commorantes typologiam advectam fuisse, qua ratione vincent vel ex his vel alia ex gente ad Palaestinos illam dimanasse? praesertim quum ea, quae protulimus ex novo testamento (302-305. 354-356), evincant eam plenius ac latius apud hos quam apud illos obtinuisse, quae vero ex vetere testamento (290. 291. 302. 322.) produximus, credere suadeant longe diu, ante quam graeca philosophia in ipsam Aegyptum, ne dum in Palaestinam, recipi potuerit, Iudaeis, qui Palaestinam incolebant, notam fuisse. Tum cur non a Moyse potius hanc scripturarum exponendarum rationem Iudaeos didicisse putaremus, quum ipse Moyses plura, quae in pentateucho habentur, συμβολικῶς aut ἠθικῶς explicuerit? quorum non pauca Iahn congessit (*a*). Qua autem fiducia pronuntiant, Iudaeos doctrinam hanc a Graecis accepisse atque a Iudaeis Christianos, quin pensi habeant apostolos atque ipsum Christum, quorum auctoritate huius doctrinae veritas inconcusse suffulcitur, et quibus nos eam acceptam referre oportet? Qua tamen de re satis iam disseruimus.

423. Nunc vero non ea repetemus, quibus demonstravimus Iudaeis typologiae veritatem et γνησιότητα vetustiore etiam aevo compertam fuisse, sed obiter indicabimus, quantum discriminis intercedat inter Iudaeorum de hac doctrina sententiam atque inter sententiam Graecorum aliorumque de significatione fabularum, quae in ipsorum poetis leguntur. Etenim nemo eorum, qui has ἀλληγορικῶς sunt interpretati, unquam simul putavit et eas veras esse, et, quae in illis commemorantur, sive personae, sive res, sive eventa, divino numine ita disposita fuisse et comparata, ut aliquid aliud praeter id, quod erant, significarent. Imo, ut ex hisce omnibus allegoricum significatum extunderent, hoc ipso factum est, quia haec commentitia esse ac fabulosa probe compererint, imo persaepe turpia atque absurda; quare ea ratione sese suarum religionum decori ac nomini prospecturos esse arbitrabantur. Haec, inquam, origo est id genus interpretationis, quae apud Graecos aliosque nonnullos invaluit, neque aliam esse illi ipsi, quos impugnamus, ingenue annuunt, imo et confirmant. Lege scripto-

(*a*) Enchirid. §. 15.

rem *Recognitionum (a).* Quare, quum res vere gestas esse minime crederent, liquet profecto eos neque credere potuisse rebus ipsis significationem illam inesse, sed solum narrationibus aut carminibus, quibus res illae exhibebantur, quaeque proinde, quum proprio verborum sensu carerent, pro meris allegoriis, neque enim quid melius esse poterant, habita ab illis sunt; qui autem inde eliciebatur, nil interpretibus illis erat aliud, nisi sensus quidam literalis et allegoricus. Nihil itaque illi hac in re divinum, nihil, quod non ab ipsis illarum fabularum scriptoribus repeti oporteret, suspicati sunt. Lege editum a Ioanne Columbo graeci cuiusdam scriptoris libellum, quo Homeri Odysseam is in morales sententias ἀλληγορεῖ, atque aliquibus poematis partibus, eo pacto, quo Aesopus fabellis suis, ἐπιμύθια subnectit (*b*).

424. At vero Iudaei longe secus sensere, utpote qui et vera esse omnino crederent, quae in sacro codice narrantur, aut commemorantur, et iis typicam significationem a Deo inditam, et verbis ac loquutionibus, quibus ea sunt descripta, spiritalem sensum Deo ipso auctore praeter literalem subesse. Nemo enim infitiari audeat libros Moysis divinos a Iudaeis esse habitos. Nimis aperte hac de re praeter scripturas loquuntur Philo et Iosephus, qui non modo ea, quae lege continentur, Deo auctori tribuebant, et populares suos tribuisse narrabant (*c*), quod produnt etiam appellationes illae, quas saepe usurpant, *divina lex, lex Dei, divina legislatio (d)*, sed ipsos quoque legis libros, utpote Deo inspirante conscriptos *(e)*, pro divinis et se se habere profitebantur, quum illos vocabant *divinos libros (f), divinum verbum* (*g*), *oracula* (*h*), et Iudaeos omnes ab ipsa pueritia habere affirmabant *(i).* Quam quidem de librorum Moysis divinitate

---

(*a*) L. c.

(*b*) Incerti scriptor. graeci fabulae aliquot homericae ethice explicatae. Vertit notasque necessar. adiecit *Io Columbus* PP. Upsal. Lugduni Batav. 1745.

(*c*) *Philo* apud *Eusebium* Praep. evang. L. VIII. §. 6; *Iosephus* Antiquit. L. III. c. 8. §. 10; Cont. Apion. L. II. §§. 16. 21; Machab. §. 5.

(*d*) *Philo* De vita Moys. L. II. pp. 656. 658; *Iosephus* Machab. §§. 1. 9. 10. 11. 15. 17.

(*e*) *Philo* ib. p. 655; *Iosephus* Cont. Apion. L. I. §. 8.

(*f*) *Iosephus* ib.

(*g*) *Philo* De migrat. Abrah. p. 408; *Iosephus* Machab. §. 7.

(*h*) *Philo* De vita Moysis Lib. II. p. 662.

(*i*) *Id.* De legatione ad Caium p. 1022; *Ioseph.* Cont. Apion. Lib. I. §. 8.

sententiam inter Iudaeos veteres obtinuisse testantur quoque monumenta Christo vetustiora, qualia sunt historia Aristeae *(a)* et libri Machabaeorum *(b)*. Quum itaque Dei opus esse noverint libros illos, mysticum etiam sensum, quem in iis latere credebant, a Deo ipso Iudaei repetiisse procul dubio putandi sunt.

425. Quod autem sensum hunc vere his libris contineri crediderint, id discimus, non modo ex novo testamento (358), sed etiam ex Philone, qui haec scripsit: *Patriarum legum .... intelligentiae humanum ingenium nisi diviuitus afflatum par esse non potest* (c), quae sane dici nequeunt de sensu literali legum, qui satis obvius plerumque est, nec sane peculiari Dei afflatu opus est, ut ex libris colligatur; imo neque de aliqua alia sensus symbolici specie, quam de typica, quum neque sensui huiusmodi percipiendo peculiaris Dei afflatus foret necessarius. Imo haec verba Philonis confirmant etiam id, quod modo affirmavimus (424), Iudaeos auctorem sensus spiritalis, qui scripturis subest, Deum ipsum existimasse.

426. Ipsarum autem rerum, quae libris illis continentur, veritatem nemo unquam Iudaeorum in dubium revocavit; sed et hisce rebus typicam significationem inesse certum habuere, sicut iam demonstravimus (318 - 322). Utrumque praeterea testatur Philo his verbis: *Sunt enim quidam, qui, dum existimant scriptas leges esse symbola intelligibilium, his diligenter dant operam, illas facile negligunt. Quarum mihi non placet facilitas, debuerant enim utraque curare, ut et obscura quaererent accurate, et manifesta servarent diligenter .... Et sacrae caeremoniae et alia multa negligenda sunt, si exclusis* FIGURIS, id est, rebus ipsis rerumque veritate, *sola harum significata recipiantur. Sed praestat haec tamquam animam, illa tamquam corpus, censeri (d).*

427. Patet itaque quam inepte agant, qui interpretationes mysticas seu verius allegoricas fabularum ac poematum Graecorum aut aliarum gentium typologiae Iudaeorum et Christianorum componere student.

(*a*) In fine Opp. *Iosephi* pp. 103. 105. 107. 119. 131. etc. edit. *Haverc.*

(*b*) I Mach. XII, 9; II Mach. VIII, 23.

(*c*) Quod omnis probus sit liber p. 877.

(*d*) De migrat. Abrah. p. 402.

428. Testimonium Maiemonidae ab re prorsus est. Allegoriae enim, de quibus is loquitur, nihil sunt aliud, nisi interpretationes, quas suo quisque arbitratu facere solet secundum illum sensum, quem *accommodatum* vocamus, idque ita esse probant tum exempla, quae affert, tum quod nomen *allegoriam* in toto libro usurpet vel in hanc notionem, vel in quantum figuram rhetoricam illud designat, non autem ut sonat sensum spiritalem rerum aut verborum, tum denique quia, si alia esset eo loco huius nominis notio, falso (316) affirmasset Maiemonides, quod rabbini *non existiment hanc esse mentem et sensum scripturae.*

429. Quod si haec omnia, quae produximus ad suffragium Iudaeorum nobis vindicandum, dicas valere solummodo quantum ad libros Moysis, non item quantum ad ceteros, nae, morosiorem adversarium te esse fatearis, oportet. Quid enim? Si quod ad hos libros illud accipis, cur non et quod ad ceteros, quum ceterorum eadem sit ratio, non modo ex nostra, sed ex Iudaeorum quoque sententia? Integra quippe biblia protocanonica veteris testamenti Deum habere auctorem, illorum sententia est. Hinc Philoni psaltes dicitur *ab afflatu divino totam mentem oestro correptus (a).* Hinc Iosephus de illis omnibus libris ita scribit: *Merito creduntur divini . . . . . Omnibus Iudaeis, statim ab ipso nascendi exordio, hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse placita credamus (b)*; quumque narret, libros, qui post illos scripti sunt, *nequaquam* TANTAM FIDEM *et* AUCTORITATEM *meruisse, quantam superiores ii libri, propterea quod minus manifesta fuit successio prophetarum (c),* satis indicat, superiores illos omnes auctoritate valuisse eo, quod a prophetis divino numine conscripti essent. Non est igitur, cur dubitemus, an, quod veteres Iudaei de spiritali sensu pentateuchi crediderunt, hoc idem et de sensu spiritali ceterarum quoque scripturarum crediderint.

430. Ceterum, ne forte quis contra nos illud urgeat, quod in aliis veterum Iudaeorum scriptis praeter biblia nullum typum propheticum, vel qui Christum praesignificaret, commemoratum reperiamus,

---

(a) De plantat. p. 219.
(b) Cont. Apion. L. I. §. 8.
(c) Ib.

unde consequi videtur Iudaeos vel typos huiusmodi non cognovisse, vel saltem eorum significationem ignorasse, animadvertimus, hanc typorum speciem secretiorem natura sua esse, quam ceterae, eamdemque typis propheticis conditionem esse, et proinde illud idem iis contigisse, quod contigit oraculis prophetarum, quorum pauca omnino in scriptis illis commemorata atque explanata sunt; ex quo tamen nemo inferat Iudaeos illos prophetarum oracula minime agnovisse aut accepisse. Porro patet oraculis ipsis obscuriores fuisse typos illos, atque hac etiam in re valere, quae respondimus iis, qui typos velut quid inutile explodere audent (402).

431. Praeterea rursus (323) monemus, nos Iudaeorum aliorumque testimonia proferre, non ut certum huius aut illius typi significatum disquiramus, sed ut probemus in universum veritatem typologiae. Huic autem ita probandae etiam illorum testimonia, qui forte typorum ipsorum significationem non sunt assequuti, apprime valent, in quantum demonstrant typologiae doctrinam vetustioribus illis aetatibus obtinuisse, deque eius veritate adeo nihil fuisse dubitatum, ut qui tunc scribebant, secure ea posita mysticos rerum aut verborum sensus sectarentur.

ARTICULUS V

Refelluntur argumenta contra originem, quam sensui spiritali verborum assignamus.

432. Praeiudicatam esse veritatem originis, quam sensui spiritali scripturarum tribuimus, ultro dabit, qui paulisper consideret, sicut ea posita clare patet, quid sit iste sensus, ita, si ea explodatur, neque aliam facile reperiri non multis incommodis obnoxiam, neque, quid sensus spiritalis sit, satis apparere. Quo tamen magis tutam hanc sententiam praestemus, nonnulla diluenda sunt, quae contra possent disputari.

433. In primis enim exemplum non deest, ex quo arguere quis fortasse possit, testimonia veterum scripturarum in novo foedere accipi in sensum spiritalem, quin typum ullum exhibeant. Tale enim esse videtur illud: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria*

et honore coronasti eum etc. (a), quod Paulus tamquam dictum de Christo usurpavit (*b*), quamvis illius sensus literalis hominem in universum exhibeat, quem profecto Christi typum esse nemo putabit. Quare verba haec sensum spiritalem habere videntur, quo Christum sonent, nullo tamen typo proposito, ex quo spiritalis iste sensus emanet. Equidem, si sensus literalis horum verborum simpliciter ac solummodo hominem attingeret nullo habito Christi respectu, libenter darem, Christum designari his non posse, nisi si ipsis subesset quoque sensus spiritalis, negarem tamen quidquam exinde erui iure posse contra sententiam, quam propugnamus. Haec enim verba percommode intelligas dicta esse de primo homine, cui dignitas illa, cuius meminit psaltes, a Deo collata fuit universis ipsius posteris communicanda; primus tamen homo teste Paulo *est forma τυπος futuri (c)*. At ne unum quidem fortasse inter patres invenias, qui verba ista acceperit tamquam solum ac simpliciter de homine prolata nullo Christi respectu. Athanasius (*d*) quidem, Hieronymus (*e*), Augustinus (*f*), nil nisi Christum in psaltae verbis reperiunt. Verius tamen alii, ut Origenes (*g*), Theodorus Heracleotes (*h*), Eusebius (*i*), Chrysostomus (*l*), Cyrillus Alexandrinus (*m*), Theodoretus (*n*), sicut et interpretes recentiores, puta, Cornelius a Lapide (*o*), Tirinus (*p*), ita psaltae sententiam exposuerunt, ut qui vel integram vel ex parte tum de homine tum de Christo dictam eam esse crederent. Et re quidem vera, si psaltes eo versiculo, qui verba illa proxime praecedit, de homine loquitur, ipsis quoque Athanasio atque Augustino annuentibus (*q*) ac nemine ex patribus contradicente, de homine loquatur, oportet, ipsis quoque illis verbis, quae continuo illi versiculo subdit, ita o-

(*a*) Ps. VIII, 6-8.
(*b*) Hebr. II, 7. 8.
(*c*) Rom. V, 14.
(*d*) In Ps. VIII, 6.
(*e*) In ep. ad Gal. IV, 14.
(*f*) In Ps. VIII. §. 11; Cont. sermon. Arianor. c. 5. §. 5; Collation. cum Maximino §. 14.
(*g*) In Catena patrum graecorum in Psalmos ed. *Corderii* ad h. l.
(*h*) Comment. in Psalmos ad h. l.
(*i*) In h. l.
(*l*) In h. l.
(*m*) In Catena cit.
(*n*) In h. l.
(*o*) In ep. ad Hebr. II, 7.
(*p*) In h. l. et in ep. ad Hebr. II, 7.
(*q*) LL. cc.

rationis contextu flagitante, non tamen solum ac simpliciter de homine, sed simul de Christo. Quare ex patrum, quos sic credere diximus, sententia effatum illud psaltae ita interpretaberis, ut summa verborum prodat supremam dignitatem, quae hominis naturae accessit ob *unionem hypostaticam* atque ob ea, quae *unionem* hanc consequuntur, ita ut de aliquo ex hominum genere dici haec omnia iam possint: *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.*

434. Neque magis officit sententiae nostrae, quod apostoli et evangelistae testimonia huiusmodi in sensum spiritalem accepta proferant plerumque nulla typorum iniecta mentione. Ita, exempli gratia, Matthaeus (*a*) profert verba Oseae (*b*), quin meminerit populi israelitici, de quo ea dicta fuerant a propheta, et qui excedens ex Aegypto typus fuit eius rei, de qua scribit Matthaeus. Ita quoque Ioannes (*c*), quae de agno (*d*) immolando Moyses constituit, ea tamquam dicta de Christo producit, quin agni ipsius meminerit. Haec, inquam, atque horum similia nihil nobis officiunt. Mentio enim huiusmodi necessaria forsitan fuisset, siquidem, non ipsa quoque verba, sed res solummodo verbis designatae, typi videlicet, sensum spiritalem haberent, neque iste sensus ex typis in verba dimanaret; tunc quippe nullum fortasse ex huiusmodi verbis argumentum petere licuisset ad id probandum, ad quod usurpabantur, sed ex ipsis tantummodo typis, quum, non illa, sed hi tantummodo antitypum significarent. Etsi revera hoc etiam posito diserta atque explicita typorum mentio tuto omitti quandoque potuerit, quum pro hac satis subinde esset ea proferre, quae de typis dicta aut scripta erant, ut quisque statim deprehenderet typum, unde argumentum petebatur; quod enim Ioannes scribebat confractis cruribus latronum, non autem Christi, impletum fuisse illud, *quod scriptum* erat: *Os non comminuetis ex eo*, tantidem est, ac si dixisset, impletum fuisse illud, *quod* in agno mactando τυπικως observabatur. Itaque, quod typorum non memine-

(*a*) Matth. II, 15.
(*b*) Os. XI, 1.
(*c*) Io. XIX, 36.
(*d*) Ex. XII, 46.

runt scriptores novi testamenti, quum verba de typis dicta tamquam dicta de antitypis usurparunt, id nullo modo evincit sensum spiritalem verborum non esse repetendum a sensu spiritali rerum, de quibus ea dicta sunt, sed ad summum hoc unum confirmat, quod et ipsi affirmamus, sensum spiritalem verbis quoque, non autem solum rebus per verba designatis, inditum fuisse a Spiritu sancto (356).

435. At nonne credibile fit enuntiationibus aut narrationibus quibusdam spiritalem sensum saltem tropologicum indidisse Spiritum sanctum, qui a typis nullo modo dependeret, idque hoc pacto, ut, licet quibusdam sive personis, sive rebus, sive eventis, non, sicut ipsis typis tropologicis, proprium illud foret, ut ad morum nostrorum informationem peculiari quodam Dei consilio aptarentur, ac pertinerent, ea tamen, quae de illis enuntiantur, aut narrantur, Spiritus sanctus literis consignari voluerit, ut aliquid, quod exemplo nobis foret aut documento, inde hauriremus? Id vero et indubium est, neque solum quod attinet ad aliquas narrationes ac sententias, sed quod ad integra biblia. De integris quippe bibliis dictum certo teneas id, quod de quibusdam horum partibus scripsit Paulus: *Scripta sunt autem ad correptionem nostram*, sive, ut graece est, *ad admonitionem nostram* (*a*), quibus Pauli verbis gemina leges apud Philonem (*b*), illudque ipsum Spiritus sancti consilium disertius Timotheum docebat idem Paulus hisce aliis: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus (c)*. Atque in hunc sensum patrum dicta accipere oportet, quum affirmant vel singulis scripturarum apicibus subesse sensus spiritales, sicut alias iam monuimus (374). Sed hac de re alio loco (454 seqq.) pluribus. Verum monuimus simul distingui plane, quid intersit inter scriptoris propositum et consilium atque inter significationem verborum et loquutionum, quibus ille utitur. Ideoque, quod illud sibi proposuerit Spiritus sanctus, non inde consequens est spiritalem sensum verbis ac loquutionibus subesse, sicut nemo, eo quod aliquis

(*a*) I Cor. X, 11.
(*b*) De Abrah. p. 350.
(*c*) II Tim. III, 16. 17.

historicus aut poeta mores hominum iuvare velit suis narrationibus aut fabulis, concludet, his alium sensum subesse praeter eum, quem verba ac loquutiones aperte exhibent.

436. Dices fortasse, posita significatione spiritali rerum velut origine sensus spiritalis, quem in verba ex rebus derivari contendimus, iam nullum spiritalem verborum sensum superesse, sed merum sensum literalem, qui et typum et antitypum simul prodat; nec secus res habebit, ac quum pictor simul loquitur de effigie, quam fecit, deque eo, cuius effigies est, nemo enim ex pictoris huius verbis duos sensus, multoque minus sensum aliquem spiritalem, sed unicum sensum literalem colligeret. Verum animadverte loquutionum sensum pendere simul a mente loquentis aut scribentis et a verbis, quae ipse usurpat (2). Si utrumque illud et pictor loqui velit, et verba, ut sunt in contextu sermonis, directe praeferant, res utique sic habebit, ut narras. At si verba, ut in sermonis, contextu sonant, id nullo modo praestent, neque profecto dicere poteris sensum literalem eorum, quae pictor loquitur, exhibere simul effigiem atque eum, cuius effigies est, quaecumque demum fuerit loquentis mens et voluntas. Iam vero verba, quibus subesse dicimus sensum spiritalem, nullo modo in iis scripturarum capitibus, quibus contexta sunt, illud directe praeferunt, quod per eorum sensum spiritalem exhiberi dicimus.

437. Opponcs quoque, ex nostra sententia de sensu spiritali verborum eiusque origine consequi plurimas scripturarum partes, quae meras sententias nullosque typos continent, carere sensu spiritali; id autem patrum iudicio, ut videtur, adversari, qui has quoque scripturarum partes *μυστικῶς* interpretantur, pluresque sensus spiritales inde colligunt. At ex hisce partibus scripturarum demas, oportet, integros ferme libros pentateuchi, historicos quoque ad vetus foedus pertinentes, propheticos demum, quum omnes hi, non ex meris sententiis constent, sed de personis, de rebus, deque eventis, scripti sint; eademque de caussa et magnus psalmorum numerus demendus est. Quod autem attinet ad illas partes scripturarum, quae nil nisi sententias continent, si diligenter consideres, perspicies interpretationem, qua patres eas illustrant, verbo tenus mysticam aut spiritalem vocari, ea, inquam, ratione, qua nomina *mysticus* aut *spiritalis*, uti iam diximus non semel (346 seqq.), sensum aliquem literalem designant re-

conditiora aut sublimiora exhibentem, quaeve spiritui perficiendo conducant, re autem circa ipsum literalem sensum illam versari. Et illud attendas, proverbia atque effata quaedam generalia de rebus ad mores pertinentibus id esse, quod in mathematicis sunt formulae algebricae, ut ad ea omnia significanda, quae in uno et eodem genere continentur, aeque possint accommodari. Quum itaque patres ex huiusmodi proverbiis atque effatis universalibus bibliorum plures ac diversos sensus colligunt, haudquaquam putandum est, ea, ut sunt in ipso scripturarum contextu, vel plures sensus literales continere, vel praeter literalem etiam spiritalem, sed solum posse, si seorsum a reliquo sermone ac per se ipsa spectes, ad plura, non quidem simul, sed singillatim, significanda usurpari, atque hoc ipsum esse, quod patres quandoque faciunt suis commentariis.

438. Unus adhuc scrupulus cuiquam superesse posset, quod, si sensus spiritalis in verba dimanat ex iis rebus, quae per eadem haec significantur, etiam aliorum auctorum libri, qui de rebus iudaicis agunt, puta, Archaeologia Iosephi atque opera Philonis, dicendi sunt habere sensum spiritalem. Sed levi negotio hunc tibi scrupulum adimes, si in mentem revocaveris, nos talem originem sensui spiritali verborum assignare, non ex qua nequeat non dimanare, ita ut, quaecumque demum et cuiuscumque verba de typis dicta sint, sensum quoque necessario habeant spiritalem, sed ex qua sola repeti queat sensus spiritalis, qui certis quibusdam scripturarum partibus reapse subest auctore Spiritu sancto, in quantum, inquam, Spiritus sanctus id, quod typis designabat, designare quoque voluit iis sermonibus, quos de typis ipsis proferebat (360 seqq.).

CAPUT XVI

Monita de usu interpretationis spiritalis.

439. Quaecumque de sensu spiritali disputata hactenus sunt, satis cuique futura esse arbitramur, ex quibus, memor illius augustinianae sententiae: *Inutiliter signa interpretari male vagantis er-*

roris est (a), discat, qua se ratione gerere debeat in huiusmodi sensu eruendo, quid hac in re praestare, quid cavere ipsum oporteat. Non tamen dubitandum est, quin studiosornm commodis prospecturi simus, si praecipua ex illis in summam colligamus, atque ad certa veluti capita redigamus. Itaque, positis prius certis quibusdam principiis huc spectantibus, indicia atque argumenta suppeditabimus, quibus sensum spiritalem, ubi latet, deprehendere, ac dignoscere, atque inde eruere, possimus, tum vero, quaenam in mystica interpretatione attendere, quaenam vitare potissimum oporteat, edicemus.

ARTICULUS I

Principia quaedam ponuntur.

440. Subesse sensum spiritalem tum materiei (301 seqq.) tum verbis (354 seqq.) scripturarum quamvis indubium sit, si de illis generatim loquaris, non tamen de singulis id certo affirmari potest (328 seqq. 369 seqq.). Eam ob rem sensum spiritalem, quem rebus aut verbis quibusdam subesse certo constat, apprime cauteque distinguendum esse ab eo, quem vel argumentis non omnino certis vel solum coniectando ex rebus aut verbis colligimus. Quibus porro indiciis certa ab incertis secernamus, ea mox proponentur (444 seqq.). Id interea in mystica interpretatione cumprimis positum sit, ut nil sanctius atque antiquius habeamus, quam ne veluti Spiritus sancti effata atque oracula venditemus, quae talia fortasse nequaquam sunt.

441. Spiritalis iste sensus verbis subesse in tantum potest, in quantum subest aeque illis ipsis rebus, quas eadem haec verba designant (360 seqq.). Unum itaque atque eumdem esse apparet spiritalem verborum ac rerum per haec designatarum significatum (343). Utque spiritalis rerum significatus similitudini alicui aut proportioni, quae inter res ipsas seu typos atque inter antitypa intercedit, ita spiritalis sensus verborum ipsi horum sensui literali cuidam veluti fundamento innixus est ac superstructus (344. 362). Hanc patrum atque etiam Iudaeo-

(a) Doctr. chr. L. III. c. 9.

rum sententiam esse, eorumque adeo, qui mystico scripturarum sensui sectando tenacius adhaesere, comperimus ex testimoniis, quae iam attulimus (316. 365. 426). Quod vero sensum literalem verborum dicamus fundamentum esse sensus spiritalis, sic intellige, ut, si verba haec avellantur a sermone aut a narratione, cui contexta sunt, possint in sensum literalem saltem translatum accepta antitypum quoque designare non secus ac typum (86), sicut alio loco iam declaravimus (344).

442. Quae quum ita sint, patet, quam praepostere is ageret, qui, ut spiritali sensui colligendo adlaboraret, literalem negligeret, quum nihil hoc esset aliud, quam domum exstruere, priusquam fundamentum iactum sit. Imo, etsi, ut patres sensere, quos inter consule Hieronymum (*a*), Augustinum (*b*), et Gregorium (*c*), utque ratio ipsa credere suadet, sensus spiritalis praestantior sit et sublimior sensu literali, in quo latet, quum numquam res ipsa effigiem suam non antecellat, maius tamen studium in sensu literali definiendo ponendum esse pro comperto est.

443. Denique non inutile erit unum etiam monuisse, fundamentum, inquam, spiritalis significationis non idem necessario esse ac fundamentum, cui innititur veritas rerum μυστικῶς significatarum, sive, ut cum philosophis loquar, aliam esse veritatem *subiectivam*, aliam autem *obiectivam* sensus spiritalis. Posteriorem esse posse sine priore, non autem contra. Priorem pendere ex literali sensu verborum ipsorum, quibus sensus ille spiritalis subest, posteriorem vero quaerendam sive ex aliis scripturae locis, sive ex ceteris doctrinae catholicae regulis. Exempli caussa, verborum illorum: *Nec os illius confringetis (d)*, spiritalem significationem in ipso sensu literali optime fundatam esse patet, optime quippe possunt verba haec per se ipsa sumpta significare ossa Christi non fuisse confringenda; at, quod reipsa confracta non fuerint, non ab alio didicimus nisi a Ioanne (*e*). Atque hoc eodem exemplo discimus, quomodo veritas *subiectiva* sensus spiritalis sine *obiectiva* esse non possit, in quantum, inquam, non alia ratione nobis

---

(*a*) In ep. ad Gal IV, 18.
(*b*) Cont. advers. legis et prophet. L. I. c. 13.
(*c*) In Ezech. L. II. hom. 10. §§. 1. 2.
(*d*) Ex. XII, 46.
(*e*) Io. XIX, 33.

constat illis Moysis verbis rem, quam narrat Ioannes, μυστικῶς praenuntiatam fuisse, nisi quia Ioannes testatur id reapse factum esse, quod verbis illis μυστικῶς praenuntiatum est.

ARTICULUS II

Argumenta atque indicia sensus spiritalis.

444. In mystica interpretatione nos iuvabunt aliquot ex regulis, quas ad sensum literalem definiendum suggessimus. Comparatio enim animi, quam primam posuimus inter regulas remotas (94 - 96), eo magis necessaria est ad spiritalem sensum quaerendum, quo abundantius lumen interpretis menti in ea quaestione affulgeat, oportet. Catholicis doctrinis (101) religiose adhaerendum esse, non est, cur praemoneamus. Lectio integrorum bibliorum (138. 139) quo attentius instituetur, eo plenius nobis apparebit admiranda illa divinorum foederum οἰκονομία mutuusque respectus, unde tota typologiae ratio pendet, ideoque et spiritalis sensus scripturarum. Apprime quoque tenenda est dictio translata bibliorum (217 seqq.), quo veros typos a meris figuris rhetoricis verborumque immutationibus distinguere noscamus, prout inferius praecipiemus (452). Potiores quoque scripturarum interpretes (115 seqq.) erunt consulendi, maxime vero qui sapientius et accuratius in hoc interpretationis genere versati sunt, ex quibus nominasse sufficiat Cornelium a Lapide.

445. Certa tamen atque indubia sensus spiritalis argumenta non aliunde petere est, nisi ex iis auctoritatibus, quibus refragari religio est, ex testimonio, inquam, scriptorum sacrorum (184 seqq.), ex ecclesiae iudicio (102 - 108), atque ex communi patrum sententia (109 - 114); his, inquam, auctoritatibus solummodo certo nobis constare potest, num rebus, num verbis quoque, quibus res designantur, sensus spiritalis subsit. Triplex est autem huius rei ratio ac modus.

446. Etenim, si scriptores sacri, sive ecclesia, sive patres una voce, doceant, aliquam personam aut rem, seu aliquod eventum, typum fuisse, quo aliquid significaretur, simulque significatum hunc verbis inesse, quorum sensus literalis typum illum exhibet, iam nulli ulterius dubitationi locus erit, quominus continuo credamus tum in re tum in

verbis sensum spiritalem latere. Exempli gratia, id omnino credendum de factis atque eventis Isaaci et Ismaelis, deque historia, qua haec referuntur, etenim tum illis tum huic sensum subesse spiritalem expresse Paulus affirmat (*a*).

447. Sin autem illi primum horum solummodo affirment, id est, aliquam sive personam, sive rem, sive eventum aliquod, typum fuisse, etsi non necessario consequi inde videatur verba, quae typum hunc exhibent, in sensum quoque spiritalem esse accipienda, quandoquidem typorum significatus in caussa sit, cur sensus spiritalis possit etiam verbis subesse, non autem cur necessario subsit (285. 360), nihilominus, secundum id, quod alio loco animadvertimus (359), etiam haec ratio satis est, cur sine erroris metu sensum spiritalem verbis quoque subesse putemus. Quare, quum Paulus nubem, quae Israelitis dux itineris fuit, transmissum ab iis sinum erythraeum, manna, quod manducarunt, petram, quae eos potavit, aliaque huiusmodi (*b*), ita commemoret, ut qui haec omnia typos fuisse sentiret, morosius fortasse, nisi etiam audacius, negaremus id satis esse, cur dicamus spiritalem sensum etiam in harum rerum historiis latere.

448. Quod si denique illi testimonia seu verba scripturarum in spiritalem quidem sensum accepta proferant, quin tamen se ita ea accipere ac proferre ulla ratione nos moneant, ut id deprehendamus, regula haec nobis praesto est ex ipsa sensus spiritalis notione deprompta (344), quae, si ea rite adhibeatur, nec fallit unquam, nec fallere potest. Si sensus ipse literalis atque obvius verborum, prout haec leguntur eo loco, ex quo sunt deprompta, non illud refert, de quo tamen scriptores sacri, aut ecclesia, aut patres una voce, docent dicta ea fuisse, pro certo habebis illud referri per spiritalem eorumdem horum verborum sensum, ac proinde hunc his verbis inesse, per sensum vero literalem typum aliquem designari (327). Paulus de Christo dicta esse affirmat illa verba Nathanis: *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (c)*. At, si ipsum Nathanis vaticinium legeris, intelliges ea de Salomone dicta fuisse. Conclude itaque his ver-

---

(*a*) Gal. IV, 24.
(*b*) I Cor. X, 1 seqq.
(*c*) Hebr. 1, 5.

bis subesse quoque sensum spiritalem, in quem accepta Christum referunt, cuius typus Salomon fuit. In huius autem regulae usu sedulo cavebis, quae mox cavenda dicentur (450 seqq.).

449. Alia porro argumenta atque indicia, quibus maiore aut minore probabilitate evincere possumus sensum spiritalem quibusdam verbis inditum esse, ex hoc deducuntur, quod toti veteri οἰκονομια typicus insit significatus (327. 330), eaque facile disces ex illis, quae disseruimus de ratione, qua typi innotescunt (327). Lege Hermannum Goldhagen (*a*).

ARTICULUS III

Quae in mystica interpretatione cavenda.

450. Nunc autem summatim ea edicamus, quae potissimum cavere oportet in spiritali sensu quaerendo, quae tamen quisque iam ediscere potuit ex tota hac nostra disputatione.

451. Cumprimis itaque nimietas fugienda est, qua non uno modo peccatur. Accidit quippe nimietate peccare eos, qui, ut sensum spiritalem literali adstruant, ipsum literalem tandem destruunt, aut saltem pervertunt, ac depravant, quam ob rem Origenem acriter carpit Hieronymus (*b*); etsi revera, qui id faciunt, non spiritalem sensum, sed fictum sensum literalem comminiscuntur, atque in locum veri substituunt, quum spiritalis sensus sine literali esse aut ei adversari nequeat (441). Ii quoque nimietate peccant, qui proprii ingenii foetus atque inventa pro mysticis Spiritus sancti effatis, aut sensum spiritalem, qui probabilis ad summum sit, tamquam certum divendunt; ad quod etiam scribit Hieronymus Origenem offendisse, dum *ingenium suum facit ecclesiae sacramenta (c)*. Nimii etiam habendi sunt, qui in sensu spiritali talem rerum ordinem flagitant, aut invenire adnituntur, qualis est in sensu literali, iidemque a Hieronymo improbantur, uti iam animadvertimus (401). Idem peccant, qui unamquamque vo-

---

(*a*) Vindiciae harmonico-crit. et exeget. in sacr. scriptur. nn. 343 seqq.

(*b*) Cont. Ioann. Hierosolymit. §. 7.

(*c*) Praef. Lib. V Comment. de Isaia.

culam historiarum aut sermonum, quibus sensus spiritalis subest, μυστικῶς exponere student (371); qua de re agentem Huetium adeas (*a*). Ii demum merito nimietatis arguuntur, qui extra divinorum foederum οἰκονομιαν spiritales significatus protrahunt, quum aliquid, quod ad illam minime pertinet, ab aliqua re ex iis, quae in scripturis habentur, tamquam a typo praesignificatum esse comminiscuntur.

452. Aliud, quod apprime cavebis, est, ne spiritalem sensum esse putes, qui literalis est. Qua de re vix aliquid dicendum superest praeter ea, quae passim in hac dissertatione dicta sunt. Huius autem erroris periculum magis praesens fit, ubi sensus literalis verborum vel mysteria prodit (347), vel translatus est (224), praesertim quum verba ex historia et ex rebus vere gestis (77), maxime autem quum ex typis (88) transferuntur. Item ubi symbola usurpata commemorantur (288. 296-299), ubi res gestae in exemplum proponuntur (292-294), ubi similitudines adhibentur, et comparationes instituuntur (300), ubi denique prosopopoeia (177) aut imagines (227) inveniuntur. Huius eiusdem erroris periculo obnoxius est, qui in legendis patribus atque bibliorum interpretibus non iugiter memoria retinet, quod saepe animadvertimus, plura ac diversa ab illis nomina promiscue adhibita reperiri modo ad unum modo ad alium scripturarum sensum designandum (346 seqq.).

453. Caveas denique, ne in sensum spiritalem usurpari putes ab aliquo ex scriptoribus sacris verba aut sententias alterius, dum has quibusdam aliis rebus accommodat, atque aptat κατ' ἐκβασιν aut secundum aliquam similitudinem, quae inter res istas intercedit atque inter rem verbis illis illisque sententiis vere designatam. Qua de re iam aliqua diximus (189), atque alia nonnulla dicturi adhuc sumus (475).

(*a*) Dem. ev. prop. IX. c. 171. §. 4.

CAPUT XVII

De consectariis et consequentibus sententiae, quae verbis bibliorum subiecta est, seu de sensu consequente scripturarum.

454. Est hoc insitum atque innatum hominum mentibus, dum scripta legimus, aut loquenti aures praebemus, simul ex dictis aut auditis ratiocinari, aliaque ex aliis colligere, atque ea, quae rerum scriptarum aut dictarum consectaria esse intelligimus, ipsis, qui haec scripsere, aut dixere, tribuere ut eorum ipsorum sententias. Hoc autem, sicut in ceteris libris, sic etiam in bibliis legendis fieri solet. Multiplex tamen intercedit inter utrorumque consectaria discrimen. Nam ceterorum librorum auctores vel ea fortasse non animadvertebant, dum scriberent, vel, etsi animadverterent, curae ipsis forte non erat, ut ea legentium mentibus occurrerent, vel, quamvis id fieri optaverint, non tamen praevidere potuerunt id certo factum iri, multoque minus, ut id certo fieret, providere. At, quod attinet ad biblia, res secus se habet omni ex parte. Plane enim indubia ac certa sunt, si de Spiritu sancto deque consectariis illis dicantur, haec, quae de Moyse deque literali multiplici sensu scripturarum Augustinus scribebat (40): *Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest (a)*, hoc est, ex eis colligi. Itemque alia haec (41): *Et ipsam sententiam*, quam consectaria illa exhibent, . . . *certe Dei spiritus, qui per eum haec operatus est*, qui, inquam, per scriptorem ab ipso inspiratum biblia edidit, *et ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo, ut occurreret*, QUIA ET IPSA EST VERITATE SUBNIXA, *providit (b)*.

455. Constat proinde Spiritum sanctum in bibliis edendis id inter cetera sibi proposuisse, quo de alias aliquam iam mentionem inie-

---

(a) Confess. L. XII. c. 31.

(b) Doctr. chr. L. III. c. 27.

cimus (9. 283, 351. 374. 435), ut ea quoque nos doceret, quae praedicta ratione ex bibliis colligimus, atque eruimus, quaeque consequuntur ex materie atque argumento, pertinentque sive ad mentem veritate doctrinarum imbuendam, sive ad mores honestate informandos, non secus atque illa ipsa, quorum consectaria sunt, et quae aperte atque expresse in bibliis habentur. Quod pluribus praeterea rationibus potest confirmari.

ARTICULUS I

Testimonia scriptorum sacrorum.

456. Ac primo scripturae ipsae huius rei argumenta suggerunt. Paulus sic loquitur: *Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus (a)*, et alio loco: *Haec autem omnia in figura contingebant illis;* SCRIPTA SUNT *autem ad* CORREPTIONEM, sive, ut sonant graeca ipsa Pauli verba, πρὸς νουθεσίαν *ad* ADMONITIONEM *nostram (b)*, nimirum ut ex his colligamus, atque discamus, quid nobis agendum, quid cavendum sit, huc, inquam, spectabat Spiritus sanctus, dum eo ipso auctore illa scribebantur. Ad Timotheum vero haec Paulus scribebat: *Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu.* OMNIS SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus (c).* Vides, ut Paulus hanc utilitatem repetat ex eo, quod *scriptura divinitus inspirata* sit, ideoque ut auctori Spiritui sancto caussam utilitatis huius tribuat. Sed et *omnis scriptura* πασα γραφη dicitur afferre hanc utilitatem, quam tamen, saepissime fiet, ut ἀμέσως ex ipsis sententiarum aut narrationum verbis capere frustra coneris. Exemplum sume ex his: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi (d)*; *Factumque est*

(a) Rom. XV, 4.
(b) I Cor. X, 11.
(c) II Tim. III, 15-17.
(d) Gen. I, 2.

vespere et mane dies unus, . . . dies secundus, . . . dies tertius etc. (a); *Fluvius . . . dividitur in quatuor capita, nomen uni Phison etc. (b); Cognovit autem Cain uxorem suam etc. (c)*; *Hic est liber generationis Adam etc. (d)*; exque aliis sexcentis. Haec itaque in tantum utilitatem illam afferre dicenda sunt, in quantum alia inde vel consequuntur, vel media ratiocinatione aut commentatione colligi aut cogitari a nobis possunt. Ad haec eadem consectaria et consequentia pertinere facile intelliges ea, quae Paulus non semel loquitur, atque urget, de discrimine inter *literam* et *spiritum (e)*.

457. Adde, quod, nisi illud (455) Spiritui sancto fuisset propositum, plurimorum, quae praesertim in historia israelitica leguntur, nulla alia ratio appareret, cur referantur a sacris scriptoribus, ideoque minus vere dixisse videretur Paulus ea, quae modo retulimus. Quod enim ad historiam attinet, plurima nullius omnino momenti sunt; nec sane nostra interest, si Eglon Moabitarum rex adipibus obesus fuerit (*f*), si Miphiboseth Saulis filius claudicaverit (*g*), si Asa rex Iudae podagra laboraverit (*h*). Sed neque typum aliquem in illis latere deprehendas, quo sensus saltem spiritalis huiusmodi narrationibus aut narrationum partibus subsit (333). Demum horum non pauca adeo obscura sunt atque implexa, ut neque eorum sensus colligi possit. Quorsum itaque haec omnia auctore Spiritu sancto narrantur? quorsum his, non secus ac ceteris scripturis sacris, caelestis ille character impressus illaque divina auctoritas addita, quibus ea θεοπνευστα esse ipsi ita credimus, ut, secus sentire religioni cuique sit, oporteat? Contra ea, si quid veri ex hisce ipsis locis eruamus, quod nominum etyma, vel numerorum rationes, vel alia personarum, rerum, ac locorum adiuncta, commentationi nostrae exhibeant, quodque moribus recte fingendis alendaeve in Deum pietati conducat, sententia ipsa sic collecta ea procul dubio est, quam, ut loquitur Augustinus, *certe Dei spiritus*, *qui* per scriptorem ab ipso afflatum *haec operatus est*,

(*a*) Ib. 5. 8. 13.
(*b*) Ib. II, 10 seqq.
(*c*) Ib. IV, 17 seqq.
(*d*) Ib. V, 1 seqq.
(*e*) Rom. II, 27. 29; VII, 6; II Cor. III, 6.
(*f*) Iudic. III, 17.
(*g*) II Reg. IX, 3.
(*h*) III Reg. XV, 23.

etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo, ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa; providit; idque illud est, quod sibi voluit Augustinus, ubi animadvertit, ut *divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit (a).* Hoc autem modo probe intelligimus, cur Spiritus sanctus curaverit, ut haec quoque in sacrum volumen referrentur, quaenam ex his utilitas capi queat, quam denique ad veritatem Paulus fuerit loquutus.

ARTICULUS II

Testimonia patrum.

458. Quaenam hac de re sententia patribus fuerit, notior res est, quam ut confirmatione indigeat. Non semel animadvertimus, quem hi *sensum spiritalem* aut *mysticum* vocant, saepe non sententiam esse verbis scripturarum subiectam, sed esse ea, quibus de nunc agimus, consectaria et consequentia ex sententia ipsa, imo quidquid veri occasione capta ex iis, quae in scripturis legimus, menti occurrit. Hanc nominibus illis aut similibus notionem patres subiecisse apparet manifesto ex ipsorum commentariis de sacra scriptura.

459. Sed et aliud argumentum ex commentariis hisce petere est. Constant ea quippe magnam partem doctrinis, praeceptis, sententiisque ita propositis, ut quas ipse Spiritus sanctus suggesserit per ea, quae in scripturis habentur Quamobrem, nisi rem sic se habere patres credidissent, dicendi essent nos fefellisse, nisi autem res ipsa ita foret, ipsi falsi esse, eorumque commentarii, non quidem futiles aut inutiles (403), sed quibus magna ex parte inane fundamentum fuisset substructum. Sin autem positum sit veram esse sententiam, quam defendimus, liquet iam, non iniuria modo, sed et minus pie carpi eam rationem, quam in suis scripturarum commentationibus patres iniverunt. Subiiciam denique pro hac sententia quaedam patrum testimonia, quae sese mihi ultro in eorum commentariis legendis obtulerunt.

(a) De civ. Dei L. XI. c. 19.

460. Eusebius ita loquitur: *Per totam sacram et a Deo inspiratam scripturam praecipuus intelligentiae scopus eo spectat, ut tradat mystica atque divina, servata vicissim obvia quoque intelligentia historiae (a).* Haec gemina fere quum sint eorum, quae mox transcribemus ex Augustini libris de Doctrina christiana (464), eodem modo intelligenda sunt.

461. Hilarius enarrans haec verba psaltae: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in caelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Educens nubes ab extremo terrae, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis (b)*, illud adnotat, ipsum verborum sensum sistere infra orationis materiem, quae est Dei potentia, aitque (c): *An haec tantum perfectae in Deo voluntatis omnipotentia est, terras exhalare nubes, coruscare pluviis imminentibus fulgura, alternatis spiritibus flare ventos? Sed arguunt hanc opinionem nostram virtutes verborum et naturae generum . . . . Quae hic humani sensus intelligentia?* Non ideo tamen sensum hunc illorum verborum esse respuendum, quem et ipse accipit ita pergens: *Sed haec a me volenti virtutem et rationem dictorum ostendere ita commemorata sint, ut nihilo minus invisibilis et omnipotentis virtutis esse intelligatur, a mari, quod est ab extremo terrae, nubes educi, et inter pluvias fulgura coruscare, et ventos ex occultis spirituum suorum sedibus flare (d)*; sed ex ipso hoc illorum verborum sensu sublimiora quaedam consectaria esse eruenda, subiicit quippe: *Verum, quia non in his tantum omnipotentia Dei est, neque in his solum, quae voluit, fecit in caelo et in terra, in mari et in abyssis, et* IN HIS, *quae corporaliter gesta esse memorantur*, SPIRITALIA SIGNIFICARI *meminerimus, demonstrandum est nunc*, QUID SUB HIS DICTIS PER VIRTUTEM PROPHETIAE INTELLIGERE DEBEAMUS (e). Haec *spiritalia* vocat *intelligendaque per virtutem prophetiae*, nimirum quia haec quoque, etsi non ἀμέσως, ut sensum verborum, medio tamen hoc ipso

(a) Dem. ev. L. IX. p. 416. Paris 1628.
(b) Ps. CXXXIV, 6. 7.
(c) In Ps. CXXXIV. §. 2.
(d) Ib. §. 13.
(e) Ib.

sensu *certe Dei spiritus*, Augustini utar verbis, *occursura lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo, ut occurrerent, quia et ipsa sunt veritate subnixa, providit.* Continuo, quaenam spiritalia haec sint, Hilarius exponit *(a)*: *In eo, quod omnia, quae voluit, fecit in caelo et in terra, in mari et in abyssis, quantum cognitioni nostrae permissum est, nihil amabilius Deo homine est etc.*

462. Hieronymum in eadem fuisse sententia certiores nos ipse facit quibusdam effatis, quae alio loco (329) descripsimus. De exordio autem geneseos sic loquitur: *Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbum, translationem* verborum IN PRINCIPIO *de Christo accipi potest (b)*; ubi oppositio ipsa *sensus* et *verbi* clare ostendit non loqui Hieronymum de sensu verborum, sed de eo, quod ex sensu hoc colligi commentatione potest; id autem nec iure nec recte fieri posset, nisi positum sit Spiritum sanctum, Moysi exordium geneseos suggerendo, providisse, ut illud, de quo loquitur Hieronymus, ex huius exordii sententia colligeretur. Huc quoque pertinet dictum illud Hieronymi de Christi verbis: *In quibus per tanta iam saecula tantorum ingenia sudaverunt, ut rationem verbi uniuscuiusque magis opinati sint, quam expresserint (c).*

463. Sic etiam Ambrosius de hoc eodem exordio: *Est etiam initium* MYSTICUM . . . *In hoc ergo principio, id est, in Christo, fecit Deus caelum et terram (d)*; ubi vox *mysticum* non significat sensum vere ac proprie spiritalem ex typis in verba derivatum, sed aliquid aliud, quod Spiritus sanctus intendit praeter ipsam verborum sententiam, ex hac tamen colligendum.

464. Augustinum a nobis stare, testimonio ea sunt, quae iam ex ipso descripsimus (454). Itemque, quum praecipit, *ut intelligatur legis et* OMNIUM *divinarum scripturarum* PLENITUDO *et* FINIS *esse dilectio (e).* Etenim, si *omnium* scripturarum is *finis* est, quum plurimae sint earum sententiae, quae finem hunc ipsae per se ἀμέσως

(a) Ib. §§. 14 seqq.
(b) Quaest. hebr. in Gen. I, 1.
(c) Ad Marcell. ep. XXVII al. CII. §. 1.
(d) Hexaem. L. I. c. 4. §. 15.
(e) Doctr. chr. L. I. c. 35. §. 39.

minime attingunt, concludendum est, illud ipsum effici ex his Augustini verbis, quod ex verbis Pauli effici superius (456) vidimus.

465. Denique Gregorius Magnus plene nobis est adstipulatus, dum haec scripsit: *Dominus et salvator noster . . . aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus, admonet. Ipsa etenim facta eius praecepta sunt, quia, dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit (a)*; provisum videlicet Dei numine est, ut *ex rerum* a Christo gestarum *narratione*, quam evangelistae scripsere, vitae recte agendae praecepta eruamus, et colligamus.

ARTICULUS III

Monita nonnulla.

466. Haec, quae consequuntur, aut commentando promuntur ex verbis aut ex materie scripturarum sacrarum, a patribus designantur plerumque iis iisdem nominibus, quibus sensus spiritalis vere ac proprie dictus solet designari, ut sunt *sensus spiritalis*, *mysticus*, *moralis*, horumque similia, aut *intelligentia*, aut simpliciter etiam *sensus* absque ullo nomine adiectivo. Per quam apte *sensus* κατα διανοιαν vocaretur, ut Graeci faciunt, qui tamen sensum quoque spiritalem sic vocant. Non male fortasse *sensum consequentem* latine diceremus.

467. Sensum hunc quid plane aliud esse, ac sit sensus literalis, nemo non perspicit. Sed et a sensu quoque spiritali omni ex parte differre facile intelligis ex huius definitione (2. 342); sensus enim spiritalis ex typis oritur, atque hinc in verba derivatur, hisque, aeque ac sensus literalis, vere subest, quorum nil simile habet sensus iste consequens. Imo neque *scripturarum sensus* vere ac proprie hic dici potest, si nomen *sensus*, prout in tota hac disputatione usurpatur, significet vel verbi notionem, vel sententiam ex plurium verborum notionibus exsistentem. Poterit tamen sic vocari atque haberi, in quan-

(a) In evangel. hom. XVII. §. 1.

tum Spiritus sanctus scriptori bibliorum suggerens sententias id providit, ut ex harum sensu sensum illum erueremus.

468. Ex doctrina superius (454) proposita, quam ab Augustino sumus mutuati, efficimus, in huiusmodi sensu colligendo hoc unum cavere oportere, ne quid a veritate absonum, aut ineptum, aut ab ipsa verborum significatione omnino alienum, quodque nullo modo consequens esse videatur, promamus; haec enim, tamquam quae scripturarum forent consectaria aut ex scripturis colligenda, divinus harum auctor profecto non intendebat.

469. Attamen, quae ita cum scripturarum sententia sunt connexa, ut manifesta ac necessaria consequutione ex hac conficiantur, secernenda ea sunt ab illis, quae alia via, puta, ex nominum etymis, ex numerorum rationibus, exque aliis similibus, menti biblia legentium occurrunt, quum priora illa certo ex scripturarum sententia consequantur, ut sunt, exempli caussa, consectaria theologorum, non item posteriora, sed haec solum probabiliter plus minusve. De prioribus illis consectariis ita scribit Gregorius Nazianzenus: *Nonne perspicuum est, ista tametsi non dicantur* in scripturis, *tamen ex illis colligi, quae haec necessario efficiant, ac probent? .... Quod si, te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo, quod animal ratione praeditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Nequaquam profecto, quum tua dicerem. Neque enim verba magis sunt eius, qui loquitur, quam illius, qui loquendi necessitatem simul affert. Quemadmodum igitur hic, non ea magis, quae dicuntur, quam quae intelliguntur, expenderem, eodem modo nec, si quid aliud eorum, quae vel nullo modo, vel certe non satis aperte, dicuntur, ex scriptura tamen intelligi colligique reperirem, tam te nominum sycophantam pertimescerem, ut a pronuntiatione ipsa refugerem (a).*

470. Sed de hoc sensu consequente hactenus. Quo satis superque me iis fecisse confido, quibus non placet alia illa sententia, in qua

(a) Orat. de Spir. sancto, quae est V de Theologia post med.

sum, quamque uberius defendi (31 seqq.), sacris scripturis, non multiplicem, sed unicum subesse sensum literalem (72).

CAPUT XVIII

De aliis quibusdam sensibus, qui bibliis affinguntur.

471. Exposuimus ea omnia, quae ad verum legitimumqve scripturarum sensum sive literalem sive spiritalem atque ad ipsius sententiae consectaria et consequentia colligenda scitu necessaria potissimum sunt. Quandoquidem autem scire falsa veris dignoscere ad veritatem arripiendam conducit, nonnulla dicamus, opus est, de fictis quibusdam sensibus scripturarum, quidque de iis sentiendum sit, aperiamus. Hos inter eminet sensus *accommodatus* vel, ut barbare magis dici solet, *accommodatitius*, de quo postquam haec disquisiverimus, quid rei et quotuplici forma sit, an huius specimina apud scriptores sacros reperiantur, quatenus et quo pacto eum ex scripturis extundere liceat, nonnulla disseremus de sensu prophetiarum, qualem esse volunt Sociniani, de sensu *typico*, qualem Grotius commentus est, de sensu *morali*, quem Kantius excogitavit, ac demum de sensu *mythico* et *psychico* a Rationalistis conficto.

ARTICULUS I

De natura, diversisque formis, ac nominibus sensus accommodati.

472. Sensus *accommodatus*, quem recte, ut quidam faciunt, κατα κολλησιν nuncupaveris, est, quem voces atque enuntiationes scripturarum praeferunt, quum aptantur alii rei exprimendae, ac ea sit, quam auctor expressit. Hinc *transumptivus* quoque a nonnullis, puta, a Caietano (*a*), dictus est. Nec male subinde huic sensui nomen illud in-

(*a*) De usu sacrarum scriptur. ap. *Serarium* Prolegomen. bibliacor. c. 21. q. 14.

deres, quo pessime Theodorus Mopsuestenus (476) designavit sensum illorum oraculorum, ex quibus scriptores novi testamenti argumenta petiere (*a*), et κατ' ἔκβασιν diceres. Ceterum iam animadvertimus (347) sensum, qui spiritalis a patribus aliisque vocatur, non raro alium non esse, nisi hunc sensum accommodatum, qui proinde alia quoque nomina apud eos sortitur, quibus spiritalis sensus vocari solet.

473. Hunc autem tamquam scripturarum sensum haberi nec debere nec posse, earumque testimonia, quae κατα κολλησιν ad aliquid confirmandum producimus, nulla ad id divina auctoritate pollere, quivis facile intelligit. Quum enim in hunc sensum scripturas accipimus, nihil aliud praestamus, nisi ut earum verbis ac loquutionibus rem aliquam enuntiemus, quam aliis verbis ac loquutionibus ne minimo quidem auctoritatis detrimento enuntiaremus. Neque enim, quia Spiritus sanctus probet, ac velit illud, cui verba scripturarum ea ratione accommodamus, consequens ideo est, illud ipsum verbis hisce eum exprimere voluisse, quum longe aliud sit loquentis propositum, ac sensus, qui loquutionibus subest, aut subesse potest.

474. Si lubet, pro diverso genere rerum significatarum aut modo, quo significantur, facile poteris sensum hunc in easdem formas dispertire, ac sensum literalem (17) et spiritalem (365 seqq.). Pro diversa autem ratione, qua scripturarum verba et loquutiones rebus aliis exprimendis aptamus, sensus accommodatus distingui solet a quibusdam in *extensivum* seu *secundum extensionem* et in *allusivum* seu *secundum allusionem*. Prior habetur, quum scripturarum verba horumque significationem veluti extendimus ad ea, quae aliquid simile aut commune habent cum iis, de quibus a Spiritu sancto dicta sunt verba haec; posterior vero, quum verbis huiusmodi alludimus alicui rei designandae ab eo, quem verba haec, ut sunt in scripturis, exhibent, sensu alienae prorsus ac disparatae. Prioris specimen haberes, si quis admissam culpam excusaret illis Hevae verbis: *Serpens decepit me* (*b*), aut amissum visum defleret dicens cum Tobia (*c*): *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video?* po-

(*a*) V. Constitutum *Vigilii* papae c. XXII in concilio V oecumen.

(*b*) Gen. III, 13.

(*c*) Tob. V, 12.

sterioris, si quis verba illa: *Cum sancto sanctus eris, . . . et cum perverso perverteris (a),* quibus psaltes Deum alloquitur, adhibeat ad indicandos effectus bonae vel pravae conversationis. Priorem porro posteriori praeferendum esse satis apparet. Hoc sacrarum scripturarum usu Bernardus ceteros antecellit.

ARTICULUS II

An scriptores bibliorum ex bibliis verba in sensum accommodatum quandoque acceperint.

475. Quaeri solet, an ipsi auctores sacrarum scripturarum usi quandoque sint harum verbis in sensum accommodatum acceptis. Quantum ad vaticinia, quae ex vetere testamento deprompta producuntur a scriptoribus novi testamenti, ita sentiunt post Theodorum Mopsuestenum (472) Sociniani ac Rationalistarum plerique. Contra vero alii, non prophetias modo, sed quascumque sententias bibliorum negant in eum sensum acceptas unquam fuisse a scriptoribus sacris. Utrumque tamen falsum est, sed primum insuper tamquam absonum a christiana doctrina Vigilius p. m. reprobavit (*b*). Dicimus itaque, nulla omnino vaticinia in sensum accommodatum accepisse scriptores sacros, ubi prophetarum testimonio aliquid confirmare instituebant; attamen inter alias scripturarum sententias, quas vel scriptores illi vel ipse Christus produxere, nonnullas ita ab eis acceptas reperiri tum in vetere tum in novo testamento. Quod attinet ad vetus testamentum iam huius rei specimen dedimus (189). Ex novo autem haec accipe: Matth. VII, 23 ex Ps. VI, 9; Matth. X, 36 ex Mich. VII, 6; Luc. XXIII, 30 ex Os. X, 8; Eph. IV, 25 ex Zachar. VIII, 16.

476. Ceterum nihili faciendum est argumentum προληπτικον, quo ducti nonnulli nobiscum sentire recusant. Est autem illud, quod ratio haec usurpandi testimonia scripturarum minus decere videatur vel ipsos scriptores θεοπνευστους vel scripturarum sanctitatem. Eccur enim

---

(*a*) Ps. XVII, 27.

(*b*) Constitut. cc. XXI-XXV in concil. oecumen. V.

id dedeceat scriptores illos, quos non dedecuit et a profanis scriptoribus verba ac sententias mutuari? *Quis enim nesciat,* inquit Hieronymus *(a), et in Moyse et in prophetarum voluminibus quaedam assumta de Gentilium libris?* Paulus profecto non illud se dedecere arbitratus est, ut quaedam proferret sive ex Phaenomenis Arati (*b*), sive ex Oraculis Epimenidae (*c*), atque adeo ex turpi quadam Menandri fabula *Thaidis* nomine inscripta (*d*). Sed neque scripturarum sanctitatem mos iste dedecet. Si enim hanc minime violant vel oratores sacri, vel patres, vel ecclesia ipsa, quum illarum verba sic usurpant, cur eam violari dicamus, quum id agunt scriptores ipsi bibliorum? Num Spiritui sancto, quem praecipuum auctorem scripturae habent, minime liceat sua propria verba, quoties voluerit, aliis atque aliis rebus significandis adhibere?

477. Haec autem quum affirmamus, haudquaquam volumus, ut de facili quis aliquid tale sese in scripturis deprehendisse credat. Quin imo cavendum omnino est, ne forte, dum sententias scripturarum rebus aliis aptatas in scripturis ipsis quaerimus, nimium iis concedamus, qui *liberaliorem*, ut vocant, seu verius liberiorem audacioremque scripturarum explicandarum rationem sectantur, quum reapse neque adeo frequenter a sacris scriptoribus illud fiat, neque factum esse credendum sit, nisi ubi optima ratio ita credere cogit. Quare, ne hac in re peccemus, diligenter attendere oportet ea indicia, quae mox suggerentur (483 - 485).

ARTICULUS III

Quatenus liceat scripturis hac ratione uti, quidque in hoc attendere oporteat.

478. An liceat voces atque enuntiationes scripturarum aliis rebus exprimendis aptare quam iis, quas verbis illis auctores ipsi expresserunt, religio est dubitare, quum id et patres fecerint, et ecclesia

(*a*) Ad Magnum ep. LXX al. LXXXIV. §. 2.
(*b*) Act. XVII, 28.
(*c*) Tit. I, 12.
(*d*) I Cor. XV, 33.

ipsa in sacris et in caeremoniis faciat quam frequenter. Neque modo id licet, sed cum laude quoque fit nec sine pietatis emolumento; siquidem iis, qui Deum bibliorum auctorem agnoscunt, ipse vocum, quibus ea constant, sonus sanctum quid praefert, reverendum, atque divinum, quod ad pios affectus ciendos mirifice valet. Nonnulla tamen in hoc scripturarum usu sunt observanda, quibus neglectis non solum eo, quod diximus, emolumento usus hic destitueretur, sed facile quoque improbandus atque illicitus prorsus evaderet. Ea vero sunt, quae subiungimus.

479. Malum omnino accommodationis genus est et cumprimis cavendum, quum sensum accommodatum pro literali aut spiritali accipimus, atque aliis obtrudimus. Id peccant, qui testimoniis scriptorum sacrorum in hunc sensum acceptis utuntur ad aliquid comprobandum, puta, si quis alteri persuadere conaretur vitandum esse improborum consortium argumento desumpto ex loco illo: *Cum perverso perverteris* (474). Haec enim horumque similia hoc modo accommodata, si quid fortasse momenti habent ad aliquid probandum, nequaquam illud habent ab auctoritate scripturarum, quae non in hunc sensum ea nobis exhibent, sed quia vel primum aliquod scientiarum aut morum principium continent, vel aliquam veritatem, de qua iam aliis rationibus constat. Maxime vero omnium id peccant, qui hoc idem faciunt ad prava dogmata aut ad proprii capitis commenta confirmanda. De istis legere est, quae Hieronymus (*a*) et Augustinus (*b*) scripsere. Contra hos eosdem porro lege tridentina cautum est (*c*).

480. Neque levius falli aut fallere dicendi sunt, qui verum scripturarum sensum sive literalem sive spiritalem tamquam accommodatum accipiunt, aut tradunt. Id, sicut diximus (475), peccavit Theodorus Mopsuestenus, hodieque peccant Sociniani et Rationalistae. Ad hoc ipsum Grotius saepius offendisse iure ac merito redarguitur.

481. His porro venia magis digni nequaquam sunt, nec minus ut violatae religionis rei sunt habendi, qui sanctissima verba scripturarum ad scurrilia, vel turpia, aut etiam impia, edicenda detorquent.

(*a*) Ad Paulin. ep. LIII al. CIII. §§. 6. 7.

(*b*) De Doctr. christ. L. I. c. 37.

(*c*) Sess. IV decret. de edit. et usu sacr. libror. *Praeterea, ad coercenda etc.*

Patrum enim, qui Tridenti concilium habuere, decreto iudicium de illis plane iam factum est, quod sic habet: *Post haec temeritatem illam reprimere volens* synodus, *qua ad profana quaeque convertuntur, et torquentur verba et sententiae sacrae scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, et praecipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de caetero quisquam quomodolibet verba scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per episcopos coerceantur (a).* Tanti vero criminis rei traducendi non sunt, qui quaedam scripturarum proverbia aut quasdam similitudines rebus aliis quam iis, de quibus dictae sunt, accommodant ita, ut levem aliquem lusum minimeque turpem exhibeant, praesertim si ipsa verba tale aliquid praeferant etiam accepta in eum sensum, quem habent in ipsis scripturis, ut si rem tibi molestam dicas esse, *sicut acetum dentibus et fumus oculis (b)*; multo vero magis si verba sint perditorum hominum, ut si hominem avarum sacculo sordide parcentem irrideas verbis Iudae Iscariotae (c): *Ut quid perditio haec?*

482. Incongruum omnino atque ineptum est, si non criminosum ac minus decens, accommodare verba scripturarum rebus nimis dissimilibus ac disparatis ab illa, quam verbis hisce scriptor sacer enuntiavit; ut si quis romanum gymnasium laudaturus illud ex Proverbiorum libro proferret: *Sapientia aedificavit sibi domum (d).* Hac arte sive hoc modo usurpandi sententias scripturarum excelluere plerique oratores, qui saeculo decimoseptimo floruerunt. Hunc autem scopulum vix fugies, si te altera sensus accommodati species nimium delectet, quae *per allusionem* fieri dicitur (474). Id a se peccatum in adolescentia fuisse Hieronymus conquestus est (e).

483. Denique sedulo attende sensum accommodatum haudquaquam haberi, quum verba scripturarum usurpantur aliqua ex his rationibus,

---

(a) Sess. IV decret. de edit. et usu sacror. libror. sub fin.

(b) Prov. X, 26.

(c) Matth. XXVI, 8.

(d) Prov. IX, 1.

(e) Praef. Comment. de Abdia.

quas subdimus. Ac primo, quum haec producimus, ut inde, ob similem aut potiorem rationem, rei, de qua agimus, veritatem aliis probemus. Licet enim, quum ita producuntur, rebus aliis aptari dici possint, non tamen aptantur ad eas exprimendas atque edicendas, quod fit, quum in sensum accommodatum accipiuntur. Sic Paulus Hebraeos, ut Deo fiderent, hortabatur verbis illis: *Non te deseram, neque derelinquam* (a), quibus Deus Iosuem alloquutus fuerat (b); quae tamen nequaquam usurpasse Paulus putandus est in sensum accommodatum, sed ut inde argumentum sumeret, ac si dixisset: *Sicut* Deus Iosuae promisit se numquam ei auxilio defuturum, *ita* neque vos unquam deseret. Idem Paulus, ut probet sacrorum ministris, quae victui necessaria sunt, ea deneganda non esse (c), affert hanc legem ex deuteronomio: *Non ligabis os bovis terentis* (d), non quidem in sensum spiritalem acceptam, ut plures opinantur, neque in sensum accommodatum, ut nonnullis placet, sed in literalem (188), ut confirmet, inquam, sententiam suam argumento, ut vocant, *a minore ad maius*, ac si diceret: Quum vetemur a Deo bobus triturantibus os colligare, quominus edant de iis, quae terunt, *magis* sane multo divino numini is adversaretur, qui sacerdotibus, dum pro nobis laborant, victum praebere abnueret. Num enim Deo boves curae sunt, non autem ipsius ministri? aut magis saltem, quam his, consultum bobus esse cupit? Quae omnia ex integro sermonis contextu clarius apparent.

484. Quum scripturarum sententias exempli aut similitudinis caussa adhibemus, dici nequeunt usurpari atque accipi in sensum accommodatum; non enim id facimus, ut rem aliquam exprimamus, atque edicamus, sed ut eam magis declaremus, atque sermonem exornemus. Id autem sic esse prodit ipse dicendi modus, ostenditque germanum verborum significatum non excludi. Hac ratione Paulus (e) eleemosinam laudans affert illud exodi: *Nec, qui plus collegerat, habuit amplius, nec, qui minus paraverat, reperit minus* (f),

---

(a) Hebr. XIII, 5.
(b) Ios. I, 5.
(c) I Cor. IX, 9; I Tim. V, 18.
(d) Deut. XXV, 4.
(e) II Cor. VIII, 15.
(f) Ex. XVI, 8.

quod de manna dictum est aequo pondere a singulis Israelitis collecto; illud, inqnam, affert similitudinis caussa, ut manifestum fit illis verbis: *Sicut scriptum est*, quibus exorditur, et quae, ut nullo modo evincunt exodi effatum, sive in literalem sensum sive in spiritalem id accipias, ad eleemosynam pertinere, ita satis declarant neque in sensum accommodatum accipi a Panlo, sed totam huius sententiam sic sonare: Divitum esse pauperibus opem ferre, quo quaedam bonorum aequalitas sit inter Christianos, sicut contigit illis, qui manna colligebant, de quibus scriptum est etc.

485. Denique in sensum accommodatum usurpari scripturae dicendae non sunt, quum ad aliquam rem confirmandam depromimus ex illis effata, proverbia, ac praecepta quaedam universalia, quae personam nullam nullamqne rem certam attingunt, qnamquam ab eo prolata fuerint, qui vel unnm aliquem aut plures alloqueretur, vel de certa aliqna re ageret. Huiusmodi sunt illa, quae Samuel protulit Saulem redarguens: *Melior est enim obedientia, quam victimae (a)*, et qnae Deus de Iudaeis loqnens (*b*): *Numquid voluntatis meae est mors impii?* Si enim prioribns alicui suadeas, ut legibus obtemperet, posterioribus vero, ut Deum sibi benignum futurum speret, profecto non ea usurpas in sensum accommodatum, sed in proprium ac germanum.

ARTICULUS IV

De sensibus, quos Sociniani, Grotius, Kantius, Rationalistae, Paulusius, scripturis affinxerunt.

486. Verus et germanus scripturarum sensus alius non est praeter literalem et spiritalem, de quibus proinde disserere propositum nobis praecipue fuit. Quae consectaria sunt et consequentia sententiis scripturarum, utpote arcte connexa cnm ipso harum sensu, sensum quoque accommodatum, utpote cuius frequens est usus, praeterire mi-

(*a*) I Reg. XV, 22. (*b*) Ezech. XVIII, 23.

nime oportuit, qnin et de his ea, quae magis scitu necessaria essent, ediceremus. Quo nos munus omne, qnod suscepimus, ut de sacrarum scripturarum interpretatione disputaremus, plene confecisse arbitramur. Ne tamen morosioribus quibusdam dispntatio haec nostra manca foriasse videatur, si non et ad quaedam commenta sese porrigat, quibus alii scripturarum sensus conficti sunt, de his quoqne, non quidem omnibus, sed aliquibus insignioribus nec nisi perpauca dicemus. Ea vero sunt, quae Sociniani, quae Grotius, quae Kantius, quae alii de schola Rationalistarum, excogitarunt.

487. Itaque Socinianorum plerique Marcionitas sequuti (*a*) negant ullum in scripturis vaticinium proprie dictum haberi, hinc sensus prophetiarum ex ea parte, quatenus hae futura portendere creduntur, alius Socinianis non est, nisi qui Theodoro Mopsuesteno fuit (475), κατ' ἔκβασιν, inqnam, sive accommodatus. Id quidem ex Socinianorum sententia de prophetiis legitime profluit; at, quum haec falsa sit, qno magis legitime id ex ea profluit, eo minus accipi a nobis potest. Ceterum non hic locus est sententiae huic refutandae.

488. De *sensu typico*, quem prophetiis fere omnibus Grotius affinxit, iam loquuti sumus (393). Iniuria tamen Grotii sententiam sententiae Socinianorum geminam diceres. Sensit quippe Grotius veras ac proprie dictas prophetias in scripturis reperiri, iisque Christum, remote licet ac per typos, portendi. Nonnullas praeterea ita accipit, ut quae proxime atque dumtaxat Christum praenuntient. Fatetur ultro quorumdam vaticiniorum sensum sibi perspicuiorem videri, in quantum ad Christum huiusque res illa pertinent, ac videatur, in quantum pertinent ad typos. Affirmat haec in novo testamento ex vetere deprompta produci, ut quae vera ac proprie dicta sint vaticinia. Concedit denique eorum nonnulla ad probandum usurpata esse ab apostolis et evangelistis. Eo itaque peccat Grotius, tum quia perpaucissima sint vaticinia, quae concedit ad Christum solummodo ac proxime pertinere, tum quia, ut sententiae suae adhaereat, prophetias plurimas mirifice torquet, quo alterum sensum, literalem videlicet, qui ad typum pertineat, ex illis exprimat. Grotium plene refutavit Io. Franciscus Baltus (*b*).

(*a*) Vide *Iulium Africanum* apud *Georg. Syncellum* Chronographiae p. 322 edit. Paris. et p. 256 edit. Venet.

(*b*) Défense des prophéties de la religion chrétienne. Paris 1737 III voll. 8.°

489. Tertius nobis sese offert Kantius cum suo *sensu morali* scripturarum. Ne vero suspicio quemquam incessat, nos Kantii verba aut sententiam perperam intellexisse aut pervertisse, eam hic damus, qualem accepimus a Laurentio Bauero (*a*) uno e Rationalistarum primoribus, in quem eo minus suspicio cadere debet, quo maiorem reverentiam erga Kantium praefert, dum ab huius sententia recedit, quam erga ipsos apostolos (*b*). *Sacrae literae . . . nonnullis in locis huiusmodi argumentum habent, quod moribus hominum regendis non sit aptum . . . . Ut scriptura sacra regendis hominum moribus apta reddatur, et ut ubique cum iis concordet, quae lex moralis praecipit, non tam inquirendum est, quem sensum verba per se spectata in eoque, quo posita sint, nexu fundant, quam qua ratione iis verae notiones de Deo praeceptisque moralibus, quae ratio iubet, subiiciantur. Et quidem hic regulam hanc valere statuit*: *Sensus moralis, quamvis vel invito contextu eruatur, literali praeferendus est, ubi is virtutis studium sive non incendit, sive impedit.* Itaque summa huius doctrinae est: *Sensum moralem neglecto vel ipso sensu literali potissimum investigandum esse.* Proinde manifestum fit, quod *haec interpretandi ratio non diversa est ab ea, quam Graecorum et Romanorum philosophi in explicandis mythis suis antiquioribus fabulosisque de diis narrationibus, aliorumque populorum doctores in libris, quos sacros existimant, exponendis sectati sunt* (420. 421). At falso prorsus affirmat Bauerus Kantium hoc suo commento *a partibus patrum ecclesiae* stare, *qui sensum mysticum ibi investigandum esse statuunt, ubi absurdum aut impium quid dici videatur.* Patres quippe, dum negant quaedam, quae in scripturis legimus, in sensum literalem accipienda esse, loquuntur de sensu proprio illorum verborum, quae translata sunt (24. 29), mysticus vero sensus, in quem illa eadem accipere nos iubent, est ipse sensus translatus (8. 347 - 351). Lege Augustinum (*c*). At Kantius negligere praecipit ipsum illum sensum, qui in universum *literalis* voca-

---

(*a*) Hermeneutic. sacr. §. 10. Lipsiae 1797.

(*b*) Conf. p. 45 seqq. cum pp. 28. 29.

(*c*) Doctr. chr. L. III. c. 28.

tur, sive proprius sit sive translatus. Patres iubent mysticis interpretationibus literalem sensum tamquam fundamentum ponere (362); at sensus moralis Kantii *vel invito contextu*, adeoque ipso sensu literali, ex scripturis extorquendus est. Patres sensus mystici auctorem Spiritum sanctum esse affirmabant (358); Kantius *vero non negat sensum moralem ab auctoribus non intentum fuisse.* Haec autem satis sunt, ut Kantii commentum explodamus. Quibus tamen et hoc adde, longe illud discrepare a more patrum et concionatorum, qui subinde ex aliquo scripturarum capite sensum aliquem colligunt, quem illae non habent, quum videlicet scripturarum verba in sensum accommodatum usurpant. Aliud quippe est id facere data occasione et κατ' ἔκβασιν, ut patres et sacri oratores solent, aliud vero id, ut fiat, praecipere, quum scripturae universim explanandae assumuntur, ac veluti regulam artis hermeneuticae constituere, qui Kantii error est.

490. Famosum quoque recentiorum Protestantium, qui Rationalistae nomen habent, inventum est *sensus mythicus.* His exemplo suo imprudentem praeivisse nunc forsan Origenem poeniteret, qui, uti iam diximus (418), quae Moyses narrat de terrestri paradiso, ea μυθους vocare non est veritus. Docent vero illi, *multas narrationes in libris veteris testamenti praecipue in historicis contentas si attenta mente perlustramus, atque iuxta criteria . . . . constituta examinamus, eas mythicas esse statim* apparere (*a*). *Criteria* vero haec ad duo potissima reducuntur, quorum alterum esse statuunt in ipsa natura rerum narratarum, alterum in primaevis ceterorum populorum historiis. Primo itaque, inquiunt, *certissimum mythi indicium est, si narratio ex antiquissimo aevo propagata sermone symbolico, in quo animi sententiae et opiniones ad actiones revocatae sunt, exposita est, et res prodit, quae nec unquam factae sunt, nec hodie fieri solent, adeoque omni fide historica destitutae sunt (b).* Tales vero esse contendunt illas scripturarum narrationes, quas μυθους appellant. Equidem non infitiabor μυθους esse, quos ita describunt; quod autem attinet ad narrationes scripturarum, non abnuo fieri hodie haud solere, ut Deus ipse leges

---

(*a*) *Bauerus* op. cit. §. 83. (*b*) Ib. §. 82.

inter monstra et portenta voce sua promulget, ut regiones demisso e nubibus igne comburat, ut orbem universum aquis demergat, multoque minus ut hominem ac cetera, quae sunt, creet, atque de nihilo producat, quae quidem omnia horumque similia, quum semel facta sunt, non est cur denuo fiant. Inde tamen est, ut videre nequeam, cur, si haec facta reapse semel sunt, haberi debeant, tamquam quae olim fieri solita essent. Minus quoque video, cur ex eo, quod fieri solita non sint, sequatur nec semel saltem facta fuisse. Minime autem omnium intelligo, quomodo tam confidenter illud in hac quaestione de primaeva historia in vetere testamento contenta tamquam indubitum ponant Rationalistae, quod tamen probare nobis debuissent, priusquam historiam hanc inter μυθους, hoc est, inter fabellas, amandarent, numquam, quae narrantur, facta esse. Si Deus leges huic rerum universitati imponere impositasque servare nequit, aut illas, quoties opus sit, immutare, si nequit monstra ac portenta patrare, ubi res fert, aut, ubi opus non est, ea veluti profundere debet, si, quae loquutiones translatae sunt, in sensum proprium eas accipere oportet, ideoque fabulas hae nobis obtrudere dicendae sunt, non reluctarer, quominus narrationes illae μυθοι esse putarentur. At, si secus haec omnia habent, primum illud adversariorum argumentum *mole ruit sua.* At enim, inquiunt, *a mythis omnium populorum historia procedit.* Dummodo Israelitas excipiant, quod volunt, sibi habeant. Secus populum aliquem contestentur, cuius historia cum historia Israelitarum certare saltem vetustate, si non eam superare, possit. Nullam ergo gens unquam fuisse credenda est, cui veluti ab incunabulis veritas, quae errore prior necessario est, innotuerit? ac si universo hominum generi veluti συμφυτον foret originem suam, quaeque sibi prima sua aetate acciderunt, ignorare, eo ferme pacto, quo unusquisque nostrum sua ipse primordia reminisci non valet. Clamitent homines isti, quantum libuerit (a): *Quis spectator fuit, cum Deus mundum universum, corpora caelestia, et terrarum orbem condidit? Cur Deus operam sex dierum in exornanda tellure consumpsit? Qui fieri potuit, ut luce terra illustraretur, cum sol nondum extaret?*

(a) Ib. §. 83.

Quare cum aliis et quidem Deo non multum inferioribus rem deliberat, cum creationem hominum moliretur? Nonne inde antiquissima tempora elucent, quibus polytheismus adhuc viguit, et tam humiles de Deo animis insederunt notiones, ut eiusdem eum cum hominibus figurae sibi fingerent? Haec enim Rationalistarum deliramenta retulisse refutasse est, neque longiore eos disputatione refellere nostra refert, aut vacat.

491. Sic etiam existimes de commento illo prioribus gemino, quod Paulusii mens peperit (*a*), et de quo ita Iahn: *Interpretatio psychologica, a Doctore Paulusio.... adoptata, veritatem quidem historicam factorum extraordinariorum tuetur, sed ea, additis adiunctis historicis mente et cogitatione conceptis, ita extenuat, ut ipsa transformet in ordinaria; et, ut id consequatur, non veretur vim inferre verbis et sententiis. Quare ferenda non est (b).* Aliquod huius interpretationis specimen ex Iahno transcriptum alias (164) exhibuimus. Quamobrem huiusmodi deliramentis referendis hic finis esto simulque priori huic de sacrarum scripturarum interpretatione libello.

(*a*) Philolog. krit. Comment. üb. d. N. T.

(*b*) Enchirid. hermeneut. §. 2. n°. 2.

A. M. D. G.

INDEX

LIBRI I

NIHIL OBSTAT

Ioannes Baptista Palma Censor Theologus

IMPRIMATUR

Fr. Domin. Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Ios. Canali Archiep. Coloss. Vicesgerens

1-1-2